
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00674294 4

IOANNIS SARESBERIENSIS EPISCOPI CARNOTENSIS POLICRATICI

SIVE

DE NVGIS CVRIALIVM ET VESTIGIIS PHILOSOPHORVM

LIBRI VIII

RECOGNOVIT

ET PROLEGOMENIS, APPARATV CRITICO, COMMENTARIO, INDICIBVS INSTRVXIT

CLEMENS C. I. WEBB, A.M.

COLLEGII BEATAE MARIAE MAGDALENAE APVD OXONIENSES SOCIVS

TOM. II

OXONII

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

MCMIX

LONDINI ET NOVI EBORACI
APVD HENRICVM FROWDE

REGISTRVM

EORVM QVAE IN HOC TOMO CONTINENTVR

REGISTRVM

REGISTRVM

V

REGISTRVM

REGISTRVM

INCIPIT LIBER SEXTVS POLICRATICI 587 d

PROLOGVS.

NOTVM est illud ethici quia

Emilium circa ludum faber unus et ungues
exprimet et molles imitabitur ere capillos,
infelix operis summa, quia ponere totum
nesciet. Hunc ego me si quid componere curem,
non magis esse uelim quam naso uiuere prauo,
spectandum nigris oculis nigroque capillo.

Dum Plutarchi uestigia in Traiani Institutione familiarius sequor, meipsum hac imagine arbitror compellari, eroque ludibrio omnium, nisi diligentius persequar quod incepi. Me enim in praesenti clientem eius esse professus sum. Sequor ergo eum et a capite rei publicae cum eo ad pedes usque descendam, ea tamen conditione ut si his, quibus iura permittitur ignorare, mordacior in hac parte apparuero, id 588 d non michi sed Plutarco adscribant, aut sibi potius, qui regulam, quam profitentur et qua uiuendum est eis, discere noluerunt. Nam quod de nostratibus dictum est, ea sola intentione adieci ut ad uirtutis uiam redeant uel inuiti. Eos namque ad agenda sufficiunt animare tam exempla maiorum quam principis magnitudo inuicti, cuius titulos nunc apud me in unum congero ut, cum aliorum tuba et litui et omne genus musicorum laudes eius pariter in unum conclamabunt,

---

1 Incipiunt capitula Libri VI *et post capitula* Expliciunt capitula CB : Incipit Liber VI[us] Prologus C : Incipit prologus Libri VI B : Incipit Liber Sextus A : Incipiunt Capitula libri VI *et post capitula* Expliciunt Capitula libri sexti. Incipit prologus libri sexti M : Incipiunt capitula VI libri *et post capitula* Incipit prologus libri VI S   3 etici S   4 ungue A   11 ymagine M   16 aparuero S   17 plutarcho BM : plutharco S

---

4 *Emilium* etc. : Hor. *A. P.* 32–37.   22 *principis* : sc. Henrici II.
23, 24 *et omne genus musicorum* : v. Dan. iii. 7.

ego uir plebeius et indoctus mei similibus praeconia eius fistula stridenti dispertiam. Nam quis a semipagano tibiam orichalco iunctam et emulam tubae grandioris expectet? Adero tamen et me tantis solenniis ingeram; et quod ingenii uena subtrahit deuotionis copia subplebit.

589 a Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
dumque thimo pascentur apes, dum rore cicadae,
semper honos nomenque suum laudesque manebunt.

Quod si duces in iniuriam suam aliquid dictum putant, doceantur a principe quia non in perniciem sed salutem egrotantium propinantur amara medicinae. His praemissis ad reliqua progrediatur oratio.

Cap. I. *Quod manus rei publicae aut armata est aut inermis; et quae sit inermis, et de officio eius.*

Manus itaque rei publicae aut armata est aut inermis. Armata quidem est quae castrensem et cruentam exercet militiam; inermis quae iustitiam expedit et ab armis feriando
b iuris militiae seruit. Neque enim rei publicae militant soli illi qui galeis toracibusque muniti in hostes exercent gladios aut tela quaelibet, sed et patroni causarum qui gloriosae uocis confisi munimine lapsa erigunt, fatigata reparant; nec minus prouident humano generi quam si laborantium uitam, spem posterosque armorum praesidio ab hostibus tuerentur. Militant et publicani apparitores et officiales omnium iudicum. Sicut enim alia sunt officia pacis, alia belli, ita eadem necesse est per alios et alios expediri.

Armata itaque manus in hostem dumtaxat exercetur, at inermis extenditur et in ciuem. Porro utriusque necessaria est disciplina, quia utriusque solet insignis esse malitia.

---

4 sollenniis A: sollemniis S 5 supplebit SM 7 timo A 17 feriendo M 23 spem] specie (spe) CBAS 24 iudicium CBA[1]

---

2 *semipagano*: v. Pers. *Sat.* prol. 6. *tibiam* etc.: v. Hor. *A. P.* 202, 203. 6 *Dum iuga* etc.: Verg. *Ecl.* v. 76–78. 18 *Neque enim* etc.: v. Cod. Iustin. ii. 7 § 14.

Vsus quoque manuum capitis sui protestatur imaginem, quia, ut ait Sapientia, rex iniquus omnes ministros impios [c] habet; et qualis rector est ciuitatis, tales sunt et inhabitantes in ea. Oportet, inquit Perides, collegam Soffoclem arguens, praetorem non modo manus sed oculos habere continentes. Est autem praesidentium continentia illa laudabilis, cum ab exactionibus et iniuriis continent manus suas et cohibent alienas.

Manus tamen utriusque militiae, armatae uidelicet et inermis, manus principis est; et nisi utramque cohibeat, parum continens est. Et quidem artius est compescenda inermis, eo quod cum armati praecipiantur abstinere ab exactionibus et rapinis, inermis etiam a muneribus arcetur. Si tamen pena alicui irrogatur legitima, si exigitur aut [d] accipitur quod iure statutum est uel concessum, nequaquam punitur aut reprehenditur. Hoc enim quicquid sit, exactionis nomen non recipit; neque cadit in muneris rationem quod officiales accipere prohibentur.

Quia uero officialium licentia maior est, dum sub praetextu officii spoliare possunt aut uexare priuatos, quod contra officium praesumunt pena feriendum est grauiori. Ait enim beatus Laurentius Mediolanensis episcopus: Quid est publi-

---

1 ymaginem M 10 est principis M 11 compescenda est A[3] 14 legittima BSM

---

2 *rex iniquus* etc.: v. Prov. xxix. 12. 3 *qualis rector* etc.: Eccli x. 2. 4 *Perides*: i. e. Pericles; v. Cic. *de Off.* i. 40 § 144. 22 *Quid est publicanus?* etc.: ex Laurentii *Homilia de Muliere Chananea* (Migne *P. L.* lxvi. 118). Sigebertus Gemblacensis *de Scriptoribus Ecclesiasticis* c. 120 (Migne *P. L.* clx. 572, 573) Laurentium quendam cognomine Mellifluum memorat, qui *scripsit librum De duobus temporibus, id est, uno ab Adam usque ad Christum, altero a Christo usque ad finem saeculi.* Hunc librum Margarinus Binius, qui primus in *Bibl. Patrum Maxima* typis commisit, Laurentii episcopi Mediolanensis vigesimi quinti, de quo in Ennodii Ticinensis *Dictionibus* (Migne *P. L.* lxiii. 263 seqq.; *M. G. H., Auct. Antiquiss.* vii. 1 seqq.) agitur, opus esse coniecit: quem secutus est Mabillonius, qui *librum primum S. Laurentii episcopi de Muliere Chananea*, quem *libro secundo S. Laurentii de duobus temporibus* in codice quodam subiectum invenerat, inter *Vetera Analecta* in lucem protulit: v. Mabill. *Vet. Anal.* ed. Paris. 1723, p. 58; cf. *Dict. of Christian Biog.* s. v. *Laurentius* (8) (15). Coniecturam Binii et Mabillonii confirmant verba Ioannis nostri *beatum Laurentium Mediolanensem episcopum* laudantis.

canus? Nonne caput rapinae et lex uiolentiae? Quid est publicanus? Praedo sine pudore, medicus exterminii. Nonne immanior est furibus publicanus? Fur namque uel timens furatur; hic autem delinquit confidenter. Fur laqueos legis timet; hic quicquid fecerit legem putat. Lex furem deterret
590 a ab illicitis; hic ad iniquum malitiae suae compendium legem trahit.

Quis eo iniquior, qui uerbis iustitiae iustitiam dampnat, et armis innocentiae spoliat, uulnerat, occidit innocentes? Lege utique legem perimit et, dum alios urget ad legem, exlex est. Nam sicut praetor, etiam cum inique decernit, ius dicit, habito tamen respectu non ad id quod facit sed ad id quod facere debet; sic et publicanus, etiam cum delinquit, ius uidetur implere, habita tamen officii, non malitiae ratione. Sed quod est officium publicani? Luca referente didicimus quia publicani uenerunt ad Iohannem ut baptizarentur ab eo; et dixerunt: Magister, quid faciemus? Respondens autem dicebat illis: Nichil amplius quam quod constitutum
b est uobis exigatis. Ecce officium publicani exigere et recipere quod statutum est. Quicquid autem amplius est, a malo est exigentis et accipientis, non praebentis. Hoc autem ad omnium magistratuum officiales porrigitur, ut ab eis nichil amplius exigatur.

Apparitores itaque licenter exigunt quod eis debetur ex sportulis, et omnium stratilatum ordines salarium constitutum iuste accipiunt. Concutere tamen et vexare non licet, ut extorqueantur et munera. Ignis, inquit beatus Iob, deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. Concepit dolorem conuentus eorum et peperit iniquitatem,

---

5 quicquit A 21 exigentis est C[2]BA[1]M

---

4 *confidenter*: Hactenus Laurentius Mediolanensis. 11 *praetor* etc.: v. Dig. i. 1. 11. 15 *Luca referente* etc.: v. Luc. iii. 12, 13. 25 *sportulis*: De apparitorum et exsecutorum litium sportulis v. Dig. iv. 6 § 24; Cod. Iustin. i. 3. 32 § 5, iii. 2. 5; Novell. cxxiv. 3. *stratilatum*: i. e. στρατηλατῶν. 26 *Concutere*: Apud iuris consultos *concussio* esse dicitur si simulato praesidis iussu vel per minas accusationis pecuniam illicite extorqueant officiales; v. Dig. iii. 61, xlvii. 13; Cod. Iustin. xii. 61. 27 *Ignis* etc.: Iob xv. 34, 35.

et uterus eius praeparat dolos. Publicanorum omnium a maximo usque ad minimum cetus concussioni nunc potius quam iustitiae uacat, et ita in populum debaccantur ut quod c reliquit unus, alii non morentur auferre, ac si iuxta conquestionem propheticam ad hoc instituti sint, ut residuum locustae comedat brucus. Et, ut eis sit maior licentia nocendi, unus in se plura coaceruat officia, ut quod ab uno non accepit officio, tollat ab alio. Tradunt phisiologi quod ex locusta nascitur brucus, qui ita uocatur quousque alas habeat. Exinde succrescentibus alis, cum ceperit uolitare, uocatur athelebus. Cum enim plenissime uolare poterit, efficitur locusta iterum; et multo grauior est brucus quam locusta et athelebus, quia ei desunt alae nec cito potest abscedere. Ideoque quocumque uenerit, fruges omnino consumit. d Locusta tamen et athelebus quocumque uenerint nocent et forte in locis pluribus sed tamen minus bruco, qui cum insederit non mouetur, donec labores hominum omnino exhauriat. At in officialibus eundem brucum, athelebum inuenies et locustam, qui propinquis noceat et remotis, et illius, cui semel insederit, fortunam deuoret, nec ante abscedat quam omnes eius auferat facultates. Quis numerare potest quot pupillos officiosissime circumscripserit et quot uenales iniuria fecerit agros et quot apud nos licentia istorum suis nudatos bonis sub imagine religionis alioue praetextu non tam Romipetas et peregrinos quam exules fecerit? Vtique iam fiunt ista palam, nec eos praesides aut

---

3 debachantur M 5 sunt CBAM 13 abcedere AS 14 consumit omnino A[1] 20, 21 abcedat S

---

5 *residuum* etc.: v. Ioel i. 4. 8 *Tradunt phisiologi* etc.: v. Gloss. Ord. ad Ioel loc. cit. *brucus uocatur foetus locustae antequam habeat alas; deinde, cum incipit parum uolare, dicitur athelabus; cum uero pleniter uolat, dicitur locusta; et est brucus multo grauior quam locusta uel athelabus; quia iacens in uno loco radicitus comedit fructus.* Haec ex Hieron. *Comm. in Naum iii.* 13 *seqq.* (Migne *P. L.* xxv. 1264 seq., 1268 seq.) desumpta esse uidentur; cf. Eucher. Lugdun. *Instruct.* ii. 12 (Migne *P. L.* l. 821). 22 *quot pupillos circumscripserit*: v. Iuv. *Sat.* x. 222, 223. 22, 23 *quot uenales* etc.: Iuv. *Sat.* xiv. 151. 26 *fiunt ista palam*: v. Iuv. *Sat.* ii. 136.

proconsules cohibent, quia (ut dici solet) operibus lupi 591 a congratulatur coruus, et ministro iniquitatis impius iudex applaudit.

Hoc autem omnibus his usu innotuit, principes quorum infideles sunt, socii furum, quos cum in maleficio uiderint, currunt cum eis, adicientes iniquitatis partem ut lucri quamcumque recipiant portionem. Si misertus fueris pauperis, si occasum iustitiae fleueris, si decreueris subuenire, si obmutire audes, ut ad singula quae dicunt aut faciunt non dixeris: Euge euge, accusantibus Herodianis lesae maiestatis reddes coram praeside rationem. Cui nisi in omnibus adquieueris, Cesari contradices, et quicquid dictet, nisi sic eat et nisi sic stet, est in personam regis contraque b coronam. Consurget, ingeminabitur, et usque ad nubes inualescet officialium clamor replicantium uoce magna: Hunc inuenimus subuertentem populum et prohibentem tributa dari Cesari negantemque Cesarem regem esse et ministris eius uniuersa de iure licere; hunc inuenimus euacuantem paternas leges, nouas introducentem, et uetustissimae consuetudinis contemptorem; huius rei testes sumus. Quod si tuam purgare uolueris innocentiam aut pro iustitia quicquam astruere, si Christum dixeris regem esse, cui magis oporteat quam hominibus obediri, si Ecclesiae eius (quoniam hoc odiosissimum est) aliquod protuleris priuilegium, continuo uociferantes intonabunt: Quid amplius desideratis c testes? ecce uos ipsi audistis blasphemiam; quisquis asserit talia, contradicit Cesari. Si uero iudex innocentiam uidens iustitiamque reueritus dissimulauerit, undique conclamabunt: Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris. Vt

---

11 Cui] Cum C^{2}BAM

---

1 *operibus lupi* etc.: Nam quod de sua praeda non consumpserit lupus, eo postea vescetur corvus. 4, 5 *principes infideles, socii furum*: Is. i. 23. 5 *quos cum in maleficio* etc.: v. Ps. xlix. 18. 8, 9 *obmutire*: i. e. *mutire contra quendam*, ut *obloqui* est *loqui contra quendam*; *obmutire* tamen neque ap. Forcell. neque ap. Ducange invenies. 10 *Herodianis*: v. Matt. xxii. 16; Marc. xii. 13. 12 *Cesari contradices*: v. Ioann. xix. 12. 15, 16 *Hunc inuenimus* etc.: v. Luc. xxiii. 2. 22 *cui magis* etc.: v. Act. App. v. 29. 25 *Quid amplius* etc.: v. Matt. xxvi. 65. 26 *quisquis* etc.: v. Ioann. xix. 12. 29 *Si hunc dimittis* etc.: Ioann. xix. 12.

unius pena liberatio sit multorum, tolle et dele hunc ut
uiuat et ualeat Barrabas. Omnes enim sunt quasi corpus
unum quod, sicut manifesta conuincunt opera, ex patre
diabolo est, cuius isti sunt membra. Egregie quidem de
istis beatus Iob ait: Corpus illius quasi scuta fusilia et
compactum squamis se prementibus; una uni coniungitur,
et ne spiraculum quidem incedit per eas; una alteri co-
herebit, et tenentes se nequaquam separabuntur. Assistunt
sibi, quia conuenerunt in unum aduersus Dominum et ad- d
uersus Christum eius. Tantaque uigent auctoritate ut
quicquid dixerint ita obtineat ac si inueniatur in actis.
Attestatio eorum ueritati praeiudicat. Non est praeter
principem cui liceat obuiare eorum sententiis. Nisi eos
princeps coherceat, licet omnes dicant quia pax est, non est
utique pax, aut illa pax sola est in qua est amaritudo
amarissima. Nam cum alias habita moderatione inculpatae
tutelae uim ui repellere liceat, concutientibus spoliantibus
torquentibus his mutire non licet; iuris etenim uidentur
esse ministri. Excusatur qui aliquid ob tutelam proprii
corporis fecerit; si tamen quauis iniuria trahentibus his
restiterit, dignus pena qualibet iudicatur. Si crinem turba-
tum et turpatum protrahit, si barbam uellit, si aures quasi 592 a
nimium breues producit, si dat alapam aut percutit pugno
impie, si alterum eruit oculum, sustine patienter, nisi utrum-
que malis amittere; quia quicquid praesumunt, Cesaris
dextra factum iactitant. Si telum manu gestas, si spon-
taneam detrectas praebere ceruicem, uentrem nudat, ostentat
iugulum, ceruicem extendit, et te prouocat ut, si audes,
Cesaris intestina telo rimeris et quo libuerit modo manum
mittas in Cesarem; se enim personam Cesaris gerere gloria-
tur. At si haec est dextera Cesaris, quaenam sinistra erit?
Profecto factio istorum non iustitiam exequitur sed illudit,

6 uni una C[2]BA[1]M 7 quidem *om.* CBASM 12 Atestacio S
25 malis] mauis M 30, 31 gloriantur B

3, 4 *ex patre diabolo*: v. Ioann. viii. 44. 5 *Corpus illius* etc.: Iob xli. 6–8. 9 *conuenerunt* etc.: Ps. ii. 2. 14 *pax* etc.: v. Ierem. vi. 14, viii. 11. 15 *in qua est* etc.: v. Is. xxxviii. 17.

et non implet sed euacuat legem, licet nonnulli seua praerogatiua uerborum aduersus mentem legis suum fraudulenter b tueantur errorem; sapientes enim sunt ut faciant mala. Cum uero prouincialibus sit haec pestis perniciosa, nulli perniciosior potest esse quam principi; bona siquidem prouincialium principis sunt; ad necessitatem et usum principis omnia quae prouincialium sunt, de iure exponuntur. Prouincia tota quasi archa principis est, quam quisquis exhaurit, grauissime delinquit in principem cuius extenuat facultates. Nam prouinciales quasi quidam superficiarii sunt et, quotiens usus exigit potestatis, rerum suarum non tam domini sunt quam custodes. Si uero necessitatis non incumbit articulus, sua sint prouincialium bona sua, quibus nec ipse princeps licenter abutitur. Si enim expedit rei publicae ne quis re c sua male utatur, abuti aliena usquequaque non licet. At cum per ministros iniquitatis et sceleris et satellites Sathanae, uiros Herodianos, fuerit exhausta prouincia, si necessitas imminet, quibus utetur princeps? Proinde, si sapit, in camo et freno maxillas eorum constringet, ne more luporum quos improba uentris agit ingluuies, uastare possint et lacerare prouinciam et in iniuriam principis quasi uires totius rei publicae exhaurire. Alioquin et ipse in egestatem incidet, prouincialibus omnibus odiosus, redditurus suo iudici rationem in districto examine de operibus manuum suarum et de lesione prouincialium, quos iniuste et quasi per fraudem sub umbra tuitionis manu spoliauit et lacerauit inermi.

Cap. 2. *Quod militia delectum exigit, scientiam et exercitationem.*

d Restat armata manus quae castrensem et cruentam (ut dictum est) exercet militiam. In huius autem moderatione

1 nonnuli M 4 pernicior C 8 arca AS 19 chamo M in ore C²: M *supra lineam habet* uel in, *id est* in ore *pro* more

3 *sapientes* etc.: Ierem. iv. 22. 10 *superficiarii*: *id est qui in alieno solo superficiem ita habet, ut certam pensionem praestet* Dig. vi. 1. 74. 14 *expedit* etc.: Inst. i. 8 § 2. 18, 19 *in camo* etc.: v. Ps. xxxi. 9. 19 *luporum* etc.: v. Verg. *Aen.* ii. 355–357. 29, 30 *ut dictum est*: v. supra 589 A.

sapientia et iustitia principis elucet plurimum. Vt enim ait Vegetius Renatus, nullus est quem oporteat uel plura uel meliora scire quam principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis. Cum enim pacis itemque belli debeat opera moderari, legum reique bellicae ipsum oportet habere peritiam. Et quidem de pacatis studiis aliqua superius dicta sunt, nunc manus armata discutitur, quae sine delectu scientia et exercitatione non conualescit. Quouis enim istorum cessante non prodest inutilis manus; at in his scientia et exercitatio utiliora sunt. Scientia enim rei 593 a bellicae dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit quod se bene didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum exercitata paucitas ad uictoriam promtior est quam rudis et indocta multitudo exposita semper ad caedem. Quid enim Romanos gentium omnium fecit esse uictores? Scientia utique, exercitatio et fides quam electi ex sacramento rei publicae impendebant. Nam quid aduersus Gallorum multitudinem Romana paucitas ualuisset? Quid aduersus Germanorum proceritatem breuitas potuisset audere? Hispanos quidem non tantum numero sed et uiribus corporis manifestum est praestitisse Romanis. Affrorum dolis atque diuitiis semper impares extiterunt. Vnde aduersus haec omnia profuit tironem sollertem eligere; et, ut b ita dictum sit, docere ius armorum; cotidiano exercitio roborare doctrinam; quaecumque possunt in acie et praeliis euenire praenosse meditatione campestri; et in desides seueritas uindictae. Hoc memoratus auctor testatur et fere uerbis eisdem adiciens inutilem esse militem nutritum tenere et deliciis assuetum, praeferens tamquam aptiorem plebem rusticam quae sub diuo et in labore nutritur, solis patiens, negligens umbrae, balnearum nescia, ignara deli-

6 paccatis M 13 promptior ASM 23 tyronem CBA 24 ita *om.* M 31 balneorum M^2

2 *nullus est* etc.: v. Veget. i. in praefatione. 9 *istorum*: sc. delectu scientia et exercitatione. 10 *Scientia enim* etc. (usque ad *uindictae* 593 B): v. Veget. i. 1. 15 *Quid enim* etc.: Haec usque ad *audere* citat Pauli *Mon. Germ. Hist.*, *SS.* xxvii. p. 46 quasi Ioannis ipsius essent verba, quae tamen omnia ex Vegetio deprompta sunt. 27 *memoratus auctor*: sc. Vegetius. 28 *inutilem* etc.: v. Veget. i. 3.

ciarum, simplicis animi, paruo contenta cibo, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetudo de rure est. Numquid cantores aleatores aut aucupes, cum opus fuerit, ad c haec inuenientur idonei? Plane et istos et piscatores, dulcarios, linteones et omnes qui aliquid tractasse uidebuntur ad genecia pertinens, a militari officio sic repellit ut fabros ferrarios itemque lignarios, ceruorum aprorumque uenatores in usum militiae censeat eligendos. Nam et Ieroboal, ut figuralium misteria taceantur, Domino mandante prohibitus est in multitudine timida et inexercitata habere fiduciam et illos solos aduersus Madianitas producere, quos robur animi et exercitium corporis approbaret. Cum ergo Gedeon cunctis audientibus proclamaret: Qui formidolosus et timidus est, reuertatur; recesserunt ex populo uiginti et duo milia uirorum, et tantum decem milia remanserunt. Sed ab his decem milibus illos solos tamquam expeditiores ad bella iudicium Domini praeelegit, d qui in siti sua uelut canes festini lamberant manu ad os proiciente aquas, his relictis qui deflexo poplite biberant. In trecentis itaque uiris facta est liberatio populi, hostes caesi, captiuati reges, et interfecti non tam militiae quam malitiae principes; percussitque Zebee et Salmana in ore gladii, et tulit ornamenta et bullas quibus colla regalium camelorum decorari solent, ornamenta quoque monilia et uestem purpuream quibus reges Madian uti consueuerant, sibique de tanta praeda solas inaures aureas Ismaelitarum

---

10 mysteria CBM 13 aprobaret S 14 cuntis CA 16 xx. S 17 x. SM 27 ismahelitarum S: ysmahelitarum M

---

4 *cantores aleatores aut aucupes*: de quibus v. supra i. 6, 5, 4. 5 *istos*: sc. *aucupes*, quorum Vegetius in loc. infra cit. mentionem facit. *piscatores* etc.: v. Veget. i. 7. 7 *genecia*: i. e. gynaecea. 10 *Ieroboal* etc.: v. Iudic. vii. 2 seqq. *figuralium misteria*: de figuralium mysteriis in Gedeonis historia inventis cf. Isid. *Alleg.* 76 (Migne *P. L.* lxxxiii. 111) et *Sermonem de Gedeone in Nativ. Domini*, inter opera Hugonis de S. Victore impressum (*P. L.* clxxvii. 1092 seqq.). 23 *percussitque* etc.: v. Iudic. viii. 21, ubi tamen *interfecit* habet Vulg.; at saepe in eodem libro exstant verba *percusserunt in ore gladii*. 25 *ornamenta* etc.: v. Iudic. viii. 26. 27 *de tanta praeda* etc.: v. Iudic. viii. 24.

reseruauit, ceteris ex ratione populo distributis. Vicit ergo innumerabiles hostium copias in expedita paucitate uirorum fortium quos non facile crediderim in deliciis urbium aut regalibus epulis cotidianisque conuiuiis didi- 594 a
cisse ut aquam lamberent, unde eos Dominus prae ceteris censuit eligendos. Si tamen interdum necessitas exigit urbanos delicatioresque ad arma compelli, ex quo primum nomen dedere militiae, laborare decurrere portare pondus et solem pulueremque ferre condiscant, parco uictu utantur et rustico, interdum sub diuo, interdum sub papilionibus commorentur. Tunc demum ad usum erudiantur armorum; et, si longior expeditio emergit, in angariis plurimum detinendi sunt proculque habendi ab illecebris ciuitatis ut eo modo et corporibus eorum robur accedat et animis. Nec infitiandum est post urbem conditam Romanos ex ciuitate semper profectos esse ad bellum; sed tunc nullis deliciis fungebantur, sudorem cursu et campestri exercitio col- b
lectum nandi usu iuuentus abluebat in Tiberi. Idem bellator idemque agricola; sed genera tantum commutabat armorum. Quod usque adeo uerum est ut aranti Quintio Cincinnato dictaturam constet oblatam,

> quem trepida ante boues dictaturam induit uxor,
> et sua aratra domum lictor tulit.

Ex agris ergo robur exercitus praecipue supplendum est. Vt enim ait: Nescio quo pacto mortem minus timet qui deliciarum minus nouit in uita.

Cap. 3. *De militibus gloriosis qui militiae inutiles sunt.*

Erubescent forte milites glorios et qui Trasonem comicum potius uita et moribus quam professione et nomine

---

18 tyberi A 21 concinnato M constat M 23 lictor domum CBA 24 suplendum S

---

6 *interdum* etc. (usque ad finem capituli): Veget. i. 3. 22 *quem trepida* etc.: Pers. *Sat.* i. 74, 75. Haec Persii verba, quae in textu Vegetii genuino desunt, inserit codex Palatinus, teste Carolo Lang in ed. Teubneriana. 25 *ait*: sc. Vegetius. 28 *milites gloriosi*: v. Ter. *Eun.* prol. 31. *Trasonem comicum*: in Terentii *Eunucho*.

c repraesentent haec armatae militiae munia quae non tam (ut eis uidetur) disciplinam redolet militarem quam ignominiosae seruitutis angustias. In eo namque militarem constare gloriam opinantur, si nitidiori splendeant habitu, ut lineas suas uestes uel sericas sic perstringant et torqueant ut quasi cutem cerussatam aliisue fucis obnoxiam carni faciant coherere, si gradariis equis insideant mollius, si calamistrati curatiue Acteo non cedant Apollini et deliciis sint magis quam uirtute praesignes. Eorum si forte construxeris aciem, castrum Thaidis quam Hannibalis tutius expugnabis. Quisquis eorum in aula iactantior est, cum ad praelii discrimen acceditur, lacones duce Sanga
d turmatim praemittet ad pugnam, nouissimos praesidii causa subsequens cum funditoribus aliisque qui in hostem tela eminus mittere quam manum conserere uolunt. Cum uero sine uulnere et cicatrice (quod frequentius euenit) domum redeunt,

tunc exhausta canunt praelia Marte graui;
illic Eacides, illic tendebat Achilles;
et pingunt fluido Pergama tota mero;

et quisque mortes mille circa tempora sua errasse gloriatur. Exinde gloriam eorum ferre non poteris. Fabula haec in annum centesimum protelabitur; filii quoque, qui nascentur et exurgent, enarrabunt filiis suis. Si hastas aliquot, quas ad modum cannabis fragiles diligens inertia procura-
595 a uit, quis fregerit, si aurum minium colorue alius quocum-

---

5 uel] ue SM 6 cerusatam SM 25 canabis C[2]BA[1]M[1] inhercia S[1]

---

6 *cutem cerussatam*: v. Martial. *Epigr.* vii. 25. 7 *gradariis equis*: v. Non. Marcell. 17. 22. 8 *Acteo*: i. e. Actio; v. Verg. *Aen.* viii. 704. 10 *Thaidis*: sc. meretricis in Terentii *Eunucho*; v. *Eun.* iv. 7. 3. 12 *lacones*: pro *calones*, ut videtur; cf. infra c. 11 (603 c). *Sanga*: v. Ter. *Eun.* iv. 7. 6. 18 *tunc exhausta* etc.: cf. Ov. *Her.* i. 31, 32, 35 *Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa Pingit et exiguo Pergama tota mero. . . . Illic Aeacides, illic tendebat Vlixes.* 21 *mortes* etc.: v. Stat. *Theb.* vi. 793 (768 Kohlm.) *Mille cauet lapsas circum sua tempora mortes.* 23 *filii* etc.: v. Ps. lxxvii. 6.

que ictu casuue a clipeo excidit, hoc garrula lingua, si licuerit, memorale faciet in seculum seculi. Isti primos recubitus habent in cenis et (quicquid Renatus noster de re militari tradiderit) epulantur, si fortuna permittit, cotidie splendide, omnemque laborem et exercitationem, quem non inuincibilis necessitas ingerit, cane et angue deterius fugiunt, et quicquid imminet difficultatis, reiciunt in subiectos. Interim clipeos sic inaurant, sic exornant omnia instrumenta castrorum, ut quemlibet eorum non tam cultorem quam praesidem Martis credas. Cuiuis istorum clipeus detrahatur aut galea, spolia eius ipsum Martem poterunt honorare.

Cap. 4. *Quarum rerum scientiam et exercitium oporteat habere milites, et quod eos otiari non licet; et de Augusto, qui filias suas fecit institui in lanificio.* b

Egregie quidem Scipio Affricanus, sicut in libro Stratagemmatum Iulius Frontinus refert, cum scutum elegantius cuiusdam uidisset ornatum, dixit non mirari se quod tanta cura ornasset, in quo plus praesidii quam in gladio haberet. Sed nec fastum illorum perferre poteris, nisi fueris patientiae grandioris. Nam ut ineptias eorum non rideas nulla modestia poterit cohibere. Quis Octauiano Augusto felicior aut maior? Filios, etsi non genuerit, adoptauit, quibus etsi sufficere posset clarus sanguis ad gloriam et bona hereditaria magis ad copiam quam ad usum, ea tamen diligentia instituti sunt ac si sua retineri uel aliena adquiri c
nequaquam possint nisi per uirtutem. Eos ergo ad gradum militarem et cursum et saltum fecit exercitari, usumque natandi et caesim et punctim feriendi et iaciendi

16, 17 strategematum M   18 hornatum S   22 octouiano M
23 non *om.* M   28 excitari A

2 *primos* etc.: v. Matt. xxiii. 6.   3 *Renatus noster*: v. Veget. i. 3; cf. supra 593 B.   4, 5 *epulantur cotidie splendide*: v. Luc. xvi. 19.   6 *cane et angue* etc.: v. Hor. *Ep.* i. 17. 30.   16 *Scipio* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 1 § 5.   23 *Filios* etc.: Quo auctore haec narret Noster, nescio; vide tamen Suet. *Aug.* 64; cf. 56.   27, 28 *ad gradum* etc.: v. titulum Veget. i. 9 praefixum.   28, 29 *usumque natandi*: v. Veget. i. 10.   29 *caesim et punctim* etc.: v. Veget. iii. 4.

missilia et lapides manu uel funda docuit et qualiter bellum omne aut sustineri debeat aut inferri. Nouit enim prudentissimus et diligens imperator quia

> quo semel est imbuta recens seruabit odorem
> testa diu,

et quod non tantum celerius sed etiam perfectius imbuuntur quae discuntur a pueris. Deinde militaris alacritas
d saltus et cursus ante comparanda est et temperanda quam corpus etate pigrescat. Velocitas enim, quae percepta est et firmata est exercitio, strenuum efficit bellatorem. Nec multum refert si cetera probitatis concurrant insignia, proceri sint an staturae breuioris; utilius enim est milites fortes esse quam grandes. Delectori suo fertur dixisse Pirrus: Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.

Ad tumulum Archemori dum ludos solennes Grecia celebraret, Tideum Capaneo praestitisse percelebre est quia

> maior in exiguo regnabat corpore uirtus.

De exercitio Magni Pompeii memorat Salustius quod cum alacribus saltu, cum uelocibus cursu, cum ualidis uecte certabat. Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi se et milites suos frequentibus exercitiis praeparasset
596 a ad praelia. Recedendi, assultandi, insiliendi ars non mediocris est, cuius beneficio illa seruatur cautela ut miles ad inferendum uulnus sic insurgat in hostem ut eidem ex aliqua parte non pateat ad plagam. Exercitium natandi percommodum est, cum in terrestri praelio uel nauali, quid cui necessitas paret, nemini perspicuum sit, nec est promptum quempiam arte, quam non didicit, a periculis expediri. Missilium quoque usus est maximus, quibus hostis

---

6, 7 imbuntur S 15 sollennes A: sollempnes S 26 quod M 27, 28 promtum C

---

4 *quo semel* etc.: Hor. *Ep.* i. 2. 69, 70. 6 *tantum* etc.: Veget. i. 4. 10, 11 *Nec multum* etc.: v. Veget. i. 6 ad fin. 13 *Delectori* etc.: v. Frontin. *Strateg.* iv. 1 § 3. 17 *maior* etc.: Stat. *Theb.* i. 417. 18 *De exercitio* etc.: Veget. i. 9. 22 *Recedendi* etc.: v. Veget. i. 11 ad fin. 25 *Exercitium* etc.: v. Veget. i. 10 ad fin.

eminus leditur aut terretur, et exercitio eorum lacertis robur accrescit et iaculandi peritia atque usus adquiritur. Hoc autem tanti exercitii assidua meditatio conferebat ut in tumultu bellico utiliter uersarentur intrepidi qui in pace b fuerant tam studiose instructi.

Filias quoque legitur praefatus Augustus sic in lanificio fecisse institui ut, si praeter spem eas in extremam paupertatem fortuna proiecisset, uitam possent arte deductis facultatibus exhibere. Nam et nendi, texendi et acum exercendi uestesque formandi fingendi et componendi non modo artem sed usum habebant et consuetudinem. Vtique qui otia non indulgebat uirginibus, nequaquam permittebat milites otiari, quorum professio instituta est ad laborem. Nec credo eum de molliori habitu militum gloriari, ad quem nisi seueriori uultu et honestiori habitu accedere filia non audebat.

Lucanus breui quodam praeconio Catonem commendat et militiam Romanorum adiciens inter cetera quod ei c uestiri fuerat pretiose

> hirtam membra super Romani more Quiritis
> induxisse togam.

Quod profecto non diceret, nisi durioris togae usus de Quiritum consuetudine processisset. Sed modo qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt, immo in castris, et sic ad bella procedunt quasi ad nuptias dealbati. Magnis antiquae militiae priuilegiis se tuentur quam in eo imitantur plurimum quod iura ignorant. Et hoc quidem tolerabile esset, nisi aeque diuinas et humanas contempnerent leges, ut uelis nolis satiricum illud tibi frequenter occurrat:

> 'Dinomaches ego sum' suffla; 'Sum candidus.' Esto; d
> dum non deterius sapiat pannucia Baucis,
> cum bene discincto cantauerit ozima uernae.

17 commendat catonem M 20 hirtam] hircani M 31 dinomoches M 32 blaucis C[1]B[1]

1 *exercitio* etc.: Veget. i. 14 ad fin. 6 *Filias* etc.: v. Suet. *Aug.* 64. 20 *hirtam* etc.: Luc. *Phars.* ii. 386, 387. 23, 24 *qui mollibus* etc.: v. Luc. vii. 25. 31 *Dinomaches* etc.: Pers. *Sat.* iv. 20–22.

Cap. 5. *Duo esse praecipua quae militem faciunt, delectum scilicet et sacramentum.*

Ne me tamen putes inimicari militiae et uitia personarum in officia retorquere, ego patrocinium eius quouis renitente suscipio et eam auctore Domino sufficientissime excusabo. Professio namque tam laudabilis est quam necessaria, et quam nemo uituperare potest salua reuerentia Dei a quo est instituta. Veteris Instrumenti reuolue seriem et inuenies ita esse ut dico. Nichil enim ad rem
597 a attinet, si isti praeuaricantur quoniam eis lex militiae posita non est, nec aliquis eorum, ut recte loquamur, miles est. Lege libros tam ecclesiasticos quam mundanos quibus agitur de re militari; et manifeste inuenies duo esse quae militem faciunt, electionem scilicet et sacramentum. Haec enim duo communia sunt his qui spiritualem et corporalem militiam exercent. Hos enim ad ministerium altaris et cultum ecclesiae uocat lingua pontificis, illos ad defensionem rei publicae eligit lingua ducis. De quibus officiis et locis quales et qualiter ad alterutrum officium eligendi sint, maiorum scripta declarant. Sed, quia nunc secularis militia uersatur in manibus, uel Vegetius Renatus super electione militum audiatur. Ait ergo: In hoc totius rei publicae
b salus uertitur, ut tirones non tantum corporibus sed etiam animis praestantissimi delegantur; uires regni et Romani nominis fundamentum in prima delectus examinatione consistunt. Nec leue hoc putetur officium aut passim quibuscumque mandandum, quod apud ueteres inter tam uaria genera uirtutum praecipue constat esse laudatum. Iuuentus enim, cui defensio prouinciarum imminet, et moribus excellere debet et uiribus. Honestas enim idoneum militem reddit et uerecundia, dum prohibet fugere,

---

8 qua M   15 comunia S   18 et *inserui*: *om.* CBASM   23 tyrones A

---

22 *In hoc totius* etc.: v. Veget. i. 7.   28 *praecipue*: *in Sertorio praecipue* habet Vegetius.   29, 30 *et moribus excellere debet et uiribus*: Verba Vegetii in compendium redegit Ioannes.

saepe facit esse uictorem. Quid enim prodest si exerceatur ignobilis, si pluribus stipendiis moretur in castris? Numquam exercitus proficit in tempore belli, cuius in probandis tironibus claudicauit electio. Et quantum usu experimentisque cognouimus, hinc tot ubique ab hostibus illatae c sunt clades, dum longa pax militem incuriosius legit, dum inutiles quique ciuilia sectantur officia, dum indicti possessoribus tirones per gratiam aut dissimulationem probantium tales sociantur armis, quales domini habere fastidiunt. A magnis ergo uiris magnaque diligentia idoneos conuenit eligi iuniores. Cum uero diligens electio iudicio fuerit approbata, signandi sunt et ascribendi militiae qui ad eam inuenientur idonei. Nam et uelocitas requirenda est et robur et utrum armorum disciplinam quis ediscere ualeat et an habeat confidentiam militarem. Plerique enim quamuis non improbabiles uideantur in specie, tamen experimentis comprobantur indigni. Repellendi ergo minus utiles et in locum eorum strenuissimi subrogandi. In d omni enim conflictu non tam prodest multitudo quam uirtus. In qua exploranda formanda et promouenda ducis uertitur tam opera quam iudicium. Signatis namque tironibus per cotidiana exercitia armorum est demonstranda doctrina ut leui armatura et graui, terra item et pelago, pedites sint an equites, strenuum militem possint implere.

Cap. 6. *Quae mala proueniant nostris neglecto delectu militum, et qualiter Haroldus Valenses subegerit.*

Sed huius disciplinae usus in desuetudinem abiit aut ex indulgentia longae securitatis aut irruente mollitie et uirorum animos frangente luxuria aut ignauia iuuentutis et inertia ducum temporis nostri. Quem enim inuenies, 598 a qui strenue docere possit quod ipse non didicit?

---

22 tyronibus A 27 walenses A²M 29 molliente SM

---

11 *Cum uero diligens* etc.: v. Veget. i. 8 ad init. 13 *et uelocitas* etc.: Veget. i. 8. 20 *In qua* etc. usque ad *iudicium*: non sunt ipsius Vegetii verba. 21 *Signatis* etc. (usque ad *doctrina*): Veget. i. 8.

Nunc patimur longae pacis mala; seuior armis
luxuria incubuit uictumque ulciscitur orbem.

Antiquas et modernas reuolue historias, et plane inuenies quia concussio populorum, armorum collisio, clades hominum, et plaga terribilis luxuriam semper aut comitatur aut sequitur. Ne longe petantur exempla, Niuicollini Britones irruunt et iam protendunt terminos suos et egressi de cauernis suis latebrisque siluarum plana occupant, nobilium procerum uidentibus ipsis impugnant b expugnant et diruunt aut sibi retinent munitiones, eo quod iuuentus nostra,

quae tecto gaudet et umbris,

nata fruges consumere, in lucem dormiens, scortationi honesta postponens officia, tota die insectans uoluptatem, citharam liram et timpanum et uocem organi in conuiuiis magis agnoscit quam lituum aut tubam in castris. In qua aut non fuit aut errauit ducis electio, cessauit aut elanguit disciplina. Nam, si manum conserere oporteat, in armatura leui parum habent fiduciae, in graui minimum alacritatis. Hac itaque onerantur ut hostem sequi non possint, illa exanimantur ut eum tamquam ad uulnus expositi nequeant sustinere.

c Depopulantur illi fines nostros, dum iuuentus nostra instruitur; et, dum nobis miles armatur, hostis euadit et (ut dici solet) dum canis mussitat, tutas latebras ingreditur lupus. Non est qui comprehendat abeuntem aut insequatur hostem, eo quod impeditus nec sufficit nec proficit

---

3 hystorias BM 10 dirruunt M: dirrunt S 15 conuiis S
24 miles nobis A^1 25 musitat $C^2BA^1S^1M^1$

---

1 *Nunc patimur* etc.: Iuv. *Sat.* vi. 292, 293. 6, 7 *Niuicollini Britones*: i. e. Britones qui Walliam borealem habitant; cf. supra ii. 27 (461 D), v. Girald. Cambr. *Descript. Cambriae* c. 5 (*Opp.* ed. Dimock vi. 170) *Scinditur autem et distinguitur aquis Wallia nobilibus, quae ex montanis duobus originem habent; Elennyth scilicet in Sudwallia . . . Ereri* (Eryri) *quoque in Nordwallia, quae Anglice Snaudune* (Snowdon) *dicitur, id est Nivium montes.* 12 *quae tecto* etc.: Iuv. *Sat.* vii. 105. 13 *nata fruges consumere*: v. Hor. *Ep.* i. 2. 27. 15 *citharam* etc.: v. Is. v. 12.

aduersus expeditum. Ille tamen non murorum fossarumue petit praesidia sed locum qui militi meo sicut et sibi etsi non aeque notus, tamen accessibilis est. Vtique tutus est ibi quia miles meus non in propria uirtute sed in praesidio confidit armorum.

Anglorum recens narrat historia quod, cum Britones irruptione facta Angliam depopularentur, a piissimo rege Eadwardo ad eos expugnandos missus est dux Haroldus, uir quidem armis strenuus et laudabilium operum fulgens insignibus et qui tam suam quam suorum posset apud d
posteros gloriam dilatare nisi meritorum titulos, nequitiam patris imitans, perfide praesumpto regno decoloraret. Cum ergo gentis cognosceret leuitatem, quasi pari certamine militiam eligens expeditam, cum eis censuit congrediendum leuem exercens armaturam, peronatus incedens, fasciis pectus et praeduro tectus corio, missilibus eorum leua obiectans ancilia et in eos contorquens nunc spicula, nunc mucronem exerens, sic fugientium uestigiis inherebat ut premeretur

pede pes et cuspide cuspis

et umbo umbone repelleretur. Niuium itaque collem ingressus uastauit omnia, et expeditione in biennium prorogata reges cepit, et capita eorum regi, qui eum miserat, 599 a
praesentauit, et usque ad miserationem paruulorum omnem masculum qui inueniri potuit interficiens in ore gladii pacauit prouinciam; legem statuit ut quicumque Britonum exinde citra terminum quem eis praescripsit, fossam scilicet Offae, cum telo inueniretur, ei ab officialibus regni manus

6 hystoria M 8 edwardo ASM haraldus B 15 perornatus M 18 exercens M

6 *Anglorum* etc. (usque ad finem capituli): cf. Freeman *Norman Conquest* (ed. 3) ii. pp. 477–485. 8 *Eadwardo*: sc. Confessori, qui regnavit in Anglia per a. 1042–1066. *missus est*: sc. a. 1062–1063. 12 *patris*: sc. Godwini, Saxonum occidentalium comitis, qui obiit a. 1053. 20 *pede pes* etc.: Poetam nescioquem citare videtur Ioannes; cf. Verg. *Aen.* x. 361 *haeret pede pes densusque uiro uir*, Sil. Ital. iv. 352, 353 *teritur iunctis umbonibus umbo, Pesque pedem premit, et nutantes casside cristae.* Silium tamen alibi citat neque Noster neque (ut asserit Teuffel *Gesch. d. röm. Lit.* § 320. 5) alius medii aevi scriptor. 27, 28 *fossam Offae.* Offa, qui Mercianorum ab a. 752 usque ad a. 795

dextra praecideretur. Adeoque uirtute ducis tunc confecti sunt Britones ut fere gens tota deficere uideretur et ex indulgentia iam dicti regis mulieres eorum nupserint Anglis.

Videsne quantum electio ducis et exercitium iuuentutis militiae conferant?

Cap. 7. *Quae sit conceptio sacramenti militaris, et quod sine eo militare non licet.*

b Verumtamen citra religionem sacramenti ex antiqua lege nemo militiae cingulo donabatur. Nam, sicut apud Iulium Frontinum legitur, Lucio Flaco et Gaio Varrone consulibus milites primo iureiurando facti sunt; antea enim sacramento tantummodo a tribunis rogabantur, ceterum ipsi inter se coniurabant se fugae atque formidinis causa non abituros neque ex ordine recessuros nisi teli petendi hostisue feriendi causa aut ciuis seruandi. Et hoc dicebatur militiae sacramentum; quod et Christianissimorum principum auctoritate firmatur et usu.

Conceptio uero iuramenti teste Vegetio huiusmodi est. Iurant equidem milites per Deum et Christum eius et
c Spiritum sanctum et per maiestatem principis quae secundum Deum humano generi diligenda est et colenda. Nam cum quis legitimum accipit principatum, tamquam praesenti et corporali Deo fidelis ei est praestanda deuotio, impendendus peruigil famulatus. Deo enim uel priuatus uel militans seruit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore. Iurant, inquam, se strenue facturos omnia

---

1, 2 britones confecti sunt M 8 Verumptamen A 10 flacco AM uarone M 14 habituros CB¹AM 22 legittimum BM

---

rex fuit, *vallum magnum*, cuius adhuc exstant reliquiae, *inter Britanniam atque Merciam de mari usque ad mare*, sc. ab ore Vagae (Wye) fluminis usque ad os Devae (Dee), *facere imperavit*, ut dicit Asserus in *Gestis Aelfredi* (ed. Stevenson p. 12). 9 *militiae cingulo*: v. Cod. Iustin. xii. 50 § 3 et saepe in Corpore Iuris Ciuilis. 10 *Lucio Flaco* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 4. *Flaco*: potius *Paulo*; v. Liv. xxii. 38; quod nomen in Frontini textum restituit Schelius *Not. in Polyb.* ap. Graev. *Thes. Antiquit. Rom.* x. 1172, quem sequitur Gundermannus in ed. Teubneriana. 15, 16 *Et hoc dicebatur militiae sacramentum*: v. Veget. ii. 5 *Et ideo militiae sacramenta dicuntur*; cf. Oudendorpii not. ad loc. Vegetii. 19 *Iurant* etc.: v. Veget. ii. 5.

quae praeceperit princeps, numquam deserturos militiam uel mortem recusaturos pro re publica cuius sunt conscripti militiae. Cum uero hoc praestiterint iusiurandum, cingulo militari donantur et priuilegiis. Adeoque optinuit ut electio et sacramentum militem facerent, ut sine electione nemo conscriberetur aut iuraret, sine iuramento nemo nomen militis aut officium sortiretur.

In libro Officiorum Marcus Tullius refert quod Pompilius d
imperator tenebat prouinciam in cuius exercitu filius Catonis tiro militabat. Cum autem Pompilio uideretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Pompilium scripsit ut, si pateretur in exercitu remanere, eum secundo obliget sacramento quia, priore amisso, iure cum hostibus pugnare non poterat.

Marci quidem Catonis senis epistola est ad Marcum filium in qua scribit se audisse eum factum dimissum esse a consule, cum in Macedonia bello Persico miles esset. Monet igitur ut caueat ne praelium ineat; negat enim ius esse cum hoste pugnare qui miles non sit. Ecce quia uir sapientissimus militem non credebat nisi eum qui sacra- 600 a
mento ad militiam consecratur.

Cap. 8. *Armatam militiam ad religionem ex necessitate teneri, sicut illam quae in clero diuinis obsequiis consecratur; et quod miles sicut honoris ita et laboris nomen est.*

Sed ipsius iuramenti uerba reuolue, et inuenies armatam militiam non minus quam spiritualem ex necessitate officii ad religionem et Dei cultum artari, cum fideliter et secundum Deum principi debeatur obsequium et rei publicae peruigil famulatus. Vnde, quod praedixi, qui nec electi sunt nec iurati, etsi militum nomine censeantur, non magis

---

4 optinuit M 18 in *om.* CBAS

---

4 *priuilegiis*: quorum praecipua ea erant quae ad testamenti factionem pertinebat; v. Dig. xxix. 1. 8 *Pompilius* etc.: Cic. *de Off.* i. 11 § 36. 16 *Marci* etc.: Cic. *de Off.* i. 11 § 37.

in ueritate milites sunt quam sacerdotes et clerici quos ad
b ordines Ecclesia non uocauit. Miles namque sicut laboris ita honoris nomen est. Nemo uero sibi honorem sumit sed qui uocatur a Domino de collato honore gloriatur.

Moyses et fidelis populi duces, cum hostes oportuerat impugnari, eligebant uiros fortes et ad bella doctissimos. Electionem namque ista praeueniunt. Qui uero non electus seipsum militiae ingerit, in se gladium prouocat quem propria temeritate usurpat.

In constitutionem ergo perpetuam incidit quia qui gladium accipit, gladio peribit. Si uero in eo Ciceronis auctoritas recipitur, is non miles sed sicarius recte nominatur. Nam in ueterum scriptis sicarii dicuntur et latrones quicumque lege non praecipiente arma tractant. Arma namque, quibus lex non utitur, legem impugnant.

c Duos gladios sufficere imperio Christiano Euangelii sacra testatur historia; omnes alii eorum sunt qui cum gladiis et fustibus accedunt ut captiuum capiant Christum, nomen eius delere cupientes. Illi ergo quid habent militis, qui uocati ex sacramento non obtemperant legi sed in eo militiae suae gloriam constare credunt, si contemptibile sit sacerdotium, si Ecclesiae uilescat auctoritas, si ita dilatauerint regnum hominis ut Christi imperium contrahatur, si laudes suas praedicent et seipsos falsis praeconiis mulceant et extollant cum irrisione audientium imitantes

---

3 *post* ita *add.* et M   5 Moises S   12 recipitur auctoritas A
16 euuangelii BA   17 hystoria M

---

2 *laboris* etc.: cf. Dig. xxix. 1 § 1 *Miles appellatur . . . a militia i.e. duritia quam pro nobis sustinent.*   3 *Nemo uero* etc.: v. Heb. v. 4. 5 *Moyses* etc.: v. Exod. xvii. 9.   8 *gladium* etc.: v. Matt. xxvi. 52.   11, 12 *Ciceronis auctoritas*: Quem ad locum respiciat Noster, nescio; cf. *in Catil.* i. 10 § 27; constat tamen orationes Ioannem in manibus non habuisse; sed ex libris *de Republica* hodie deperditis hoc desumptum esse suspicari licet; cf. supra, ad iii. 12 (500 A). 13 *latrones*: cf. Dig. l. 16 § 118.   16 *Duos gladios* etc.: v. Luc. xxii. 38; de argumento ex hoc loco a medii aevi doctoribus repetito, cf. Goffridi Vindocinensis *Opusc.* iv (Migne *P. L.* clvii. 220), et S. Bernard. *Ep.* 256, *de Consid.* iv. 3, *ad Milites Templi* c. 3 (Migne *P. L.* clxxxii. 463, 464, 776, 925); v. Friedberg *de finium inter ecclesiam et ciuitatem regundorum iudicio* (Lips. 1861) pp. 20, 21; Gierke *Das deutsche Genossenschaftsrecht* iii. 528.   17 *cum gladiis* etc.: v. Luc. xxii. 52.

militem gloriosum? Horum uirtus in eo maxime elucescit,
si clerum et inermem militiam aut telis aut linguis con-
fodiant. Sed quis est usus militiae ordinatae? Tueri d
Ecclesiam, perfidiam impugnare, sacerdotium uenerari,
pauperum propulsare iniurias, pacare prouinciam, pro
fratribus (ut sacramenti docet conceptio) fundere sangui-
nem et, si opus est, animam ponere. Exultationes Dei in
gutture eorum et gladii ancipites in manibus eorum ad
faciendam uindictam in nationibus, increpationes in populis,
ad alligandos reges eorum in compedibus et nobiles eorum
in manicis ferreis. Sed quo fine? An ut furori uanitati
auaritiae seruiant, an propriae uoluntati? Nequaquam.
Sed: Vt faciant in eis iudicium conscriptum; in quo quis-
que non tam suum quam Dei angelorum et hominum se-
quitur ex aequitate et publica utilitate arbitrium. Vt
faciant, inquam; quia, sicut iudicum dictare iudicium, ita 601 a
et istorum faciendo exercere officium est. Vtique: Gloria
haec est omnibus sanctis eius. Nam et haec agentes mili-
tes sancti sunt et in eo fideliores principi quo seruant
studiosius fidem Dei; et uirtutis suae utilius gloriam pro-
mouent, quo fidelius Dei sui in omnibus gloriam quaerunt.

Cap. 9. *Quod fides Deo debita sit cuiuis homini praeferenda, nec seruatur homini nisi Deo seruetur.*

Nec refert fideli quis militet an infideli, dum tantum militet fide incolumi. Diocletiano et Iuliano et aliis impiis leguntur militasse fideles et eis in defensione rei publicae tamquam principibus fidem exhibuisse et reuerentiam.

1 maxime in eo A[1] 2 linguis aut telis M

1 *militem gloriosum*: qualis est Terentianus Thraso; cf. supra c. 3 (594 B seqq.). 3 *Tueri* etc.: cf. Petrum Blesensem Ioannis nostri discipulum, *Ep.* 94 (Migne *P. L.* ccvii. 294) *Sed et hodie tirones enses recipiunt de altari, ut profiteantur se filios Ecclesiae, atque ad honorem sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad uindictam maleficiorum et patriae liberationem gladium accepisse.* 7 *Exultationes* etc.: Ps. cxlix. 6–8; *exaltationes* habet Vulg.; v. Sabatier ad loc. 13 *Vt faciant* etc.: Ps. cxlix. 9. 17 *Gloria* etc.: Ps. cxlix. 9. 22 Cum cap. 9 cf. S. Anselmi ad Willelmum II de fide Deo et regi debita orationem ap. Eadmer. *Hist. Nov.* ii (Migne *P. L.* clix. 401).

b Impugnabant enim hostes imperii, sed mandata Dei seruabant; si uero praecipiebantur temerare legem, Deum homini praeferebant. Sedebant principes et accusabant eos; illi exercebantur in iustificationibus Domini, constanter loquentes et agentes sine confusione mandata eius cum omni fiducia. Dauid quoque militasse legitur Achis et fidem et reuerentiam militantis implesse.

Haec autem omni militiae formula praescribenda est et implenda ut Deo primum fides debita, deinde principi et rei publicae seruetur incolumis. Et semper maiora praeiudicabunt minoribus, quia nec rei publicae nec principi fides seruanda est contra Deum sed secundum Deum, sicut habet ipsa conceptio militaris sacramenti. Vnde plurimum miror si quis princeps illis habeat fidem quos uidet Deo
c suo, cui (ut cetera taceam) etiam sacramento militiae obligati sunt, fidem debitam non seruare. Quonam morbo rationis laborat qui eum sibi fidelem fore credit quem uidet esse corruptum et perfidum in illum cui plurimum debet? Sed timet principem; certe, si fortior superuenerit, praetimebit et illum. Amatur forte princeps; at, si benignior et beneficentior apparuerit, et illum praeamabit. Non est quo se non uertat impius qui hominem Deo praefert; nequaquam seruabit fidem secundam qui primam irritam facit.

Cap. 10. *De priuilegiis militum, et quod sacramento astricti sunt Ecclesiae, et quare gladius offeratur altari.*

d Recte uero militantium priuilegia multa sunt, quae de iure antiquo latius patent. Nam et liberiores sunt et pluribus immunitatibus gaudent. Ab angariis et parangariis et sordidis muneribus alieni, iura quoque licenter ignorant et, licet in potestate sint, in castrensi peculio

---

11, 12 fides principi M   13 sacramenti militaris A[1]   18 plurium S   28 liberiores] uberiores M

---

3 *Sedebant* etc.: v. Ps. cxviii. 23.   6 *Dauid* etc.: v. 1 Reg. xxvii. 2 seqq.   19 *si fortior superuenerit*: v. Luc. xi. 22.   29 *Ab angariis* etc.: v. Dig. l. 5. 10 § 2; Cod. Iustin. x. 47. 12, xii. 16. 3; Dig. xxix. 1, xlix. 17.

testari possunt et ex publica solicitudine, quod maximum est, non permittuntur egere, et in hunc modum plurima quae longum est enarrare. Licet autem sint qui sibi non teneri uidentur Ecclesiae ex sacramento solenni, quia iam ex consuetudine plerumque non praestatur, nullus tamen est qui sacramento tacito uel expresso Ecclesiae non teneatur obnoxius. Et forte ideo cessat solennitas iuramenti, quia ad hoc omnes inuitat et coartat necessitas officii et sinceritas fidei. Vnde iam inoleuit consuetudo solennis ut 602 a ea ipsa die, qua quisque militari cingulo decoratur, ecclesiam solenniter adeat gladioque super altare posito et oblato quasi celebri professione facta seipsum obsequio altaris deuoueat et gladii, id est officii sui, iugem Deo spondeat famulatum.

Neque necesse est ut hoc profiteatur uerbo, cum legitima professio militiae facto eius uideatur inserta. Quis enim in homine illitterato et qui magis arma debeat nosse quam litteras professionem exigat litteratam? Nam episcopi et abbates professione scripta uel dicta ad fidem et obedientiam uidentur artari; et reuera artantur, quia Deo mentiri non licet.

Sane aut plus est aut non minus quod milites faciunt qui non cedulam sed gladium offerunt et quasi primitias officii redimunt ab altari; unde Ecclesiae in perpetuum b famulentur; nam, sicut eis pro Ecclesia plurimum, ita contra Ecclesiam licet nichil. Refert Lucas quod milites ut baptizarentur accesserunt ad Iohannem interrogantes: Magister, quid faciemus et nos? Et ait illis: Neminem concutiatis neque calumpniam faciatis; et contenti estote stipendiis uestris.

---

4 sollempni CBS: sollenni A 7 sollennitas A: sollempnitas S 9 sollennis A: sollempnis S 11 sollenniter A: sollempniter S 15 legittima SM 18, 19 episcopi et] et ipsi P 23 scedulam AM

---

9 *Vnde iam* etc.: v. Petri Blesensis loc. cit. supra c. 8 (600 D); cf. Catalan. *Pontif. Roman. commentariis illustr.* i. 421. 20, 21 *Deo mentiri non licet*: v. Ios. xxiv. 27. 23 *cedulam*: i. e. *schedulam*; v. Du Cange s. v. *schedula testamentalis*: 'charta qua donatio aut pactio asseritur.' 26 *Refert Lucas* etc.: v. Luc. iii. 14.

Fidelis sermo et omni acceptione dignus, qui deceat praeambulum gratiae, praeconem ueritatis, Domini praecursorem. Nouerat enim manum militarem promptam ad iniurias, rapinis assuetam et cui numquam aut raro sufficiunt sua quin appetat aliena. Concussione ergo prohibita exclusit iniurias, rapinas exterminauit exclusa calumpnia.
c Auaritiam quoque dampnauit dum praecepit unumquemque contentum esse stipendiis suis. Sicut enim dictum est, militem egere non licet, cui, dum militat, militiae suae praestantur stipendia et, cum emeritus est, praedia uel alimenta, quoad necessitas exigit, de publico prouidentur.

Cap. 11. *Quod milites durius castigandi sunt, si militiae lege contempta priuilegiis abutuntur.*

Si uero contra prohibitionem Iohannis et legitimas sanctiones in furta dilabitur et rapinas, durius castigandus est ut qui semper ferrum duraque tractauit; et ita cohibenda est audacia eius ut in seipso discat quanta animaduersione feriendi sint qui legem impugnant quam sus-
d ceperant defendendam. Sicut enim multis immunitatibus et eminentioribus priuilegiis militia gaudet, ita acerbioribus penis subdenda est, si sua demeruisse priuilegia conuincatur. Nec in ea sibi parte prodest ignorantia iuris, cum etsi iura publica permittatur, suum tamen officium non liceat ignorare. Licet enim sacerdos in ordinatione ordinis sui difficultatem ignoret, eo ipso quod sine contradictione oneroso succedit officio, suscepti sacerdotii onera cogitur sustinere. Si uero negligit aut malignatur, corripitur grauius; eo quod maiori pena digni sunt ii quibus cum multum debeatur honoris aut occulto aut manifesto inueniuntur in crimine. Aliter tamen crimina, aliter puniuntur
603 a excessus, quoniam illa plerumque penam irrogant sanguinis,

6 calupnia A 14 legittimas BSM 16 tractauerit M 18 sunt AM 28 hii M

1 *Fidelis* etc.: 1 Tim. i. 15. 14 *Iohannis*: sc. Baptistae; v. supra c. 10. 23, 24 *etsi iura publica permittatur ignorare*: v. Cod. Iustin. i. 18. 1; cf. Dig. xxix. 1. 1.

haec quasi medicinalem pro qualitate delicti exigunt curam. Ipsa uero nunc simplex est, nunc quasi quandam acrimoniam miscet.

Verumtamen, cum in omni professione disciplina necessaria sit, nusquam magis quam in clero et re militari; at res militaris, quae minus exercitatur in spiritu, acerbius est corporaliter punienda.

Nichil est autem quod utramque magis impugnet quam luxuria, quia omnis intemperantia ordinationi plurimum aduersatur. Porro, ubi ordo non est, confusio locum habet et, nisi reprimatur correctionis stimulo procul dubio ignominiam ex necessitate importat. Quid enim faciet fortiter quem luxuria et intemperantia non tam exarmauit quam exanimauit? Quartus liber Strategemmaticorum Iulii Frontini refert quod Publius Scipio ad Numantiam corruptum b superiorum ducum socordia exercitum correxit dimisso ingenti lixarum numero, redactis ad munus cotidiana exercitatione militibus, quibus cum frequens iniungeret iter portare complurium dierum cibaria imperabat ita ut frigora et imbres pati, uada fluminum pedibus traicere assuesceret miles, exprobrante subinde imperatore timiditatem et ignauiam frangenteque delicatioris usus ac parum necessaria expeditioni uasa. Quod maxime nobiliter accidit Gaio Nummio tribuno, cui dixisse traditur Scipio: Michi paulisper, tibi et rei publicae semper nequam eris.

Quintus Metellus bello Iugurtino similiter lapsam militum disciplinam pari seueritate restituit, cum insuper prohiberet alia carne quam assa elixaue milites uti. Philippus, c cum primum exercitum constitueret, uehiculorum usum omnibus interdixit, equitibus non amplius quam singulos lacones habere permisit, peditibus autem denis singulos

4 Verumptamen A 14 strategematicorum C¹M 22 frangentemque CBM

15 *Publius* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 1 § 1. 24 *Nummio*: potius *Memmio.* 26 *Quintus* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 1 § 2. 28 *Philippus* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 1 § 6. 31 *lacones*: sic (pro *calones*) etiam codices Frontini optimi; cf. supra c. 3 (594 c).

qui molas et funes ferrent; in estiua exeuntibus triginta dierum farinam collo portari imperauit. Gaius Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maxime exercitus agmen oneratur, uasa et cibaria militis in fasciculos aptata furcis praeposuit, sub quibus et habile onus et facilis requies esset; unde prouerbium natum est: Multi milites Mariani.

Lisander Lacedemonius egressum uia quendam castigabat. Cui dicenti ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse respondit: Ne speciem quidem rapturi praebeas d uolo. Publius Nasica in hybernis, quamuis classis usus non esset necessarius, ne tamen miles desidia corrumperetur aut per licentiam otii sociis inferret iniuriam, naues edificare instituit.

Idem quoque Frontinus inter multa constantiae insignia refert quod Cassilini obsidente Hannibale tantam inopiam perpessi sunt ut murem ueniisse centum denariis memoriae proditum sit eiusque uenditorem fame periisse, emptorem autem uixisse et in tanta angustia fidem seruasse Romanis. Petilini a Penis obsessi parentes et liberos propter inopiam eiecerunt, ipsi coriis madefactis et igne siccatis foliisque arborum et omni genere animalium uitam trahentes un- 604 a decim menses obsidionem tolerauerunt. Hispani Fabrenses omnia eadem perpessi sunt nec tamen oppidum Herculeio tradiderunt. Cizium cum oppugnaret Metridates, captiuos eius urbis produxit ostenditque obsessis, arbitratus futurum ut miseratione suorum ad deditionem compelleret opidanos.

17 uenisse M 22, 23 xi. M 24 opidum A 25 obpugnaret C mitridates A 27 oppidanos A

2 *Gaius Marius* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 1 § 7. 6 *Multi*: sic (pro *muli*) et Ioannis et (ut testatur Gundermannus) Frontini codices optimi; de *mulis Marianis* cf. Paul. Diac. ap. Fest. ed. Mueller. p. 24. 2. et p. 148. 6. 8 *Lisander* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 1 § 9. 11 *Publius* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 1 § 15. 16 *Cassilini* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 5 § 20. 19 *et in tanta* etc.: *fidem tamen seruare Romanis perseuerauerunt* Frontinus. 20 *Petilini* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 5 §§ 18, 19. 23 *Fabrenses*: de lectione v. Gundermanni app. crit. in Frontini editione Teubneriana. 24 *Herculeio*: *Hirtuleio* Frontin. 25 *Cizium* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 5 §§ 21–23. *Cizium*: *Cyzicum* Frontin.

At illi, cohortati captiuos ad mortem fortiter excipiendam, fidem seruauere Romanis. Egloninenses, cum a Iuriato his liberi et coniuges redderentur, praeoptauerunt spectare supplicia pignorum suorum quam a Romanis deficere. Numantini, ne se dederent, fame mori praefixis foribus domuum suarum maluerunt; uicissentque Romanos auctore Orosio nisi illi sub Scipione pugnassent.

Cap. 12. *Quod uaria animaduersio procedit in eos qui* b
duci non obtemperant, et quatenus debeat obediri; et in quibus mandatis locum habeat examinatio militaris, in quibus non.

In eos uero qui ducis aut legis non obtemperabant arbitrio uaria animaduersio procedebat. Nam alii in fortuna, in fama alii, alii in sanguine puniuntur. Frontinum relege et usquequaque ita esse inuenies. Nam Aurelius Cotta consul, cum ad opus equites necessitate cogente iussisset accedere eorumque pars detrectasset imperium, questus apud censores effecit ut a patribus notarentur, deinde optinuit ne eis praeterita era procederent; tribuni quoque plebis de eadem re ad populum pertulerunt, omniumque consensu stabilita est disciplina. Quintus Metellus Macedonicus in Hispania quinque cohortes, quae hostibus c
cesserant, testamentum facere iussas ad locum recuperandum remisit, minatus non nisi post uictoriam receptum iri. Senatus, cum milites Publii Valerii turpiter fugati essent, decreuit ne ei auxilia submitterentur nisi uictis hostibus. His uero legionibus, quae Punico bello militiam detrectauerant, in Siciliam uelut relegatis per septem

7 cipione A 11 *post* militaris *add.* et S[2] 14 alii in fama M
27 Hiis S 28 siciliam A[2]: ciciliam SM vii. M

2 *Egloninenses*: potius *Segonienses*; v. Gundermanni app. crit. ad Frontinum. *Iuriato*: i.e. *Viriatho*. 6 *uicissentque* etc.: v. Oros. *Hist.* v. 7 § 15. 15 *Aurelius* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 1 §§ 22–25. 26, 27 *nisi uictis hostibus. His uero legionibus*; de lectione v. Gundermanni app. crit.

annos ordeum ex Senatus consulto datum est. Apii Claudii sententia senatusque consultum omnes qui a Pirro rege Epirotarum capti et postea remissi erant equites ad peditem redegit, pedites ad leuem armaturam, omnibus extra uallum iussis tendere donec bina hostium spolia singuli referrent.
d Haec Frontinus. At Plinius asserit quia fuit haec quoque antiquitus animaduersio militaris, iubere ignominiae causa militi uenam solui et sanguinem dimitti; cuius rei rationem etsi in ueteribus literis non potuerit inuenire, hoc tamen primo factum opinatur in militibus stupentis animi et a naturali habitu declinantis ut non tam pena quam medicina uideretur, postea tamen ob pleraque alia delicta id factitatum esse credit per consuetudinem, quasi minus sani uiderentur omnes qui contra officium delinquerent. Nam leuioris culpae non erat ignominiosa animaduersio, etsi nec illa ex uigore disciplinae militaris dissimulationi locum relinqueret. Veteres quoque Grecos anulum habuisse in sinistrae manus digito qui minimo proximus est celeberrime traditur.

605 a Romanos quoque homines aiunt sic plerumque usitatos anulis; causamque huius rei Apion in libris Egyptiacis dicit, quod in sectis apertisque corporibus, ut mos fuit, quas Greci anatomas uocant, repertum est quendam tenuissimum neruum ab eo uno digito, de quo diximus, ad cor hominis pertingere ac peruenire; uisumque esse eum potissimum digitum tali honore decorandum, qui continens et quasi connexus cum principatu cordis uideretur. Vnde et quasi excordes arbitrati sunt curandos aut puniendos qui in militare officium deliquissent. Vt redeam ad Frontinum, Crassus a Sempronio Asello et plerisque aliis

4 pedites *ex Frontino suppleui* 21 egiptiacis S 22 apertum M 23, 24 tenuissimum quendam A[1] 27 conexus SM

1 *Apii* etc.: Frontin. *Strateg.* iv. 1 § 18. 1, 2 *Apii Claudii sententia senatusque consultum*: *A. C. sententia* (abl. casu) *senatus* Frontinus. 6 *Plinius*: potius *Agellius*. *fuit haec* etc.: Gell. x. 8. 17 *Veteres quoque* usque ad *uideretur* (605 A): Gell. x. 10 (quibusdam omissis). 25 *pertingere*: *pergere* Gellius. 29, 30 *Vt redeam ad Frontinum*: Non ad Frontinum, sed ad Gellium redit Ioannes. 30 *Crassus* etc.: Gell. i. 13 §§ 10, 11.

historiae Romanae scriptoribus traditur habuisse quinque rerum bonarum maxima et praecipua; quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iuris b consultissimus, quod pontifex maximus. Is, cum in consulatu optineret Asiam prouinciam et circumsidere atque oppugnare Leucas pararet opusque esset firma atque procera trabe qua arietem faceret quo muri opidanorum quaterentur, scripsit ad Magnum Gaium maiorem Atheniensium sociorum amicorumque populi Romani ut ex malis duobus, quos apud eos uiderat, uter maior esset ei mittere procuraret. Tunc Magnus Gaius, comperto quamobrem malum desiderasset, non, uti iusserat, maiorem, sed quem magis esse idoneum aptioremque faciendo arieti facilioremque portatu existimabat, minorem misit. Crassus eum uocari iussit et, cum interrogasset cur non quem iusserat misisset, causis rationibusque quas dictabat spretis uestimenta de- c trahi iussit uirgisque multum cecidit, corrumpi atque dissolui ratus omne officium imperantis, si quis ad id quod facere iussus est non obsequio debito sed consilio non desiderato responderit.

Quid quaeso amplius in monachum artioris regulae dictasset abbas seuerus? In eo namque solo deliquerat quod non paruerat mandato, etsi forte reipsa utilius esset quod fecit. Nam sicut in religione degentibus praelatorum mandata, dum praeceptionem perpetuam non impugnant, a subiectis non oportet discuti sed impleri; sic in re militari circa mandata ducis nulla est examinatio militaris, nisi forte quod praecipitur expressim saluti rei publicae inueniatur aduersum. Nam in eo non obtemperat nisi perfidus d

1 hystorie B: hystoriae M v. S 5 asyam M 6 firma] summa M 7 oppidanorum M 26 oporteat A 28 expressum CBA

8 *Magnum Gaium maiorem Atheniensium*: De huius loci lectione v. Hertzium in ed. mai. Gellii (Berol. 1883) i. pp. 80, 81, qui Gellium *ἀρχιτέκτονα Mylattensium* scripsisse putat. Videtur Ioannes *maiorem* (cuius uocabuli auctorem alium non invenit Hertzius) pro magistratus nesciocuius titulo accepisse. *Maiores* tamen quos vocant *communiarum* (Gallice *maires*, Anglice *mayors*) in Gallia ante a. 1173, in Anglia autem ante a. 1193 exstitisse nusquam legimus; v. Giry *Les Établissements de Rouen* i. p. 28, Round *The Commune of London* p. 225.

et impius miles. Quid enim iniquius, quid detestabilius quam sine fidei reuerentia aggredi quicquid dictauerit imperator? Nonne apud omnes uox funesta est et crudelis plenaque perfidiae:

Pectore si fratris gladium iuguloque parentis
condere me iubeas plenaeque in uiscera partus
coniugis, inuita peragam tamen omnia dextra;
castra super Tusci si ponere Tybridis undas,
Esperios audax ueniam metator in agros.
Tu quoscumque uoles in planum effundere muros,
his aries actus disperget saxa lacertis,
illa licet penitus tolli quam iusseris urbem
Roma sit.

Quid nequius dici potuit et unde magis deberet, si fidelis esset, Romanus imperator offendi? In eo namque sceleratus
606 a miles fidei suae fidem facere studuit unde seipsum maxime infidelem et perfidum esse conuicit. Magna quidem reuerentia debetur duci, sed fidei religione seruata. Quaedam ita necessaria sunt ut mandatum non expectent; alia sic detestabilia ut nullum omnino mandatum admittant. Media quidem, quae neque sunt necessaria bona nec detestabilia mala, consistunt in arbitrio praesidentis. Velit nolit praefectus, ex necessitate boni diligendus est Deus. Velit nolit praefectus, ex malitia iniquitatis est adulterium declinandum. At militare uel non militare, egredi uel non egredi, ceteraque quae philosophi indifferentia reputant, ad praepositi diligentiam et reuerentiam spectant. In his nisi mandato
b praesidentis oculum aperire instar criminis est, aut ex scientia sua ad cuiuscumque operis fructum manum irreuerenter extendere. Sit cecus in hac parte subiectus ut uiuat, quia quacumque die quasi ex propria discretione ad arborem scientiae, quam sibi et praelatis reseruat Dominus, temerariam manum miserit, laqueum mortis incurrit. Quid enim bonum aut malum in talibus sit non licet iudicare subiectis, dum plena reuerentia praepositis exhibeatur et fidelis obedientia mandatorum.

---

19 non] nec M

---

5 *Pectore* etc.: Luc. *Phars.* i. 376–378, 381–386. 17, 18 *Magna reuerentia debetur*: v. Iuv. *Sat.* xiv. 47. 31 *quacumque die* etc.: v. Gen. ii. 17.

Militem ergo in omnibus his quae ad statum publicum pertinent nichil omnino temptare licet nisi ducis iussu uel licentia quod ipse faciendum decreuerit roboretur. Vnde hi plerumque, qui ducum contempto uel non expectato imperio congredientes cum hoste rei publicae uictoriam contulerunt, saepe non tam gloriam assecuti sunt de uictoria c quam de temeritate uel negligentia penam. Quid ergo merebitur transfuga stationisue desertor, si ex disciplina militari tanta seueritate corripitur triumphator?

In Strategemmatibus Iulii inuenitur Clearcum Lacedemoniorum ducem dixisse imperatorem exercitui potius timendum esse quam hostem, eo quod qui in praelio dubiam mortem timuerant, eos statione relicta certum manebat supplicium. Lucius Papilius Cursor Fabium Ruptilium magistrum equitum, quod aduersus dictum eius quamuis prospere pugnauerat, uirgis poposcit caesum securi percussurus; nec contentioni aut precibus militum concessit animaduersionem, eumque profugientem Romam persecutus d est; ne ibi quidem remisso prius supplicii metu quam ad genua eius et Fabius cum patre prouolueretur et pariter senatus ac populus rogarent. Et ne eum credas hoc fecisse ex odio praecedenti, Mallius, cui Imperioso postea cognomen fuit, filium, quod is contra edictum patris cum hoste pugnauerat, quamuis uictorem in conspectu exercitus uirgis caesum securi percussit. Fuit autem disciplina militaris sicut rei publicae necessaria, ita et omnibus gratiosa, adeo quidem ut Mallius filius pro se aduersus patrem exercitu seditionem parante negauerit tanti esse quemquam ut propter illum corrumperetur disciplina militiae et optinuit ut ipsum puniri paterentur. Apius Claudius ex iis qui loco cesserant

10 strategematibus M 14 suplicium S 19 remissio $C^1B^1A^1$
29 obtinuit CB 30 hiis A: his M

10 *Iulii*: sc. Frontini. *Clearcum* etc.: v. Frontin. *Strat.* iv. 1 § 17. 14 *Lucius* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 39. *Ruptilium*: infra *Rutilius* vel *Rutilus* vocatur idem, cui *Rullus* seu *Rullianus* vere agnomen fuit. 22 *Mallius* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 40. *Mallius*: potius *Manlius*. 27 *Mallius filius* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 41. 30 *Apius* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 34.

a decimum quemque militem sorte ductum fuste percussit. Fabius Rutilius consul ex duabus legionibus, quae loco cesserant, uicenos sorte ductos in conspectu militum securi percussit. Idem ternos ex centuriis, quarum statio ab hoste perrupta erat, addixit securi. Quintus Fabius Maximus transfugarum dextras praecidit. Marcus Cato tradidit in furto comprehensis inter commilitones dextras esse praecisas aut, si benignius in reum animaduertere uoluissent, in principis sanguinem missum. Seditio quoque securim prouocat, ita tamen ut pro arbitrio ducis in pena paucorum securitas et quies rei publicae reformetur. Iulius Cesar orta seditione militum paucis percussis castra sedasse legitur et fidem militum reparasse.

b Cap. 13. *Quare cingulo priuentur milites, et quod exauctoratus non habet aliquod cum gladio teloue commercium, et quare gladius insertus est cingulo.*

Fit interdum ut ex delicto suo priuentur milites militiae cingulo, in his maxime ubi sacrilegia committuntur. Veteri namque iure statutum est et nouo non est abolitum ut qui non seruato militiae sacramento religionem quam profitetur impugnat cinguli amissione multetur. Fertur hoc edicto Iulius compescuisse militem suum, quando urbem ingressis non licuit homines spoliare aut templa deorum, quod ei postmodum ingrauescente seditione improperauit; numini-

2 rutilus CBA[1]   7, 8 prescisas M (*uel* -perant)   17 priuetur miles M
18 comittuntur S   24 improperauit A: improperant SM

2 *Fabius* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 35.   3 *uicenos*: apud Frontinum deest; v. Gundermanni praef. § 7.   4 *Idem* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 36.   *Idem*: *Aquilius* Frontin.; id est, M'. Aquilius qui anno a. Chr. 101 consul erat, et a. 88 Mithridatis iussu interfectus est.   5 *addixit securi*: *securi percussit* Frontin.   *Quintus Fabius* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 42.   6 *Marcus Cato* etc. usque ad *missum*: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 16.   8 *si benignius*: *si lentius* Frontini codices meliores habent, *si leuius* deteriores; *si lenius* coniecit Lipsius, quem sequitur Gundermannus in ed. Teubneriana; ubi v. app. crit.   9 *principis*: rectius *principiis*; v. Gundermanni app. crit.   11 *Iulius Cesar* etc.: v. Frontin. *Strat.* iv. 5 § 2.   17 *Fit interdum* etc.: v. Cod. Iustin. i. 1. 4.   21 *Fertur* etc.: Vnde haec desumpserit Noster, nescio.

bus namque Romanis ciuibusque iurati impugnare non poterant quos sacramento militiae susceperant defendendos. c Sic quoque Gaius Curio bello Dardanico circa Dirachium, cum unam de quinque legionibus seditiosam uidisset, eam procedere iussit inermem discinctamque in conspectu armati exercitus stramenta coegit secare, postremo autem die similiter fossam discinctos milites facere; nullisque precibus legionis impetrari ab eo potuit ne signa eius summitteret nomenque aboleret; milites autem in supplementum aliarum legionum distribuit. Non enim restituebantur qui meruerant priuari cingulo, antequam eos prae ceteris uirtutum merita insignirent. Milites qui, ex Cannensi pugna cedentes, in Ciciliam fuerant relegati postulauerant a Marco Marcello consule ut in praelium ducerentur. Ille senatum d consuluit, senatusque negauit placere sibi eis committi rem publicam qui eam deseruissent. Marcello tamen permisit facere quod uideretur; lege tamen praescripta ne quis eorum munere uacaret neue donaretur praemio aut honore aut reportaretur in Italiam, dum Peni in ea fuissent. Dum uero cingulo spoliati sunt, eis nec era procedunt, nec militaribus priuilegiis gaudent nec habent aliquod cum gladio teloue commercium. Ideoque prouida constitutione maiorum est gladius insertus cingulo ut collato honore cinguli potestas quoque ipsius gladii aliquatenus intelligatur collata. Et recte cingulo decoratur ad militiam quisquis accedit, quia eum expeditum esse ad munia rei publicae officii sui necessitas exigit. Accingi namque solet cui 608 a gerenda imminent; et cui uacatio datur licet esse discinctum. Vnde illud in libro Regnorum: Non aeque glorietur accinctus ut discinctus; quia solicitudo laboris imminentis gloriandi licentiam non admittit et otiandi libertas et securitas quietis plerumque extollentiam parit. Cingulum

8, 9 submitteret SM 30 accintus A

3 *Gaius Curio* etc. usque ad *distribuit*: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 43. 6 *postremo*: *postero* Frontin. 12 *Milites* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 1 § 44. 13 *Ciciliam*: *Siciliam* Frontin. 17 *lege tamen praescripta*: *dum* Frontin. 29 *Non aeque* etc.: 3 Reg. xx. 11.

ergo indicium est laboris, labor honoris meritum, ut liqueat omnibus quod qui laborem indictum militiae subire detrectat, honorem gladii in militari cingulo frustra portat. Ipsius quoque cinguli cassa est significatio nisi fidem eius roboret et solidet labor. Videas multos cinguli honore tumentes, sed nisi honorem laboriosa impleant merita idem est ac si pro solida substantia quis uenditet spumam. Profecto
b dignus est priuilegium perdere qui concessa sibi abutitur potestate. Abutitur autem quis uel non faciendo quod oportet uel faciendo quod fieri non oportet et, cum utrumque sit malum, ut dicitur, peccatum delicto grauius esse solet. Delinquit enim qui non implet officium; sed plane peccat quisquis committit contrarium. Albo siquidem nigrum magis opponitur quam non album, et tristitia letitiam magis impugnat quam spes aut timor, quae neque in letitiae rationem cadunt nec ei maxime aduersantur. Et cingulo quidem abutitur tam ille qui non implet quod oportet ex militiae sacramento tamquam ille qui impugnat militiae sacramentum. Delinquit tamen grauius qui impugnat, sicut
c hostis uerus ignauo milite odibilior est. Vnde qui rem publicam et inermem manum militaribus armis impugnat iustissime exauctoratur, tamquam ille qui figuram hostilem induerit. Sed prae ceteris omnibus diuino et humano iure grauius feriuntur sacrilegi et hi qui uariis perturbationibus impugnant Ecclesiam Dei, quibus lex non praecisionem dexterarum sed penam irrogat capitalem. Si patrocinium illorum assumant Cicero et Demostenes, si in defensione eorum linguam acuat et totius ingenii sui uires exhauriat Quintilianus, si iura uiguerint, quod post Deum in manu principis est, fortunas eorum et capita quin legitimis suppliciis feriantur tueri non poterunt. Quod si gladium

7 uendicet M   25 prescisionem SM   30 legittimis BSM

7 *Profecto* etc.: ex Simplicio papa citat Grat. *Decret.* I. lxxiv. 7, II. xi. 3 c. 63 (Friedberg i. 263, 660).   12 *Delinquit* etc.: cf. Isid. *Diff.* i. 172 (Migne *P.L.* lxxxiii. 28) *Delictum quidam leue putauerunt esse peccatum, quasi negligentia derelictum, iniustitiam uero immane aliquod saeuumque commissum.*   26 *capitalem*: v. Dig. xlviii. 13 § 9 *Sacrilegi capite puniuntur.*

suum aduersus tales non exerit princeps, in seipsum pro- d culdubio prouocat gladium bis acutum quem in ore suo gerit Filius hominis, gladium utique qui uiuus et efficax est, qui corpus findit et animam et mittit in gehennam; ad quem obtusus est omnis gladius et omnis armatura fragilis fluida et infirma praeter illam quam sola construit gratia in bonorum fabrica meritorum. Sunt tamen plurimi qui malorum clamore operum, quando militiae consecrandi cingulum altari obtulerunt, uidentur protestari se eo tunc animo accessisse ut altari et ministris eius sed et Deo, qui ibi colitur, bellum denuntiarent. Facilius crediderim hos malitiae execratos quam ad legitimam militiam consecratos.

Cap. 14. *Quod disciplina militaris plurimum prodest, et quid militiam maxime frangit.* 609 a

Proinde necessaria est disciplina militaris, cuius quanta sit utilitas non facile dixerim. Vt enim dictum est, Romanis adeo profuit disciplina ut orbem suae subicerent ditioni. Alexander quoque Macedo exiguam manum militarem suscepit a patre sed doctam, qua assuefacta militiae orbem terrarum aggressus innumeras hostium copias fudit.

Xerses a trecentis Lacedemoniorum ad Termopilas uexatus, cum eos manu infinita, plurimisque suorum amissis uix confecisset, in eo se deceptum dicebat quod multos quidem homines haberet, uiros autem disciplinae tenaces nullos. Hoc equidem uere dixit, quod et fuga illa testatur qua b apud Salaminam turpiter uictus qui tot gentes in bella trahebat ut duces non possent facile numerari, uix una

5 optusus A 6 *post* fragilis *add.* et M 7 tamen] autem M 9 optulerunt A 10 et *ante* ministris *inserui*: *om.* CBASM 12 exerecratos B 20 asuefacta C[2]AS

2 *gladium bis acutum* etc.: v. Apoc. i. 16; Heb. iv. 12; Luc. xii. 5. 17 *dictum est*: supra c. 2 (593 A). 19 *Alexander* etc.: v. Frontin. *Strat.* iv. 2 § 4. 22 *Xerses* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 2 § 9. 24 *in eo*: *hoc* Frontin. 26 *Hoc equidem* etc.: Quo auctore quae sequuntur de modo exercitus Xerxis numerandi narret Ioannes, adhuc nescio.

naue euasit. Fertur enim quod duces exercitus eius non consueuerit prae multitudine aliter numerare quam singulis telis receptis a singulis, ut ex numero telorum ducum quoque numerus teneretur. Est autem dux usquequaque inutilis apud quem disciplina non uiget; et frustra sperat uictoriam qui animos manusque militum assidue non exercet. Miles subitus subito deserit ducem et laborem ferre non sustinet quem continuus non exercuit labor. Cesaris animum fiducia roborauit quod ei res erat aduersus militem subitum ducemque emeritum et qui longa pacis quiete dedidicerat ducem. Sed et ubi uictoria desperatur, c ad spem uindictae erigendus est animus. Est enim interdum

una salus uictis nullam sperare salutem,

et ut se uictores putent si qui non moriantur inulti. Magni namque muneris loco est satiari ultione; et dispendium uitae uindictae solatio compensari. Facile assumit pugnandi necessitatem cui fugiendi imponitur difficultas. Audaciores sunt qui bellum inferunt et saepe alii, dum honeste uiriliterque mori cupiunt, feliciter uincunt. Audentes namque Fortuna iuuat et, ut pugnae discrimen imminet,

degeneres animos timor arguit,

d quo nichil ignominiosius est his qui nomen et officium militiae profitentur. Timidos namque grauissime lex militaris percellit.

Duci quoque in re militari diligentissime praecauendum est

ne Venus et uinum pugnantia pectora frangant.

---

20 cupiunt mori A[1]

---

10 *longa* etc.: v. Luc. *Phars.* i. 130, 131. 14 *una salus* etc.: Verg. *Aen.* ii. 354. 15 *moriantur inulti*: v. Hor. *Sat.* ii. 8. 34. 21 *Audentes Fortuna iuuat*: Verg. *Aen.* x. 284. 23 *degeneres* etc.: Verg. *Aen.* iv. 13. 29 *ne Venus* etc.: v. Ov. *Fast.* i. 301 *Non Venus et uinum sublimia pectora fregit.*

Semper enim uincit luxuria, sed eos dumtaxat quos ante corrumpit; eoque studiosius fugienda est quo in clientelam suam acerrime seuit. Antiochus tantae luxuriae et superfluitatis instruxit exercitum ut etiam gregarii milites auro caligas facerent proculcarentque materiam cuius amore populi dimicant.

Gens quoque Parthorum saepissime superatur eo quod luxuriosissima est. Nam

> quicquid ad Eoos tractus mundique teporem
> ibitur, emollit gentes clementia celi. 610 a

Solent non in acie cominus praeliari sed, quoad possunt, hostem eminus ledunt. Obsessas urbes mora et uiribus nesciunt expugnare. Pugnant autem procurrentibus equis aut terga dantibus, saepius etiam simulantibus fugam. Signum his ex antiquo more non tuba sed timpano datur; nec pugnare diu possunt, quia intolerabiles essent si quantus est eorum impetus, tanta esset perseuerantia. Natura taciti, ad faciendum quam ad dicendum promptiores, in cibum parci, fides dicti promissique nulla, principibus metu non pudore uel religione parent. Principatus uero quem corrumpit luxuria, diu stare non potest aut, si steterit, b opprimente iudicio Dei euomet quicquid immoderatio luxuriae hausit. Modum siquidem sui nescit nec ante intemperantiam reprimit quam ex indulgentiore licentia in extremam turpitudinem prolabatur.

Assiriorum discute plagas et historiarum testimonio conuinces regna eorum impulsu luxuriae esse subuersa. Inter cetera refert Trogus quod postremus rex Assiriorum regnauit Sardanapallus uir muliere corruptior. Ad hunc uidendum (quod nemini ante eum permissum fuerat) praefectus, cum admitti magna ambitione egre optinuisset,

---

2 quo] quod SM 11 comminus S 13 procurentibus S 18 promtiores A 26 hystoriarum M

---

3 *Antiochus* etc.: v. Iustin. xxxviii. 10 § 3. 9 *quicquid* etc.: Luc. *Phars.* viii. 365, 366. 11 *Solent* etc.: v. Iustin. xli. 2 §§ 7, 8. 17 *Natura* etc.: v. Iustin. xli. 3 §§ 8–10. 28, 29 *postremus regnauit* etc.: Iustin. i. 3 §§ 1–5, quibusdam tamen omissis.

inuenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, muliebri habitu (cum mollitie corporis et oculorum lasciuia omnes feminas anteiret) pensa inter uirgines partientem. c Quibus uisis, indignatus tali feminae tantum uirorum iri subiectum tractantesque ferrum et arma habentes parere progressus ad socios quid uiderit refert. Negat se ei parere posse qui se feminam mallet esset quam uirum. Fit igitur coniuratio; qua ille audita in aulam regiam se recepit, ubi extructa incensaque pira et se et diuitias suas in incendium mittit; hoc solo imitatus uirum.

Et praecedentium quidem regum robur a luxuria emollitum est, deinde per singulos quasi per gradus inualescente mollitia in hoc tandem effeminatum fractum et comminutum est. Imperium fere Romanum exhaustum est et diuulsum Nerone imperante, cuius gula fere omnia deuorauit, maculauit libido, exhausit auaritia, fregit ignauia, luxuria cum d superbia exinaniuit. Hic nullam uestem bis induit, ut uel in aliquo ceteris singulari gloria praeluceret. Sed, dum Roma permisit, totum orbem fecit inglorium; quicquid aliorum quaesiuit industria, huius inertia fere amisit.

Cap. 15. *Romanos in disciplina prae ceteris uiguisse, et in eis Iulium Cesarem floruisse prae ceteris.*

Sed, cum omnium gentium exempla reuoluo, disciplina Romanorum prae ceteris lucet. Mesis quoque plurimum profuisse legitur disciplina ut in paucitate sua finitimis superatis cum Romanis ausi sint super imperio gentium dimicare. Quam feri autem extiterint, ex uerbis eorum colligitur quibus aduersus Romanos pugnaturis unus ducum

7 igitur] ergo B[1]M 9 exstructa M

8 *qua ille audita*: *quo ille audito* Iustin. 17 *Hic nullam* etc.: Hoc de Nerone narratum alibi non repperi; cf. tamen Oros. vii. 7 § 2 *Nero . . . petulantiam libidinem luxuriam auaritiam crudelitatem nullo non scelere exercuit; siquidem petulantia percitus omnia paene Italiae ac Graeciae theatra perlustrans, adsumpto etiam uarii uestitus dedecore cerycas citharistas tragoedos et aurigas saepe sibi superasse uisus est.* 27 *Quam feri* etc.: v. Flor. ii. 26 (iv. 12 §§ 13, 14): sed nihil apud Florum de Moesorum disciplina inveni.

ante aciem postulato silentio: Vos, inquit, qui estis? a Responsum est: Romani gentium domini. Et ille: Ita fiet, inquit, si nos uiceritis. Graui tandem conflictu pugnatum est, sed Romani uicerunt, et numero plures et fortiores uiribus et exercitatiores usu, multis tamen amissis suorum eo quod eis colluctatio fuerat aduersus populum disciplinaliter eruditum. Verum in tota re militari nichil utilius, nichil clarius duce erudito. Nam uirtus et industria ducis efficaciam exercitus, sicut prouerbialiter dici solet, quasi altera lance compensat. Cesareos triumphos duci potius quam exercitui uetustas ascripsit.

Vt enim Solinus ait: Quantum Senicius aut Sergius inter milites, tantum inter duces immo omnes homines Cesar dictator enituit. Huius ductibus undecies centum uiginti et duo milia hostium caesa Ninias adnotauit. Signis collatis b quinquagies et bis dimicauit, Marcum Marcellum solus supergressus, qui nouies et tricies pari modo fuerat praeliatus. Ad haec nullus celerius scripsit, nemo uelocius legit, quaternas etiam epistolas perhibetur simul dictasse, benignitate adeo praeditus ut quos armis subegerat, clementia magis uicerit.

Cap. 16. *Quae nostratibus mala proueniant ab indisciplinatione.*

Sed quid maiorum uirtutem replico et reuoluo? Defecit etas nostra et fere ad nichilum redacta est, honoribus intumescit honorum nesciens gradus, uanitate nominum delectatur contempta rerum ueritate et fructu.

Aleator, auceps, quodque magis mirere, stulticines et qui c

11 asscripsit M

3 *Graui tandem* etc.: Quae sequuntur non Flori sunt; unde suspicor alio nescioquo historiae Livianae breviatore usum esse Ioannem nostrum. 12 *Quantum* etc. usque ad *uicerit*: Solin. i. 106, 107 (ed. Momms. p. 27). *Senicius*: *Sicinius* Solin. 15 *Ninias adnotauit*: sic Ioannis codices; ap. Solinum legimus *nam quantum bellis ciuilibus fuderit, noluit adnotari*. Fortasse ex Solini exemplari quod sub oculis habuit Ioannes exciderant cetera, manserunt *n. adnotari*, quae ut intelligeret, ita correxit: *n. adnotauit*; *n.* pro littera nominis proprii cuiusdam *Ninias* initiali accepto. Editiones antiquissimae duae *minas annotauit* exhibent; verba ipsius Solini substituit ed. Lugd. a. 1513 impressa. In ed. Lugd. Bat. 1639 verba Solini uncis inclusa sunt, in margine notatur varia lectio *Minas annotauit*.

uirilia numquam tractauerunt sed neque nota habuerunt officia, cum ad opera lasciuiae pilo fruticante cuteque indurata tamquam inhabiles reprobantur, militem induunt, primipilatum ducatumque affectant et se ductores et doctores pollicentur officii quod numquam didicerunt. Porro nullum umquam imperium sic uirtus dilatauit, cuius isti non sufficiant contrahere fines aut omnino uires euacuare. Si michi non credis, uel operibus crede. Pudet dicere quod dolor est et ignominia sustinere. Dum armata nobis militia stertit, dum alienam expugnant pudicitiam, suam prostituunt, dum nobilium circueunt domos, conuiuia explorant ut epulentur
d cotidie splendide, dum ampullas proiciunt et sesquipedalia uerba, sine cruore trucidantes Saracenos et Parthos et si quid aliud hostili censetur nomine, dum hoc faciunt milites gloriosi, Niuicollinus indomitus insolescit, inermes Britones intumescunt, ipsosque qui dicuntur Palatini comites et regum sanguine gloriantur, fere ad deditionem compellunt et quasi tributarios faciunt. Non est qui cum eis uelit manum conserere aut qui uelit aequo Marte quid ualeant experiri.

Armati inermes ad campestria prouocant, sed inermes ad

1 nunquam uirilia M 6 *post* uirtus *add.* ulla A: eorum M[1] 6, 7 sufficiunt M 12 sequipedalia C[1]A[1]: sexquipedalia SM 13 sarracenos SM partos S 14 censentur CB[1]A[1]

2 *pilo fruticante*: v. Iuv. *Sat.* ix. 15. 7 *Si michi* etc.: v. Ioann. x. 38. 11, 12 *epulentur cotidie splendide*: v. Luc. xvi. 19. 12 *ampullas* etc.: v. Hor. *A. P.* 97. 15 *Niuicollinus* etc.: cf. supra c. 6 (598 A seqq.). 16 *Palatini comites*: v. Du Cange ed. 1884 s. v. *Comites Palatini in Anglia*. Respicit Ioannes, ut videtur, ad Ranulfum, comitem Palatinum Cestriae, de quo in Symeonis Dunelmensis *Hist. Regum* per Iohannem Hagustaldensem continuata sub ann. 1136 (ed. Arnold ii. p. 287): *Ranulfus quoque comes Cestriae expeditionem faciens in regionibus Walanorum, interceptus ab eis cum quinque militibus uix saluti reseruatus est, reliquis omnibus trucidatis.* 16, 17 *regum sanguine gloriantur*: Dicitur a quibusdam recentioribus (v. Ormerod *Hist. of Cheshire* ed. Helsby i. pp. 123, 145, 167; cf. *Dict. of Nat. Biog.* xxviii. 161 s. v. *Hugh of Avranches*) Hugonem primum comitem Cestriae, Ranulfi avunculum, sororis Willelmi Conquestoris filium fuisse; nihil tamen de hac regia consanguinitate apud auctores saec. xi et xii narratum invenies. Hunc Ioannis locum, eodem forsan respicientem, nemo quod sciam adhuc animadvertit. Sed quod de Ranulfo dubium est, de filio eius Hugone verum fuisse constat, qui a. 1153, antequam scriptus est *Policraticus*, patri successerat; illius enim avus erat Robertus comes Glocestrensis Henrici I. regis filius nothus.

siluestria, quia de propria uirtute diffidit, nemo nostrorum persequitur. Vtinam memoriter tenuissent quod de Cisalpinis Romana narrat historia, cuius uerba sunt haec: Cisalpinorum incolis animi ferarum, corpora plus quam 612 a humana erant; sed experimento deprehensum est quia uirtus eorum sicut primo impetu maior est quam uirorum, ita sequens minor quam feminarum est. Alpina enim corpora humente celo educata habent aliquid simile niuibus suis; cum mox incaluerint pugna, statim in sudorem eunt et leui motu quasi sole laxantur. Alibi quoque Alpinarum gentium feritas facile uel per mulieres ostenditur, quae deficientibus telis infantes suos afflictos humi in ora militum aduersa miserunt. Si essent plane qui impugnarent Niuicollinos nostros, proculdubio uincerentur; sed, ut ait Amentius, non est qui faciat facienda, quae fere perfici ultronea fortuna compellit. Armatam prouinciam inermis imbellisque barbaries aggreditur depopulatur et uastat, et b qui domi suae esurit, milite nostro cedente, de nostro satiatur et in nostro facit luxuriae diem festum. Numquid enim non cedit miles qui non repellit hostem irruentem et imminentem? Si uero nec amor patriae nec rerum dampna nec salutis imminentis ab hoste dispendium, uel pudoris stimulus uirtutem militiae nostrae excitare debuerat, cui iam inermis et insolens Walensis insultat. Prouerbialiter dici solet quia misera terra est quam agaso uel mulio depopulatur. Quod si nulla exhortatione uirili nostri possunt

3 hystoria M 16 copellit S

4 *Cisalpinorum* etc.: Flor. i. 20 (iv. 4 §§ 1, 2); *Cisalpinorum* pro *Gallis Insubribus et his accolis Alpium* (quae sunt verba Flori) substituit Ioannes. 10 *Alpinarum* etc.: Flor. ii. 22 (iv. 12 § 4). 15 *Amentius*: Quis fuerit Amentius, omnino nescio. Non absurde, auctore v. d. R. L. Poole, conici potest Amarcium Gallum Piosistratum, saeculi post Chr. xi. poetam, eum esse ad quem respiciat Ioannes noster. Sane in istius *Sermonibus*, Lipsiae a Max. Manitio a. 1888 editis, nihil huiusmodi invenies; tamen ex eiusdem *pulchro doctrinali nouo*, quod eum *pro pueris dictauisse* refert chronici cuiusdam scriptor (v. Manitii praef. p. viii), desumpta esse possunt quae hic citantur. *non est*: cf. Ps. xiii. 2, lii. 2 *non est qui faciat bonum*; quae verba in versus hexametri formam redegisse videtur Amentius. 25 *misera terra* etc.: Hoc proverbium non alibi repperi.

milites ad uirilia incitari, uel matres et uxores cedentium eos urgeant ad uirtutem.

c Nam aliquid tale in priscis historiis inuenitur. Cum enim irruentibus Medis acies Persarum pulsata in fugam ageretur et omnino deficiens nec uictorem respicere auderet, matres et uxores eorum passim obuiam fugientibus currunt et mulierum densata acie orant in praelium reuertantur. Nolentibus sublata ueste obscena corporis ostendunt, rogantes num in uteros matrum uel uxorum uelint refugere. Hac repressi castigatione in praelium redeunt et facta impressione quos fugiebant fugere compulerunt. Vtinam sic faciant uxores et matres nostrorum Marchionum, dum quacumque occasione patriam seruent incolumem et labem pudoris amoueant.

Cap. 17. *Nobis a nostratibus esse exempla uirtutum, et quas ciuitates in Italia condiderit Brennus secundum antiquas historias.*

d Verum quod a nostris nunc quaerimus, iampridem praeteriit, et eo usque maiorum nostrorum uirtus manauit ad alios ut plenitudo diuitis uenae a fonte uideatur in riuulos defecisse. Neque enim a Romanis et Grecis tantum nobis sunt exempla uirtutis, nam et domesticis abundamus. Tradunt historiae Brennum ducem Senonum, qui exercitum Romanorum apud flumen Alliam confecit, ipsamque urbem Romam irrupit, cepit, et caesis patribus et subacta Italia inuasit Greciam, uastans omnia uniuersisque terribilis usque ad Delphici Apollinis templum, quod situm est in monte

22 habundamus A[1]SM 23 hystoriae M 27 apollonis B[1]

4 *acies Persarum* etc.: v. Iustin. i. 6 §§ 13, 14. 4, 5 *in fugam ageretur*: *cum paulatim cederet* Iustin. 5 *et omnino* etc. usque ad *auderet*: desunt ap. Iustinum et ap. Orosium, qui *Hist. adv. Pagan.* i. 19 § 9 ex Trogo Pompeio hanc historiam citat. 8 *Nolentibus*: *Cunctantibus* Iustin. 12 *Marchionum*: De hoc titulo v. Selden *Titles of Honour* ed. 1672, pp. 627, 628. 20 *diuitis uenae*: v. Hor. *A. P.* 409. 23 *Brennum* etc.: v. Oros. ii. 19 §§ 5 seqq. 26 *inuasit Greciam*: Male putavit Ioannes Brennum Graeciae vastatorem eundem fuisse qui urbem Romam cxi ante annis cepisset. Sed in hoc praeiverat Galfridus Monumetensis in loc. infra citato; cf. etiam Matth. Paris. *Chron. Maior.* (ed. Luard i. p. 58). 26, 27 *usque ad Delphici* etc.: v. Iustin. xxiv. 6 §§ 4–6.

Parnaso, processit, ipsiusque Apollinis appetens spolia, scuriliter iocatus ait: Locupletes deos largiri hominibus oportere; hunc, inquam, tradunt de maiori Britannia, quae ab aduentu 613 a
Saxonum in insulam uocatur Anglia, oriundum. Apud Trogum Pompeium in uicesimo reperitur quod Senones Galli commilitones Brenni, cum in Italiam uenissent, Thuscos a suis sedibus expulerunt, in ea condiderunt urbes egregias Mediolanum Comum Brixiam Veronam Vergamum Tridentum atque Vincentiam. Nam quod urbem Senensium senibus suis et ualitudinariis armentariisque construxerint, non modo fides historiae sed celebris traditio est; ex eo quidem ualidior quod Senenses et liniamentis membrorum et uenustate faciei et coloris gratia moribus quoque ipsis ad Gallos et Britones, a quibus originem contraxerunt, uidentur accedere, licet eos uetustas, orbis plaga, situs regionis, conuictus finitimorum, quibus sanguine et moribus diu permixti sunt, ex magna parte mutauerit. Nondum b
tamen colorem Gallicum, candorem scilicet, haec omnia ad

1 apollonis B[1] 1, 2 scurriliter BAM 4 uocatur] appellatur M: apellatur S 5 repperitur AM 6 tuschos AM 8 Comum] cornum C[2]BAM 10 que *om.* A 15 uetustas eos M *post* eos *add.* temporis M *post* uetustas *add.* temporis S

3 *de maiori Britannia*: v. Galfr. Monumet. *Hist. Reg. Brit.* iii. 8 seqq. qui Romam narrat captam esse a Belino et fratre eius Brennio, Britonum principibus, quos eosdem facit atque Belgium et Brennum Gallorum in Macedoniam et Graeciam se infundentium duces ap. Iustin. xxiv. 5, 6 memoratos. 6 *cum in Italiam* etc.: v. Iustin. xx. 5 § 8. 8 *Vergamum*: *Bergomum* Iustin. 9 *urbem Senensium* etc.: cf. Ioann. Saresb. *Ep.* 234 (Migne *P. L.* cxcix. 262 seqq.; Robertson *Materials for the History of Thomas Becket* vi. 239 seqq.) sub nomine Godrici ad Baldwinum archidiaconum Norwicensem, quem Godwinum vocat, missam, ubi agitur de *urbe Senum, quam Brennius dux Senonum ad locandos ibi ualetudinarios suos legitur construxisse.* Haec de Senae aut potius Saenae origine, quae non dubitandum est quin apud Italos didicerit Noster, primus inter scriptores qui hodie exstant ipse memoriae tradidit; v. L. Douglas *History of Siena* p. 3 seqq. Alteram Senam in littore Adriatico sitam, quae antiquitus *Sena Gallica*, hodie *Sinigaglia* uocatur, a Gallis Senonibus fundatam esse constat: v. *Dict. of Gr. and Rom. Geogr.* s. v. 18 *colorem Gallicum* etc.: v. Isid. *Orig.* ix. 2 § 104 (Migne *P. L.* lxxxii. 338) *Galli a candore corporis nuncupati sunt*; *γάλα enim Graece lac dicitur* et § 68 *Galatae Galli esse noscuntur qui in auxilium a rege Bithyniae euocati, regnum cum eo parta uictoria diuiserunt, sicque deinde Graecis admisti primum Gallograeci, nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatae nuncupantur.*

uicinorum similitudinem exterminasse sufficiunt. Greci namque lac galac dicunt, unde et galaxias lacteus appellatur, et Galli quasi colore lactei et Galathae qui quandoque dicti sunt Gallogreci, in finibus Greciae quos Gallorum militia occupauit. Mansit autem exercitus ille Brenno duce triumphator et semper inuictus, donec insurgere ausus est in deos, ipsum Apollinis Delphicum inuadens templum. Vbi, cum incolae dei opem suppliciter implorarent, iuuenem supra humanum modum insignis pulchritudinis in delubri culmine conspexerunt. Auditus est etiam stridor arcus et
c strepitus armorum. Subito etiam terrae motu pars montis abrupta Gallorum strauit exercitum. Insecuta deinde tempestas est quae grandine et frigore saucios absumpsit. Dux ipse Brennus, cum dolorem uulnerum ferre non posset, pugione uitam finiuit. Nec moueat quemquam (ut dictum est) in templo uisum esse Apollinem ad ducis inuicti audaciam cohercendam delendumque exercitum qui, permittente Deo, exigentibus culpis hominum, multas deleuerat nationes, cum certum sit aerias potestates plurimum nequitiae suae exercere in illos qui sanae fidei expertes sunt et uerae religionis ignari. Eis namque gratia subtrahitur daturque malignis spiritibus licentia nocendi, cum nisi
d Domino permittente omnino nocere non possint nec si uelint, et, sicut euangelico docetur testimonio, non impetrata licentia non audeant aut queant irruere in gregem porcorum.

---

2 lactens CB 3 galate S: galatae M 7 appollinis B delficum S 9 pulcritudinis AS 19 nasciones S 23 possunt B 24 euuangelico A

---

2 *galaxias* etc.: v. Macrob. *de Somn. Scip.* i. 4 § 5. 8 *cum incolae* etc.: v. Iustin. xxiv. 8 §§ 5–11. 19 *aerias potestates*: sic saepe nuncupantur daemones mali; e. g. ab Augustino *de Trin.* iii. 7 § 12 (Migne *P. L.* xlii. 875); praeeunte S. Paulo, qui ad Eph. ii. 2 diabolum vocat *principem potestatis aeris huius.* 22, 23 *cum nisi Domino* etc.: cf. Aug. *contra Adv. Leg. et Proph.* ii. 12 § 39 (Migne *P. L.* xlii. 663). 24 *euangelico docetur testimonio*: v. Matt. viii. 28 seqq.; Luc. viii. 27 seqq.

Cap. 18. *Exempla recentium historiarum, et quomodo rex Henricus secundus tempestatem et procellas regis Stephani serenauerit et pacauerit insulam.*

Et quia Brenni historia alicui forte nimis remota uidebitur ad demonstrandam uirtutem gentis cui non natura sed doctrina exercitium ars et forte dux deest, accedo propius et ea quae sunt fere omnibus nota compendioso sermone proponam.

Cnudus quanta uirtute Anglorum Dacos Danosue fregerit motusque compescuerit Noricorum uel ex eo perspicuum 614 a
est quod, ob egregiae uirtutis meritum quam ibidem potenter et patenter exercuit, Cantia nostra primae cohortis honorem et primos congressus hostium usque in hodiernum diem in omnibus praeliis optinet. Prouincia quoque Seueriana,

---

4 hystoria M 5 monstrandam M 7 fere sunt SM 13 congressos S 14 obtinet CBSM

---

9 *Dacos* etc.: Noricorum sub sancto Olao rege rebellantium motus annis 1028 et 1030 compescuit Cnudus rex; sed quo tempore *uirtute Anglorum Dacos Danosue fregerit* dubitari potest; ad eandem expeditionem respicere Ioannem suspicor, de qua legimus apud scriptorem *Vitae Edwardi Regis qui apud Westmonasterium requiescit* ab H. R. Luard inter alias eiusdem regis vitas editae (p. 392): *Vocantibus autem quibusdam regni competentibus negotiis regem* (sc. Cnudum) *in gentem suam* (sc. Danos)—*absenti enim rebellare parauerant collo effreni eius abicientes potentiam—adhaesit comes* (sc. Godwinus) *indiuiduus per omnem uiam. Hic eius prudentiam, hic laborum constantiam, hic uirtutis militiam, hic attentius expertus est idem rex tanti principis ualentiam, quam profundus eloquio, et si eum sibi artius asstringeret quouis decenti beneficio, quantae commoditatis sibi foret in nouiter acquisito Anglorum regno.* Notandum est Godwinum ab Eadmero comitem Cantiae nuncupari (v. Freeman *History of the Norman Conquest* i. ed. 3. pp. 731 seqq.); et hoc loco innuere Ioannem Cantianos inter ceteros Anglos sub Cnudo militantes optime meruisse, quibus credibile est praefuisse ut comitem Godwinum, cuius in eadem expeditione virtus ab auctore *Vitae Eadwardi* laudatur. 10 *Noricorum*: i.e. gentium Norvegiam (*Norege*, *Norreke*) habitantium: sic appellantur a quibusdam medii aevi auctoribus e.g. Willelmo Pictaviensi, Willelmo Malmesburiensi, Orderico Vitali. 12 *Cantia nostra*: Vt Cantuariensis ad Cantuariensem Thomam loquitur; uterque enim ex familia Theobaldi archiepiscopi fuerat. *primae cohortis* etc.: cf. Wace *Roman de Rou* ed. Andresen ii. p. 341 *Kar co dient, que cil de Kent Deiuent ferir premierement; Ou que li reis auge en estor, Li premier colp deit estre lor.* 14 *Seueriana*: cf. infra viii. 19 (792 D).

quae moderno usu et nomine ab incolis Wiltesira uocatur, eodem iure sibi uendicat cohortem subsidiariam adiecta sibi Deuonia et Cornubia.

Ad tempora nostra descendo. Rex Anglorum qui Ruffus cognominatus est, armis quidem strenuus sed parum religiosus et qui persecutione sanctorum et praecipue sancti Anselmi Cantuariensis spiculum inuidiae quo suffocatus est in se uisus est prouocasse, is, inquam, Cenomannum expugnauit, comitem cepit nec tamen dignatus est eum b carcerali custodiae mancipare; tantoque operi attestabitur in perpetuum mons Barbatus aut, si alio nomine censere malueris, dicatur mons Barbarus aut Barbarorum. Transeo ad successorem eius Henricum inclitum regem, qui leo iustitiae appellatus est, quem, sicut publice notum est, non modo urbes sed et turres Gallicae timuerunt. Sed qualiter regem Francorum commisso praelio fregerit et fugauerit, quia percelebre est et uictoriae illius in utroque regno qui publico praelio interfuerunt plurimi testes extant, ne replicare notissima tediosum sit, scienter praetereo. Normannorum ducem, uirum bellicosum, armis strenuum, qui

4 rufus M 8 iis A 11 consere S 12 malieris S[1] 15 gallie S: galliae M 19, 20 Normanorum C: Northmannorum M

1 *Wiltesira*: quae Ioannis nostri provincia natalis erat. 9 *nec tamen dignatus est*: cf. Ord. Vit. *Hist. Eccles.* x. c. 7 (Duchesne *Rer. Norm. Script.* p. 773; Migne *P. L.* clxxxviii. 736); v. Freeman *Reign of William Rufus* ii. 244. 11 *mons Barbatus*: v. Freeman *Reign of William Rufus* ii. pp. 631 seq. Hoc castellum a Willelmo Rufo fundatum esse asserit Wace (*Roman de Rou* ed. Andresen ii. p. 423), cui suffragari videtur Ioannes noster; sed iam a Willelmo Conquestore a. 1063 stabilitum esse narrant Willelmus Gemmeticensis *Hist. Normann.* vii. 27 (Duchesne *Rer. Norm. Script.* p. 283; Migne *P. L.* cxlix. 867); Ordericus Vitalis loc. supra cit.; Benoît *Chronique des Ducs de Normandie* 35737 (ed. Michel iii. p. 138). 13, 14 *leo iustitiae* etc.: Respicit ad Merlini vaticinium ap. Galf. Monum. *Hist. Brit.* vii. 3 *Succedet leo iustitiae ad cuius rugitum Gallicanae turres et insulani dracones* (i. e. gentes ambae Britanniam insulam habitantes, sc. Britones et Angli) *tremebunt.* 16 *regem Francorum*: i. e. Ludovicum VI; de hoc praelio, quod a. 1119 in campo Brennivillensi pugnatum est, v. Orderic. Vit. *Hist. Eccl.* xii. c. 7 (Duchesne *Rer. Norm. Script.* pp. 856 seqq.; Migne *P. L.* clxxxviii. 867 seqq.); Suger. *Vit. Ludov. Grossi* c. 21 (Bouquet *Recueil des historiens* xii. 45; Migne *P. L.* clxxxvi. 1310); Henr. Huntend. vii. § 31 (ed. Arnold pp. 241 seq.). 19, 20 *Normannorum ducem*: i.e. Robertum, Willelmi Conquestoris filium natu maximum.

Ierosolima liberata redierat, sub umbra nominis quomodo ceperit alieni terminos regni ingressus, referre superua- c
caneum credo, cum etiam iuniores eundem captum uiderint in custodia publica, habita tamen aestimatione dignitatis et sanguinis. Testantur hoc Normannorum proceres, alii capti, alii incarcerati, alii exheredati in hodiernum diem; sed et sepulchrum captiui ducis apud nos est.

Postremo, ne longe petantur exempla, nepos illius, totius eui, si collatae iam gratiae uirtutum in fine coheserint merita, rex optimus apud Britannias, Normannorum et Aquitanorum dux felicissimus et primus tam amplitudine rerum quam splendore uirtutum, quam strenuus, quam magnificus, quam prudens et modestus ab ipsa, ut ita dicam, infantia fuerit, nec ipse liuor silere aut dissimulare potest, cum opera recentia et manifesta sint, et a Britanniarum d
finibus ad Hispaniae limites uirtutis suae protenderit et continuauerit titulos.

Scilicet ingenium et rerum prudentia uelox
ante pilos uenit, dicenda tacendaque callet,
et potis est nigrum uitio praefigere teta.

---

2 regni ingressus terminos SM 11 aquitannorum M

---

1 *sub umbra nominis* etc.: cf. Ord. Vit. *Hist. Eccl.* xii. 12 (Duchesne *Rer. Norm. Script.* p. 865; Migne *P. L.* clxxxviii. 884) ubi ad Calixtum papam Henricus I se excusat: *Fratrem meum ducatu Normanniae non priuaui, sed patris nostri haereditarium ius armis uindicaui, quod non frater meus neque nepos sibi possidebant, sed pessimi praedones et sacrilegi nebulones deuastabant.* 3 *cum etiam iuniores* etc.: De Roberti captiuitate cf. Ord. Vit. xi. 11, xii. 12; Will. Malm. *Gest. Reg. Angl.* iv. § 389 (ed. Stubbs ii. p. 463). 4 *habita tamen* etc.: Idem narrant scriptores omnes qui exstant coaetanei; cf. locos supra citatos; v. Freeman *Hist. of the Norman Conquest* v. pp. 849 seq. 7 *apud nos*: sc. apud Gloucestriam in ecclesia S. Petri tunc abbatiali sed hodie cathedrali, ubi eius adhuc exstat imago e ligno querceo circa a. 1200, ut videtur, exsculpta; cf. *Hist. Mon. S. Petri Glouc.* (ed. Hart i. p. 15) *Anno Domini mcxxxiv obiit dominus Robertus Curtehose, comes Normaniae, filius regis Willelmi conquestoris, tertio nonas Februarii, apud castrum de Kerdiff* [i.e. Cardiff]. *Sed in ecclesia Sancti Petri Gloucestriae honorifice coram principali altari sepelitur.* 8 *illius*: sc. Henrici I. 10 *rex optimus* etc.: sc. Henricus II. 16 *ad Hispaniae limites*: Alianoram Aquitanorum iure hereditario ducissam uxorem duxit Henricus II a. 1152. 18 *Scilicet* etc.: v. Pers. *Sat.* iv. 4, 5, 13.

Volens namque Deus gentis praeuaricatricis punire malitiam rupto federe quod iuramento procerum cum filia leonis iustitiae firmatum fuerat, nouorum permisit sullimari fauorem et in regno alieno regnare hominem contemptorem boni et aequi, cuius consilium infatuatum est ab initio, cuius causa in iniquitate et perfidia fundata est, negligentem disciplinae ut eo non tam regnante quam concutiente et
615 a collidente clerum et populum prouocarentur omnes ad omnia; mensura namque iuris uis erat. Inuadens ergo regnum exheredauit exclusit dominum, pro quo quidem, si fides esset in homine, et decessorum meritis et ex necessitate iuramenti sibi fuerat moriendum. Vicinas studuit corrumpere nationes, cum principibus matrimonia contraxit et amicitias, ne quo Dei beneficio paruulus, qui adhuc uagiebat in cunis, ad petitionem hereditatis posset accedere. Plurima quidem aduersus innocentiam machinabantur sed in omnibus his mentita est iniquitas sibi. Eoque innotuit quia Deus uerax est, quod fidem, quam Deo suo dominoque terreno non seruauit, eam nequaquam repperit in subiectis; eadem namque mensura remensum est ei qua ipse aliis prae-
b mensus fuerat; ac si omnes apud Ennium didicissent:

3 sublimari AS 17 his] iis S 19 in subiectis repperit A[1] 20 alii M

2 *iuramento procerum* etc.: De hoc fidelitatis erga Matildem imperatricem iuramento, quod et ipse Stephanus, qui postea rex erat, inter ceteros Anglorum proceres iuraverat, fusius tractat Ioannes ipse in *Hist. Pontific.* c. 41 (Pertz *M. G. H., SS.*, xx. p. 543 seq.); cf. *Chronic. Saxon.* ed. Plummer i. p. 256; Henr. Huntend. viii § 1 ed. Arnold p. 256; Will. Malmesb. *Hist. Novell.* §§ 451, 452, 455 (ed. Stubbs ii. pp. 528–530, 534). 2, 3 *filia leonis iustitiae*: i.e. Matildis Henrici I. filia, quae primum Henrico V imperatori, postea Galfrido comiti Andegavensi nupsit. 4 *hominem contemptorem boni*: sc. Stephanum regem, in quem acerrime invehitur Ioannes noster *Enthet.* vv. 1301 (993 B) seqq. 10 *dominum*: sc. Henricum Matildis imperatricis filium, postea Henricum II regem. 12 *iuramenti*: Stephanum a. 1134 *Matildi imperatrici et Henrico filio eius adhuc minimo* fidelitatem iuravisse asserit Rogerus de Hoveden, ed. Stubbs i. p. 187; sed de hac re tacent scriptores coaetanei; v. Round *Geoffrey de Mandeville* p. 31 n. 2; neque prohibet quidquam quominus ad iuramentum Matildi a. 1127, nondum nato Henrico, praestitum respicere Ioannis verba credamus. 13 *matrimonia*: Eustachius, Stephani filius, a. 1140 uxorem duxit Constantiam Ludovici VI Francorum regis filiam; v. Henr. Huntend. viii. § 10 (ed. Arnold p. 265); Will. de Novoburgo i. 11 (ed. Howlett p. 44). 17 *mentita est iniquitas sibi*: Ps. xxvi. 12. 20 *eadem* etc.: v. Matt. vii. 2.

Neque dedi neque do infideli cuiquam fidem.

Sed cum multa male, pauca bene, illud quidem pessime egit, quod in contemptum Dei in christos eius manus iniecit non sine nota perfidiae et proditionis quam nefarii operis merito contraxit apud omnes ut ad curiam eius exinde nemo secure accederet. Non tamen solos etsi primos ad perniciem sui cepit episcopos sed omnibus quos suspectos habuit proditionis suae tetendit insidias. At in captione episcoporum initium malorum fuit et ab ea die non defuit gladius lateri eius et facta sunt semper nouissima hominis deteriora prioribus.

Quid multa? In diebus eius multiplicata sunt mala in c
terra ut, si quis ea summatim recenseat, historiam Iosephi possit excedere. Verumtamen se illis pueri uirtus opposuit et fere ante etatem aut munus militare sic malignantium impetum fregit ut Theodosio minore, quem historiae conferunt Alexandro, quandoque dictus sit non esse et utinam numquam inueniatur inferior. Nec mora; in primis adolescentiae annis impubes adhuc militiam

13 hystoriam M 14 possint C[1]S Verumptamen A oposuit S 16 teodosio S uel iuniore minore A: iuniore SM hystoriae M 17, 18 quandoque dictus sit non esse et utinam *om.* S[1]M 18 utinam] munera B numquam] non M 19 adholescentie A

1 *Neque dedi* etc.: Cic. *de Off.* iii. 29 § 106. Supra (§ 104) ex Ennio versiculum quendam citaverat Cicero; sed hunc ex *poeta*, tacito nomine, quem tamen Accium fuisse testatur ipse 28 § 102; v. Ribbeck. *Scaen. Rom. Poes. Fragm.* i. p. 190. 3 *in christos eius*: v. Ps. civ. 15. Respicit ad Rogerum episcopum Saresberiensem et nepotem eius Alexandrum episcopum Lincolniensem a Stephano a. 1139 violenter captos; v. Henr. Huntend. viii. § 10 (ed. Arnold p. 265). Cf. *Gesta Stephani* (ed. Howlett pp. 50, 51) de concilio propter captionem episcoporum eodem anno Wintoniae habito, *ubi rex de temeraria quam in episcopos commisit, publice accusatus, ratione ualida, ut putauit, et efficaci se et suos excusauit. Sed quia ab omni clero iuste prouisum et discrete fuit diiudicatum, nulla ratione in christos Domini manus posse immittere, ecclesiastici rigoris duritiam humilitatis subiectione molliuit, habitumque regalem exutus, gemensque animo et contritus spiritu commisso sententiam humiliter suscepit.* 7 *omnibus* etc.: e. g. Galfrido de Mandeville, quem *in curia sua apud Sanctum Albanum non quidem honeste et iuxta ius gentium* a. 1143 cepit Stephanus, ut legitur apud Will. de Novoburgo i. 11. 10 *facta sunt* etc.: v. Matt. xii. 45. 14 *pueri*: sc. Henrici II. 16 *quem historiae* etc.: v. Cassiod. *Hist. Tripart.* i. 1 (Migne *P. L.* lxix. 883) in Sozomeni historiographi oratione ad Theodosium II imperatorem allocutoria.

aggressus est uultuque ferociori et fortiori manu diuini
auxilii hostium corda concussit et fregit. Statimque
insurrexerunt in eum reges Francorum et Anglorum
collectis uiribus suis et utroque immanior hostis Eustachius
ille, sororius regis Francorum, qui propriam agens causam
non tam patri quam sibi paternum diadema conseruare nite-
d batur. Et eos quidem non modo uiriliter Neoptolemus noster
sustinuit sed ex maxima parte potenter superauit. Vnde
tactus dolore cordis intrinsecus Eustachius quem praedixi,
quod in uita optimum fecit, rebus excessit humanis, quem
letantibus bonis et publicae fortunae congratulantibus,
quoniam hic flagellum aliud patriae imminebat, luxerunt

> ambubaiarum collegia, pharmocopolae,
> mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne.

Ne tamen obitus eius gloriae ducis nostri quicquam de-
traheret, deditionem Craumersiae, in cuius subsidium cum
patre uenerat in manu ualida et numero ampliori, uiuus,
616 a armatus, militum instructus copia, sustinuit praesens et
uidit. Dux autem, consilio unius praemonitus, inter castrum
quod rex munierat et regis copias suum sed longe minorem
exercitum interiecit. Ne tamen hoc alienigenae ascribant

1 agressus AS   10 humanis excessit $C^{1}AS^{1}$

2 *Statimque* etc.: anno 1151; cf. Henr. Huntend. viii. § 31 (ed. Arnold p. 283). 5 *regis Francorum*: i.e. Ludovici VII. 7 *Neoptolemus noster*: Sic a Ioanne nostro Henricus *quia ad bellum ductus est puer . . . uocitatus est*, ut de Pyrrho Achillis filio ait Servius in *Comm. ad Aen. ii.* 263 (ed. Thilo et Hagen i. p. 263). 9 *tactus dolore cordis* etc.: cf. Gervas. Cant. ed. Stubbs i. p. 155 (Post Craumersiae deditionem) *Eustachius regis filius et ducis aemulus uehementer indignans, patrem de pace inita corripuit, et sic furibundus a curia recedens patrem dereliquit, omnemque uastaturus patriam Cantibrigiam petiit; proposuerat enim animo nec sacris locis nec sanctorum praediis fore parcendum.* (Praedatis coenobii S. Edmundi in Suffolcia messibus) *cum ad mensam . . . pransurus sedisset, ad primum edulii gustum insanus effectus miserabiliter interiit, et pro contumacia martyribus illata, diras mortis poenas exsolvit.* De Eustachii morte cf. etiam infra viii. 21 (806 D seq.). 14 *ambubaiarum* etc.: Hor. *Sat.* i. 2. 1, 2. 16 *Craumersiae*: Anglice *Crowmarsh*, castellum quoddam regis Stephani in comitatu Oxoniensi super fluvium Tamesim e regione castelli de Wallingford. Hoc castellum ab Henrico, ut castellano de Wallingford partium Henricianarum studioso succurreret, a. 1153 obsessum, mox icto foedere deiecit Stephanus; v. Henr. Huntend. viii. § 34. 17 *uenerat*: sc. Eustachius. 19 *Dux*: i.e. Henricus, qui Normannorum dux erat.

uiribus suis, nostro praecipue milite nitebatur. Ad hoc demum exigentibus culpis perductus est qui regnum occupauerat, ut cogeretur exheredare filium et duci cedere regni successionem et totius regni proceres et militiam fidelitate praestita obligare.

Transeo ad obsidionem Chinonis, quia ibi Anglos et Normannos, quos iam multiplex confederatio uniuit, praecipuos et magis strenuos in captione castri extitisse nullus ignorat. Nam sileo de Namneto et toto minoris Britanniae, quamuis grandis prouincia sit, comitatu, qui rebellis esset in hodiernum diem nisi robur gentis Anglorum esset b
formidini. Hoc ipsum aut ueritus aut amore et uirtute allectus (incertum enim est), illustris Blesensium et Carnotensium comes castra, quae pupillaris etatis tempore amissa fuerant, ducatui Normannorum restituit.

Longum est si inclita gesta tanti principis enumerare contendam, quae, sicut omnes admirari necesse est, ita

2 exigentibus culpis *om.* S¹M 9 nanneto A

1 *nostro*: i. e. Anglorum; quod non apud alium rerum ab Henrico gestarum scriptorem narratum inveni. 3 *ut cogeretur* etc.: cf. Rymer *Foeder.* i. pp. 13, 14. 6 *obsidionem Chinonis*: cf. Will. de Novoburgo ii. 7 (ed. Howlett pp. 113, 114). Chinonem in provincia Turonensi Galfridi fratris sui castellum expugnavit Henricus II a. 1156. Ait Gervasius Cantuariensis (ed. Stubbs i. p. 162): *Rex Henricus transfretauit, et Thomae cancellarii sui magno fretus auxilio castra Gaufridi fratris sui, qui rebellare temptabat, ualide optinuit.* 9 *de Namneto* etc.: v. Rob. de Torigneio *Chron.* ed. Howlett p. 197, qui tamen Namnetum (hodie Nantes) *cum toto comitatu Mediae* (La Mée), non, ut Ioannes noster, *cum toto minoris Britanniae comitatu* a. 1152 deditum esse asserit. In dioecesi Namnetensi duo erant archidiaconatus, quorum alter, cui nomen erat Media, partes septentrionales complectebatur. 10 *rebellis esset*: Tandem in anno post Chr. 1169 et post *Policraticum* editum decimo Britanniam minorem in ditionem suam redegit Henricus II. 13, 14 *Blesensium et Carnotensium comes*: sc. Theobaldus V; cf. Rob. de Torigneio (ed. Howlett pp. 198 seq.) *Mense Decembri* (a. 1158) *concordati sunt rex Henricus et comes Blesensis, cognatus eius, hoc modo: comes Theobaldus reddidit regi duo castra, Ambazium et Fractam Vallem et Rotrodus* (i. e. Rotrocus) *comes Moritoniae, sororius eius . . . reddidit Henrico regi duo castra, Molinas* (Moulins) *et Bonum Molinum* (Bonmoulins), *quae erant dominia ducis Normanniae; sed post mortem regis Henrici* [I] *Rotrocus comes, pater huius Rotroci, occupauerat ea.* Castella, quae hoc loco reddidisse asseritur Theobaldus ipse, sc. Ambazium (Amboise) et Fractam Vallem (Fréteval), quorum alterum in Turonico (Touraine), alterum in Vindocino (Vendôme) situm est, potius comitatui Andegavensi quam ducatui Normannorum pertinebant.

plene describere impossibile. Nec ego uiribus meis arrogo, in quo, si iuxta praecedentis gratiae cursum sibi diu successerint prospera, sudare poterunt Orosius Egesippus et Trogus. Ceterum adolescentiae exitus aliquibus suspectus est, et utinam frustra a bonis timeatur.

c Cap. 19. *De honore militibus exhibendo, et modestia indicenda ; et qui militiae artem tradiderint, et generalia quaedam praecepta eorum.*

Quid moror in commendatione gentis quam de natura constat esse laudabilem? Beatus Eugenius eam, ad quaecumque uellet applicari, dixit esse idoneam et praeferendam aliis nisi leuitas impediret. Sed, sicut Hannibal negabat posse uinci Romanos nisi in patria sua, ita et haec, dum peregrinatur, inuincibilis est; nam in sedibus suis facilius expugnatur. Hoc autem forte commune habent cum ceteris gentibus incolae Britanniarum atque Italiae. Si uero recte fuerint instituti et doctrinam exercitatione firmauerint, honorati incedant, habeantur patriae defensores, d niteant cultu qui tamen uiros deceat; nam cultus lasciuior nec in muliebri sexu uitio caret aut nota.

Crebro namque compertum est in bellis militiae lasciuientem et splendidum apparatum non tam ciuibus conferre uictoriam quam hostes inuitare ad praedam. Vnde et Hannibal, cum apud regem Antiochum moraretur causa profugii, facetissime cauillatus est, rege ostentante exercitum insignibus aureis et argenteis florentem, inducentem currus cum falcibus et cum turribus elephantos et omnem equitatum frenis epiphiis monilibus ac faleris praefulgentem. Cum ergo rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem aspexisset: Putasne, inquit, satis 617 a esse Romanis haec omnia? Tunc Penus illudens ignauiam imbelliamque militum eius pretiose armatorum: Plane,

12 sicuti SM 22 aparatum S 30 conspexisset A 31 eludens SM

10 *Eugenius*: id est, Eugenius III papa, cum quo conuersatus erat ipse Ioannes noster; v. infra c. 24 (624 B) et alibi; cf. R. L. Poole *Dict. Nat. Biog.* xxix. 440, 441 s. v. *John of Salisbury.* 12 *sicut Hannibal* etc.: v. Iustin. xxxi. 3 § 7. 23, 24 *Vnde et Hannibal* etc.: v. Gell. v. 5. 28 *epiphiis*: i. e. ephippiis.

inquit, satis esse credo, etsi Romani auarissimi sint. Lepide quidem breuiter et acerbe; nam rex de numero exercitus et de aestimanda aequiparatione quaesierat et illum liquet respondisse de praeda. Denique, si Naso a militia artis suae arcet et iubet esse procul iuuenes ut femina comptos, quis credat eos ad robustam militiam admittendos? Opifices artium singularum id rerum suarum prae ceteris ornant a quibus se sciunt prae ceteris honorari; unde liquet milites oportere armis quam uestibus nitidiores esse.

Eneas a digitis gemmas ad ensem, Virro ad pocula legitur transtulisse. Machabeos quoque constat clipeos b inaurasse et ex fulgore eorum fortitudinem gentium dissipatam; eos tamen credibile est ueste communi fuisse contentos. Nichil est quod minus deceat militem quam cultus mollior, et deliciae uestium exquisitae, nisi forte cum Trasone ad munitionem Taidis expugnandam Veneri deuouerit militiam suam Marte contempto. Sordes quoque uitandae sunt et mediocritati, quae aureo incedit tramite, iugiter insistendum. Hoc autem uolo ire persuasum nostratibus, si exerceantur, uirtutem non deesse, quae tamen frequenter intercidit, si non disciplina firmatur. Artem uero rei militaris Lacedemonii tradidisse dicuntur; unde et Hannibal Italiam petiturus Lacedemonium quaesiuit ductorem armorum. Qui desiderat pacem, praeparet bellum; qui uictoriam cupit, diligenter imbuat militem; qui c

3 quesiuerat SM 11 clippeos A 16 thaidis A: taydis M

4, 5 *militia artis suae*: v. Ov. *Art. Am.* ii. 233 *Militiae species amor est: discedite segnes.* 5 *esse procul* etc.: v. Ov. *Her.* iv. 75. 9 *armis quam uestibus nitidiores*: cf. Veget. i. 13 *Non enim uestium nitor uel auri argenti gemmarum copiae hostes aut ad reuerentiam nostram aut ad gratiam inclinant, sed solo terrore subiguntur armorum.* 10 *Eneas* etc.: v. Iuv. *Sat.* v. 43–45. 11 *Machabeos* etc.: v. 1 Machab. vi. 39. 16 *Trasone*: sc. milite glorioso in Terentii *Eunucho.* 18 *mediocritati* etc.: v. Hor. *Carm.* ii. 10. 5. Carmina tamen Horatiana dubium est an habuerit Ioannes noster; v. Schaarschmidt *Ioh. Saresb.* p. 87 'Die wenigen den Oden entnommenen Anführungen (dulce est desipere in loco; omnibus ille bonis flebilis occidit, und atavis editus regibus) können als sprüchwörtlich gewordene Redensarten gar leicht anderswo aufgelesen worden sein.' Idem de *aurea mediocritate* et de locis infra viii. 8, 10, 13 (739 D, 746 B, 767 C) citatis dici potest. 21, 22 *Artem uero* usque ad *pugnet*: v. Veget. iii. praef. 24 *ductorem*: *doctorem* habet Vegetius.

secundos optat euentus, dimicet arte, non casu. Nemo prouocare, nemo offendere audet quem scit superiorem fore, si pugnet. Athenienses unum prae ceteris mandasse militibus prisci loquuntur annales: Miles nondum emeritus exercitio et labori iugiter assuescat. Nam haec solent in castris sanitatem et in conflictu praestare uictoriam. Idem etiam tradiderunt quia in peditibus robur consistit exercitus, et parumper aptum esse militiae qui, nisi eques sit, pugnare non nouit. Verumtamen nec exerceri nec ad pugnam uocatur utiliter cui stipendia non procedunt. Si enim subtrahas alimenta, tibi miles obsequium negabit
d aut fidem. Fames enim, ut dici solet, pugnat interius et sola haec, quae tutissima uidentur, expugnat. Nescit plebs ieiuna timere; si uero alimenta processerint, nunc timore penae, nunc praemiorum spe ad officium incitetur. Sint ubique campidoctores et militarium exercitiorum magistri, et his ipsis era proueniant, et uidebis in breui gentem in id uirtutis esse reductam quo uigebat quando maximus imperatorum Iulius Cesar

territa quaesitis ostendit terga Britannis.

Sed et deliberationes castrenses, fictitiae tamen, frequentius agitentur ut in his exercitatus miles, cum usus exegerit, quid maxime expediat, sciat eligere. Si uero res fuerit seria, lateat militem, eo quod militare praeceptum est:
618 a Quid fieri debeat tractato cum multis, quid uero facturus sis cum paucissimis et fidelissimis uel potius ipse tecum. Raro enim manet absconditum quod ad notitiam multitudinis uenit. Militaria quoque praecepta et exempla strenuorum iunioribus saepe referenda sunt ut his ad scientiam instruantur, illis accendantur et animentur ad

---

3 *Athenienses* etc.: Hoc Atheniensium praeceptum alibi invenire non potui. 4 *prisci loquuntur annales*: Veget. iii. praef. ad init. 5 *Nam haec solent* etc.: v. Veget. iii. 2 (ed. Lang p. 68. 19 seqq.). 7, 8 *in peditibus robur consistit exercitus*: v. Veget. iii. 9 (p. 87. 1, 2). 12 *Fames* etc.: v. Veget. iii. 9 (p. 87. 9, 10). 13 *Nescit* etc.: Luc. *Phars.* iii. 58. 14 *plebs*: *plebes* habet Lucanus. 16, 17 *campidoctores et militarium exercitiorum magistri*: De *campidoctoribus* et *militum* sive *armorum magistris* saepe loquitur Vegetius. 20 *territa* etc.: Luc. *Phars.* ii. 572. 25 *Quid fieri* etc.: Veget. iii. 26 (p. 123. 20 seqq.).

uirtutem. Nec tamen propositum meum est rei militaris hic artem tradere quae quidem maxima est et pernecessaria et sine qua (ut uerbis Plutarchi utar) mancus quilibet intelligitur principatus. Quam si quis ediscere uoluerit, adeat Catonem Censorinum, legat et illa quae Cornelius Celsus, quae Iulius Iginus, quae Vegetius Renatus, cuius, eo quod elegantissime et diligentissime rei militaris artem tradidit licet exempla perstrinxerit, plura inserui; legat, inquam, quae isti posteris praescribenda duxerunt. Hoc b tamen in omnium artium utilitate uersatur ut nequaquam praeceptis exercitium desit. Nam, sicut ait Cicero, in unamquamque rem dare praecepta facillimum est sed eam efficaciter exequi laboriosissimum. Quod uero in praeceptis eloquentiae ad Herennium scribens de arte dicendi asseruit, eam scilicet inefficacem et inutilem esse sine usu et exercitatione dicendi, ad omnes artes arbitror transferendum quatenus non firmantur usu nec exercitio roborantur; adeo quidem ut, si artem usumque dissocies, utilior sit usus expers artis quam ars quae sui usum non habet. Nam et Dauid in funda et lapide, quorum peritiam et usum habebat, Allophilum strauit et in baculo suo c aggredi ausus est uirum cunctis terribilem et bellatorem ab adolescentia sua; reiecitque loricam regiam et arma quibus exercitatus non fuerat ratus omnia esse impedimento

---

2 tradere artem M 3 manchus S 8 tradit A prestrinxerit M 15 discendi M 22 cuntis C 23 adholescentia A 24 esse omnia M

---

3 *Plutarchi*: in *Institutione Traiani*; v. infra ad fin. cap. 5 *Catonem* etc.: v. Veget. i. 8 *quae Cato ille Censorius de disciplina militari scripsit, quae Cornelius Celsus* etc. 6 *Iulius Iginus*: v. Gell. i. 14 § 1 *Iulius Hyginus in libro de uita rebusque inlustrium uirorum*: cf. supra v. 7 (556 A). 11 *sicut ait Cicero*: v. *Rhet. ad Herenn.* i. 1 § 1 *de re dicere incipiemus, si te unum illud monuerimus, artem sine adsiduitate dicendi non multum iuuare, ut intellegas hanc rationem praeceptionis ad exercitationem adcommodari oportere.* 16 *ad omnes artes* etc.: cf. Veget. iii. 10 ad init. *Omnes artes omniaque opera cotidiano usu et iugi exercitatione proficiunt.* 20 *Dauid* etc.: v. 1 Reg. xvii. 23 seqq. *in funda et lapide*: 1 Reg. xvii. 50. 21 *Allophilum strauit*: v. Ambros. *in Ps. cxviii. Expos.* xvii. 24 (Migne *P. L.* xv. 1461); ἀλλοφύλους pro *Philisthaeis* passim habent LXX. *in baculo suo*: v. 1 Reg. xvii. 40. 22, 23 *bellatorem ab adolescentia sua*: v. 1 Reg. xvii. 33.

militiae quorum usus exercitio non firmatur. Ceterum sicut ars sterilis est usus ignara, sic et usus imperfectus est qui ex arte non prouenit. Est igitur singulorum initium a natura, qua reluctante et (ut dici solet) inuita Minerua nichil recte aggredimur. Progressus ab usu ab arte perfectio, si tamen iugi exercitatione fuerit solidata. Optinet hoc in liberalibus uirilibus et mecanicis aut si quae sunt quarum nondum audierimus mentionem, ut ars
d infecunda sit sine usu et usus temerarius sine arte. Militia ergo sine arte iners est, inofficiosa sine usu. Quocirca qui miles esse uoluerit, praediscat artem eamque usu et exercitio firmet ut, cum electus fuerit et militiae sacramento ascriptus, rei publicae et sibi utiliter uiuat et non sit, prout Plutarchus ait, manus manca. His enim uerbis in Institutione Traiani nouissime usus est, cum a manibus prolapsus est ad pedes. Sequamur ergo eum et, sicut ipse ait, quasi soccos pedibus faciamus ut non offendantur ad lapidem obicemue alium quem multiplex ingerit casus.

Cap. 20. *Qui sint pedes rei publicae et de cura eis impendenda.*

Pedes quidem qui humiliora exercent officia, appellantur, quorum obsequio totius rei publicae membra per terram gradiuntur. In his quidem agricolarum ratio uertitur qui
619 a terrae semper adherent siue in sationalibus siue in consitiuis siue in pascuis siue in floreis agitentur. His etiam aggregantur multae species lanificii artesque mecanicae, quae in ligno ferro ere metallisque uariis consistunt, seruiles quoque obsecundationes et multiplices uictus adquirendi uitaeque sustentandae aut rem familiarem

5 agredimur S 7 Obtinet SM mechanicis CBA 10 inhers S 13 plutarcus A 14 mancha C 19 rei publicae pedes A

4, 5 *inuita Minerua*: v. Cic. *de Off.* i. 31 § 110. 6 *exercitatione fuerit solidata*: cf. Apul. *de Dogm. Plat.* ii. 16 *exercitatione solidatos artus.* 24 *siue in sationalibus* etc.: v. quae Isid. *Orig.* xv. 13 § 6 (Migne *P. L.* lxxxii. 553) auctore Servio (*Comm. in Verg. Georg.* i. ad init.) ex Varrone citat. 28 *seruiles obsecundationes*: v. Cod. Iustin. x. 31 § 34.

amplificandi formae, quae nec ad praesidendi pertinent auctoritatem et uniuersitati rei publicae usquequaque proficiunt. Haec autem tot sunt ut res publica non octipedes cancros sed et centipedes pedum numerositate transcendat, et quidem prae multitudine numerari non possunt, cum tamen non infinita sint per naturam, sed quia tam uariae figurae sunt ut nullus umquam officiorum scriptor in singulas species eorum specialia praecepta b
dederit. Verumtamen quod generale est omnibus et singulis procuratur, ut legis scilicet limites non excedant et ad publicam utilitatem omnia referantur. Debent autem obsequium inferiora superioribus quae omnia eisdem uicissim debent necessarium subsidium prouidere. Vnde Plutarchus ea dicit in omnibus exequenda quae humilioribus, id est multitudini, prosunt; nam paucitas semper pluribus cedit. Ea ergo causa instituti sunt magistratus ut a subditis iniuriae propulsentur ipsaque res publica quasi illorum opificio calcietur. Est enim quasi discalciata quando iniuriis exponitur, quo nichil potest ignominiosius esse gerentibus magistratum. Afflictus namque populus c
quasi principis podagram arguit et conuincit. Tunc autem totius rei publicae salus incolumis praeclaraque erit, si superiora membra se impendant inferioribus et inferiora superioribus pari iure respondeant, ut singula sint quasi aliorum ad inuicem membra et in eo sibi quisque maxime credat esse consultum in quo aliis utilius nouerit esse prospectum.

Cap. 21. *Rem publicam ad naturae similitudinem ordinandam, et ordinem ab apibus mutuandum.*

Scripserunt de re publica etsi diuerso modo Cicero et Plato, cum alter qualis esse debeat disseruerit, alter qualis fuerit a maioribus instituta. Hanc tamen uterque et institutae et instituendae praescripsit formulam, ut uita

4 *octipedes cancros*: v. Ov. *Fast.* i. 313. 5, 6 *prae multitudine numerari non possunt*: v. Gen. xxxii. 12. 30 *Scripserunt* etc.: v. Macrob. *Comm. in Somn. Scip.* i. 1.

ciuilis naturam imitetur quam optimam uiuendi ducem
d saepissime nominauimus. Alioquin non modo inciuilis sed potius bestialis et bruta rite uocabitur. Quae sit autem naturae institutio, ipsa rationis expertia monstrare sufficiunt. Poetarum doctissimus Maro, ad quem Plutarchus suum destinat Traianum ut ciuilem uitam ab apibus mutuetur,

> admiranda canit leuium spectacula rerum.
> Solae communes natos, consortia tecta
> urbis habent, magnisque agitant sub legibus euum,
> et patriam solae, certos nouere penates,
> uenturaeque hiemis memores estate laborem
> experiuntur et in medium quaesita reponunt.
> Namque aliae uictu inuigilant et federe pacto
> exercentur agris; pars intra septa domorum
> Narcisi lacrimam et lentum de cortice gluten
> prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaces
> 620 a suspendunt ceras; aliae spem gentis adultos
> educunt fetus; aliae purissima mella
> stipant et liquido distendunt nectare cellas.
> Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti,
> inque uicem speculantur aquas et nubila celi
> aut onera accipiunt uenientum aut agmine facto
> ignauum fucos pecus a praesepibus arcent.
> Feruet opus redolentque thimo fragrantia mella.
> Tum, ueluti lentis Ciclopes fulmina massis
> cum properant, alii taurinis follibus auras
> accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt
> aera lacu, gemit impositis incudibus antrum,
> illi inter sese magna ui brachia tollunt
> in numerum uersantque tenaci forcipe ferrum;
> non aliter (si parua licet componere magnis)
> Cicropias innatus apes amor urget habendi
> munere quemque suo; grandaeuis opida curae
> et munire fauos et dedala fingere tecta.

---

3 uel censebitur uocabitur A: censebitur SM sit *om.* M 12 hyemis M 34 queque C²BA: quaeque M: quamque S oppida M

---

1 *naturam optimam uiuendi ducem*: Cic. *de Amicit.* 5 § 19. 2 *saepissime*: v. supra i. 4 (398 D), iii. 6 (485 D), iv. 5 (522 A). 8 *admiranda* etc.: Verg. *Georg.* iv. 3. 9 *Solae* etc.: Verg. *Georg.* iv. 153–218. 26 *Tum*: *Ac* Verg. 29 *antrum*: Hoc vocabulum (ex *Aen.* viii. 451, ut videtur, desumptum) in hoc loco exhibent Vergilii codex Palatinus et schedae Vaticanae; v. Conington ad loc.

At fessae multa referunt se nocte minores,
crura thimo plenae; pascuntur et arbuta passim b
et glaucas salices casiamque crocumque rubentem
et pinguem tiliam et ferrugineos iacinctos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis; nusquam mora rursus easdem
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
admonuit; tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit sonitus mussantque horas et limina circum.
Post, ubi iam thalamis se composuere, siletur
in noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
Nec uero a stabulis pluuia impendente recedunt
longius aut credunt sese aduentantibus Euris,
sed circum tutae sub menibus urbis aquantur
excursusque breues temptant, et saepe lapillos,
ut cimbae instabiles fluctu iactante saburram,
tollunt, his sese per inania nubila librant.
Illum adeo placuisse apibus mirabere morem
quod nec concubitu indulgent nec corpora segnes
in Venerem soluunt aut fetus nexibus edunt,
uerum ipsae foliis natos et suauibus herbis c
ore legunt; ipsae regem paruosque Quirites
sufficiunt aulasque et cerea regna refigunt.
Saepe etiam duris errando in cotibus alas
attriuere ultroque animam sub fasce dederunt;
tantus amor florum et generandi gloria mellis.
Ergo ipsas quamuis angusti terminus eui
excipiat (neque enim plus septima ducitur estas),
at genus immortale manet, multosque per annos
stat fortuna domus et aui numerantur auorum.
Praeterea regem non sic Egiptus et ingens
Lidia nec populi Parthorum aut Medus Hidaspes
obseruant; rege incolumi mens omnibus una est;
amisso rupere fidem constructaque mella
diripuere ipsae etiam crates soluere fauorum.
Ille operum custos, illum admirantur et omnes
circumstant strepitu denso stipantque frequentes,
et saepe attollunt humeris et corpora bello
obiectant pulchramque petunt per uulnera mortem.

4 iacintos B 8 ammonuit M 19 cuncubitu S 25 atriuere S 27 terminis C^{1}A 31 non regem A^{1} egyptus M 35 dirripuere S 39 pulcram AS

9 *horas*: i. e. *oras*. 13 *sese*: *caelo* Verg. 35 *etiam*: *et* Verg. 37 *strepitu*: *fremitu* Verg.

d Rei publicae omnes auctores percurre, rerum publicarum reuolue historias, uita ciuilis tibi rectius et elegantius nusquam occurret. Essentque proculdubio beatae ciuitates, si hanc sibi uiuendi praescriberent formam.

Cap. 22. *Quod sine prudentia et sollicitudine nullus magistratus subsistit incolumis, nec uiget res publica cuius caput infirmatur.*

Loca quoque uenerabilia, si apum insistant uestigiis, uia compendiosissima et expedita proficiscuntur ad uitam. Vide apud Maronem fundamenta Cartaginis et earum collatione beatae urbis auspicia poteris admirari. Omnium namque laborem communem agnosces et neminem otiari
621 a ipsamque reginam cuius ope ciuitatis structura consurgit; et, si labori inferiorum manus suas nequaquam immisceat, oculos tamen impendit operi et totius mentis exercet sollicitudinem. Nam sine prudentia et sollicitudine non modo res publica non procedit sed nec minima consistit domus. Vnde in commendatione Vlixis Homerus ei comitem docet semper prudentiam affuisse, quam ritu poetico Mineruam nuncupauit. Imitator quoque illius Maro, uirum insignem armis et pietate describens et quem dignum censuit ut patrem faceret Romanorum, ei in recte gerendis omnibus Acatem sociauit, eo quod sollicitudo prudentiae quae gerenda sunt rectissime promouet, et uiro circumspecto sic negotia saepe procedunt ut nullis insidiantium dolis praepediatur et quasi inuisibilis uia gerendorum non publicata ad finem intentionis perueniat destinatum. Eleganter

---

2 hystorias BM 7 capud AS 12 comunem S 18 omerus M 19 affuisse prudentiam A[1] 20 marro M 22 recte in M[1]

---

10 *apud Maronem*: v. Verg. *Aen.* i. 423 seqq. *earum*: sc. apum: v. Verg. *Aen.* i. 430 seqq. 13 *reginam* etc.: v. Verg. *Aen.* i. 507, 508. 18 *Vlixis* etc.: v. Apul. *de Deo Socr.* c. 24. 20, 21 *insignem armis et pietate*: v. Verg. *Aen.* vi. 403. 23 *sollicitudo*: cf. Serv. *Comm. in Verg. Aen.* i. 312 *diximus quaeri, cur Achates Aeneae sit comes. Varia quidem dicuntur, melius tamen hoc fingitur, ut tractum nomen sit a Graeca etymologia.* Ἄχος *enim dicitur sollicitudo, quae regum semper est comes.*

equidem, cum nec res militaris nec pietatis opus sine b sollicitudine et prudentia ualeat exerceri. Fidelis utique contractus est cum sollicitudo prudentiae sociatur, quia et ingenium perspicax retunditur otio, et sollicitudo non proficit nisi diuitis uenae fundamento nitatur.

Alterius sic
altera poscit opem res et coniurat amice.

Sed cuiuslibet rei quantumlibet recta initia non procedunt Minerua recedente. Procedat tibi poeta Mantuanus, qui sub imagine fabularum totius philosophiae exprimit ueritatem. Attende ergo nouorum ciuium diligentiam:

Qualis apes estate noua per florea rura
exercet sub sole labor, cum gentis adultos c
educunt fetus, aut cum liquentia mella
stipant et dulci distendunt nectare cellas,
aut onera accipiunt uenientum, aut agmine facto
ignauum fucos pecus a praesepibus arcent;
feruet opus, redolentque thimo fragrantia mella.

Ita uariis tenentur occupationibus ciues et dum sic coluntur officia singulorum ut uniuersitati prospiciatur, dum iustitia colitur, fines omnium mellea dulcedo perfundit. Verumtamen nullius rei politicae est diuturna felicitas, nisi uniuersitati prospiciat caput incolume. Quod, si non noueras, uel Didonis docearis exemplo. Quanta enim leuitate Eneas admittitur, quantam cito inuenit gratiam homo ignotus, exul, fugitiuus, cuius causa ignota est, persona suspecta? d Quanta curiositate exceptae sunt ab auribus principum fabulosae narrationes hominis suam euacuantis culpam, propriam quaerentis gloriam, et id captantis unde posset auditorum subuertere mentes? Praecedunt ergo ad introitum hominis sermones blandi, illecebrae laudum conciliant hospitii gratiam, conuiuium accuratius instruit

21 Verumptamen A[1] 22 felicicitas A 23 capud A[1]S

5 *diuitis uenae*: v. Hor. *A. P.* 409. 6 *Alterius* etc.: Hor. *A. P.* 410, 411. 10 *totius philosophiae*: cf. Macrob. *Sat.* i. 24 § 18. 12 *Qualis* etc.: Verg. *Aen.* i. 430–436. 24 *Didonis* etc.: v. Verg. *Aen.* i–iv. 29 *propriam quaerentis gloriam*: v. Ioann. vii. 18.

omnium captata sedulitas, fabulae sequuntur conuiuia, uenandi multiplicisque luxuriae leuitas comitatur. Incestum pariunt haec, incendium desolationem ciuium et perpetuae hostilitatis prorogant causas. Hic finis feminei et effeminati regni quod, licet uirtutis habuerit fundamentum, succedentibus prosperis minime potuit inuenire processum.
622 a Leuiter admissus est qui, quamuis ex pietatis officio ut hospes non fuerat excludendus, opportunius tamen fuerat eum ut aduenam, non quasi iudicem introire.

Cap. 23. *Leuitatem sicut loquendi ita et audiendi uitandam; et quod finis uoluptatis penitentia est.*

Omnia, inquit, fac cum consilio et post factum non penitebis. Praeterea, sicut principem leuia proferre non decet, sic nec facilem quidem esse ad leuia audienda. Ait enim Sapientia: Princeps qui libenter audit uerba mendacii omnes ministros habet impios. Cum fabulationibus et conuiuiis se totis uiribus immiscet Venus, cuius qui prima missilia libenter admittit, quin posterioribus grauius uulne-
b retur uix euadit.

Visus et alloquium, contactus et oscula, factum,

sicut se praecedunt ordine, ita et ex necessitate doloris inferunt partum. Voluptatis siquidem finis penitentia est. Si michi non credis, uel Demosteni crede, qui satis urbane

---

8 oportunius ASM

---

9 *ut aduenam, non quasi iudicem*: v. Gen. xix. 9. 12 *Omnia* etc.: v. Eccli xxxii. 24. Pro *Omnia fac cum consilio* habet Vulg. *Sine consilio nihil facias*; Ambrosius tamen *in Ps. xxxvi Enarr.* § 66 (Migne *P. L.* xiv. 1001) sic eundem locum citat: *Et tu cum consilio omnia fac.* 15 *Princeps* etc.: Prov. xxix. 12. 20 *Visus* etc.: v. Donat. *Comm. ad Ter. Eun.* iv. 2. 12 *quinque lineae perfectae sunt ad amorem: prima uisus, secunda alloquii, tertia tactus, quarta osculi, quinta coitus*; cf. *Schol. Terent.* ed. Schlee p. 106; Porphyr. *Schol. in Hor. Od.* i. 13. 15; Inde conflatus est versiculus iste, quem in glossis antiquis ad verba Dig. xlviii. 5. 23 *in ipsis rebus Veneris* legimus: *Visus et alloquium, tactus, post oscula, factum* (sic ad Dig. loc. cit. ed. Paris. 1676). In saec. xvii° opusculum ab Henrico Kornmanno scriptum est et a. 1610 Francofurti editum, cui titulus est *Linea Amoris sive Commentarius in versiculum gl. 'Visus colloquium convictus oscula factum' in l. 23 ff. ad L. Iuliam de adulteriis.*

hoc Laidi dicitur respondisse. Haec autem Lais Corinthia ob elegantiam uenustatemque formae grandem pecuniam demerebat; conuentusque ad eam diuorum hominum ex omni Graecia celebres erant, nec admittebat nisi qui dabat quae poscebat; poscebat autem illa nimium quantum. Hinc natum est frequens illud prouerbium apud Grecos: Frustra quis Corinthum tendit ad Laidem, nisi queat aut uelit dare quod poscitur. Ad hanc ille Demostenes clanculo adit et ut copiam sui faceret petit. At Lais hoc quantum c poposcit quod nostratis nummi denarium faciat decies mille aequaturque medietati talenti maioris, quod nostratis denarii uiginti milia claudit. Tali petulantia mulieris atque pecuniae magnitudine ictus expauidusque Demostenes auertitur et discedens: Ego, inquit, penitere tanti non emo. Visne proximiora? Nosti quis dixerit quia:

Habet hoc uoluptas omnis;
stimulis agit fruentes
apiumque par uolantum,
ubi grata mella fudit,
fugit et nimis tenaci
ferit icta corda morsu.

Initia namque cupidinis dulcia sunt super mel et fauum, at nouissima eius quouis absintio amariora sunt. Quis est d enim finis confabulationis conuiuiorum et expletae libidinis nisi pira incensa et quae in omnes ciues desolationis incendia spargit?

---

1 corrinthia B: corintia S 5 poscebat 1°] poscebatur CBAS[1]M 6 illud frequens A[1] 7 qui C[2]BA chorintum S 8 Demonstenes M 17 fruentes] feruentes CBAM 18 apum CBASM[2] 19 mella grata A[1] 23 absinthio AM

---

1 *Haec autem Lais* etc.: v. Gell. i. 8. 3 *diuorum*: *ditiorum* Gell. 10 *quod nostratis* etc.: v. Hertzii ad Gellii locum commentarium. 17 *stimulis* etc.: Boeth. *Consol. Philos.* iii. Metr. vii. 22 *Initia* etc.: v. Prov. v. 3, 4 *Fauus enim distillans labia meretricis . . . nouissima autem illius quasi absinthium.* *dulcia super mel et fauum*: Ps. xviii. 11; Eccli xxiv. 27. 25 *nisi pira* etc.: v. Iustin. i. 3 § 5.

Cap. 24. *Vitia potestatum ferenda sunt eo quod in eis auspicia publicae salutis constant, et quod dispensatores salutis sunt sicut stomacus in corpore animalis nutritiua dispertit, et hoc ex sententia domini Adriani.*

Vade, inquit Salomon, ad formicam, O piger, ut prouidentia habeatur. At philosophus uirum politicum mittit ad apes ut ab illis suum discat officium; cui si Tyrii adquieuissent, nequaquam luxuriae indulsissent et de gentis
623 a perpetua incolumitate gauderent. Sed, quia uitium in muliere domina radicauit, effeminati ciues subduxerunt colla uirtuti. Porro, etsi in officio uirtutum sit remissior principatus, colendus tamen est; et, sicut apes in humeris regem suum attollunt, ita subiecti, quos pedes et membra esse praediximus, dummodo uitiis perniciosus non sit, omnimodum ei exhibeant famulatum. Nam, etsi laboret uitiis, ferendus est tamquam in quo salutis auspicia prouincialibus extant.

Rege incolumi mens omnibus una;
amisso rupere fidem.

Illirici et Traces cotidiano exercitio indurati gloria bellicae laudis finitimos Macedones terrebant, qui praelio pulsi, rege
b suo regis defuncti filio in cunis prolato et pone aciem posito, acrius certamen repetiere tamquam ideo uicti fuissent quod bellantibus defuerant auspicia regis sui, uictores futuri uel propterea quod ex superstitione uel fide animum uincendi ceperant. Nam et miseratio infantis eos tenebat quem, si uicti essent, captiuum de rege facere uidebantur. Conserto itaque praelio magna caede Illiricos fuderunt ostendentes

---

4 *post* Adriani *add.* pape et quinti sereni S^2 7 tirii ASM 15 ei *om.* M 22 filio defuncti $C^1B^1A^1$

---

5 *Vade* etc.: v. Prov. vi. 6. 6 *philosophus*: i. e. Plutarchus in *Institutione Traiani*; v. supra c. 21 (619 D). 7 *Tyrii*: i. e. Carthaginienses. 9, 10 *in muliere domina*: i. e. in Didone. 12 *sicut apes* etc.: v. Verg. *Georg.* iv. 217. 14 *praediximus*: v. supra c. 20. 17 *Rege* etc.: Verg. *Georg.* iv. 212, 213. 20 *Illirici* etc.: v. Iustin. vii. 2 §§ 6–12. 25 *uel fide*: addidit Ioannes.

hostibus suis priore bello regem non uirtutem Macedonibus defuisse. Quanti ergo esse debet iam prouectus etate et dignitate, si tanti habetur utroque prouehendus? Licet autem duriuscule uideatur tractare populum, tamen auctoritas dignitatis et utilitas officii debent prouincialium animos mitigare. Memini me causa uisitandi dominum c Adrianum pontificem quartum, qui me in ulteriorem familiaritatem admiserat, profectum in Apuliam, mansique cum eo Beneuenti ferme tres menses. Cum itaque, ut fieri solet inter amicos, saepe super plurimis conferremus, et ipse quid de se et ecclesia Romana sentirent homines a me familiarius et diligentius quaereret, ego apud eum usus spiritus libertate mala, quae in diuersis prouinciis audieram, patenter exposui. Sicut enim dicebatur a multis, Romana ecclesia, quae mater omnium ecclesiarum est, se non tam matrem exhibet aliis quam nouercam. Sedent in ea Scribae et Pharisei ponentes onera importabilia in humeris hominum quae digito non contingunt. Dominantur in clero nec forma fiunt gregi qui recto calle pergit ad uitam, pretiosam suppellectilem congerunt, auro et argento onerant mensas, d sibi etiam ab auaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus quam uana gloria introducit. Concutiunt ecclesias, lites

5 officii utilitas BM   7 iiii S   20 supellectilem BAM

6 *Memini* etc.: notavit et cum lib. viii. c. 23 contulit Parkerus in C.; citavit Pauli *M. G. H.*, *SS.*, xxvii. pp. 46, 47. 8 *in Apuliam*: cf. *Metalog.* iii. prol. (889 A) *Apuliam secundo peragraui.* Ex *Policr.* vii. 19 (682 A) Apuliam primum petiisse videtur Ioannes noster *regnante Rogero Siculo*, i. e. ante mensem Feb. 1154: iterum, ut ex hoc loco apparet. a. 1155–1156. 9 *Beneuenti*: Beneventi moratus est Hadrianus IV a mense Nov. a. 1155 usque ad Iul. a. 1156 (Jaffé, *Reg. Pontif.* ii. 113 seqq.). 11 *de se* etc.: cf. de hac re Ivon. Carnot. *Ep.* 189 ad Paschalem papam (Migne *P. L.* clxii. 127) *Cum enim a latere uestro mittitis ad nos cardinales uestros tanquam filios uterinos, quia in transitu apud nos sunt, non tantum non possunt curanda curare sed nec curanda prospicere; inde est quod multi praepositorum facta gladio linguae ferire cupientes dicunt sedem apostolicam non subditorum quaerere sanitatem sed suam aut lateralium suorum quaerere commoditatem.* 16 *Sedent* etc.: v. Matt. xxiii. 2, 4; cf. Luc. xi. 46. 18 *Dominantur* etc.: v. 1 Petr. v. 3. 19 *recto calle* etc.: v. Isa. xxvi. 7; Matt. vii. 14.

excitant, collidunt clerum et populum, laboribus et miseriis afflictorum nequaquam compatiuntur, ecclesiarum letantur spoliis et quaestum omnem reputant pietatem. Iustitiam non tam ueritati quam pretio reddunt. Omnia namque cum pretio hodie; sed nec cras aliquid sine pretio obtinebis. Nocent saepius et in eo daemones imitantur quod tunc prodesse putantur cum nocere desistunt, exceptis paucis qui nomen et officium pastoris implent. Sed et ipse
624 a Romanus pontifex omnibus grauis et fere intolerabilis est; praeterea omnes arguunt quod, ruentibus et collabentibus ecclesiis quas patrum construxit deuotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit et ipse non modo purpuratus sed deauratus incedit. Palatia splendent sacerdotum et in manibus eorum Christi sordidatur Ecclesia. Prouinciarum diripiunt spolia ac si thesauros Cresi studeant reparare. Sed recte cum eis agit Altissimus, quoniam et ipsi aliis et saepe uilissimis hominibus dati sunt in direptionem. Et, ut opinor, dum sic in inuio errauerint, numquam deerit eis flagellum Domini. Os siquidem Domini locutum est quia quo iudicio iudicauerint, iudicabuntur, et sua mensura remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non nouit. Haec,
b inquam, pater, loquitur populus, quandoquidem uis ut illius tibi sententias proferam. Et tu, inquit, quid sentis? Angustiae, inquam, sunt undique. Vereor enim ne mendacii uel adulationis contraham notam si solus populo contradixero; sin autem, reatum uereor maiestatis ne tamquam

---

12 exstruit B: extruxit A[1]

3 *quaestum* etc.: v. 1 Tim. vi. 5. 4, 5 *Omnia cum pretio*: Iuv. *Sat.* iii. 183, 184. 8 *Sed et ipse* etc.: notavit Parkerus in C. 10 *ruentibus* etc.: De urbis Romae ruina sub Gregorio VII effecta v. Gregorov. *Gesch. der Stadt Rom* vii. 6 § 4 (iv. pp. 238 seqq.). 12 *palatia*: Hadriani IV antecessor proximus Anastasius IV in pontificatu brevissimo (a. 1153-1154) *fecit apud sanctam Mariam rotundam nouum palatium*, ut ait Boso cardinalis Hadriani IV camerarius (Watterich *Pontif. Rom. Vit.* ii. p. 322; Duchesne *Lib. Pontif.* ii. 388); de Eugenio III, Anastasii ipsius antecessore, apud eundem legitur: *Hic fecit unum palatium apud sanctum Petrum et Signiae alterum* (Watterich ii. p. 283; Duchesne ii. p. 387). 18 *in inuio errauerint*: v. Ps. cvi. 40. 19 *Os Domini locutum est*: Isa. i. 20, lviii. 14. 20 *quo iudicio* etc.: v. Matt. vii. 2. 21 *Antiquus dierum*: Dan. vii. 9. 24 *Angustiae sunt undique*: Dan. xiii. 22 (in historia Susannae).

qui os meum in celum posuerim, crucem uidear meruisse. Verumtamen, quia Guido Dens sanctae Potentianae presbiter cardinalis populo testimonium perhibet, ei usquequaque contradicere non praesumo. Asserit enim in Romana ecclesia quandam dupplicitatis esse radicem et fomentum auaritiae quae caput et radix est malorum omnium. Neque id quidem in angulo sed considentibus fratribus sancto Eugenio praesidente, quando aduersus innocentiam meam Ferentini gratis excanduerat, hoc publice protestatus c
est. Vnum tamen audacter conscientia teste profiteor quia nusquam honestiores clericos uidi quam in ecclesia Romana aut qui magis auaritiam detestentur. Quis Bernardi Redonensis sanctorum Cosmae et Damiani diaconi cardinalis continentiam, contemptumque pecuniae, non miretur? Nondum natus est a quo munus acceperit. Quod tamen

---

5 duplicitatis M 6 est radix B omnium malorum M

---

1 *os meum* etc.: v. Ps. lxxii. 9. 2 *Guido Dens* etc.: Guido Cibo sive Dens, Genuensis, S. Potentianae seu Pudentianae alias Pastoris dictae ecclesiae presb. cardinalis promotus est a Lucio II a. 1144, mortuus est a. 1159 (v. de Mas Latrie *Trés. de Chron.* p. 1186). Bullis Eugenii III subscripsit a. 5 Apr. 1145 ad 10 Apr. 1153 (Jaffé ii. p. 20). Inter presbyteros cardinales qui cum Eugenio III ad Treverim a. 1147 venerunt, a Balderico *Gest. Alberonis Archiepiscopi Trevirensis* c. 23 (Pertz *M. G. H.*, *SS.*, viii. p. 255; Watterich ii. p. 301) nominatur *magister Guidodens, uir ualde litteratus, legum et iuris peritus.* De eodem narrat Boso in *Vita Hadriani IV* supra citata (Watterich ii. pp. 324, 325; Duchesne ii. 389, 390) quae sequuntur: *Venerabilem namque uirum magistrum D. presbiterum cardinalem tituli sancte Pudentiane ad presentiam ipsius eundem, quidam ex ipsis hereticis* (sc. Arnoldi Brixiensis sectatoribus) *ausu nefario in uia Sacra inuadere presumpserunt at ad interitum uulnerarunt* (in hoc loco pro *D.* uel *O.*, quod exhibet codex, *G.* coniecit v. cl. L. Duchesne; fortasse *D* retineri, *Dens* autem subintelligi debet). Non tamen hoc tempore mortem obiit Guido; paullum enim infra pergit Boso: *Interea Fredericus Teutonicorum rex . . . celeriter properabat ad Vrbem in tanta festinantia ut merito credi possit magis hostis accedere quam patronus. Hoc igitur cognito, Adrianus papa, qui eo tempore apud Viterbium residebat . . . misit ei obuiam I. tituli sanctorum Iohannis et Pauli et G. tituli sancte Pudentiane presbiteros atque G. diaconum sancte Marie in porticu cardinales* etc. 4 *Asserit* etc.: notavit Parkerus in C. marg. 6 *radix est malorum omnium*: v. 1 Tim. vi. 10. 9 *Ferentini*: ubi residebat Eugenius III a 23 Nov. a. 1150 usque ad 22 Iun. 1151; v. Jaffé *Reg. Pontif.* ii. 69 seqq.; cf. *Hist. Pontif.* c. 35 seqq. (Pertz *M. G. H.*, *SS.*, xx. pp. 539 seqq.); de rebus Anglicis apud curiam Romanam Ferentini tractis vide capp. 39, 41, 42. 12, 13 *Bernardi Redonensis*: De illo v. supra v. 15 (577 c).

a communione fratrum sinceriore iure proueniebat, interdum accipere persuasus est. Quis non stupeat episcopum Praenestinum qui scrupulum conscientiae metuens et a participatione bonorum communium abstinebat? Plurium tanta modestia, tanta grauitas est ut Fabricio non in-
d ueniantur inferiores, quem agnita salutis uia modis omnibus antecedunt. Quia ergo instas, urges, praecipis, cum certum sit quod Spiritui sancto mentiri non licet, fateor quia quod praecipis faciendum est, etsi non sitis omnes operibus imitandi. Nam qui a doctrina uestra dissentit aut hereticus aut scismaticus est. Sed, Deo propitio, sunt qui non omnium uestrum opera imitentur. Paucorum ergo labes sinceris maculam et uniuersali Ecclesiae infamiam ingerit; et mea opinione ideo frequentius moriuntur ne
625 a totam corrumpant Ecclesiam. Sed et boni rapiuntur interdum ne malitia immutentur, et quia Roma corrupta apud Deum his repperitur indigna. Tu ergo quia id habes officii, quaere et insere humiles, uanae gloriae et pecuniae contemptores. Sed timeo ne, dum pergis quaerere quae uis, ab imprudente amico audias quae non uis. Quid est, pater, quod aliorum discutis uitam et te ipsum minime

---

9 omnibus A[1] 12 imittentur CBS 14 ideo *om.* M

2, 3 *episcopum Praenestinum*: i.e. Guarinum Bononiensem, qui a. 1144 a Lucio II papa, Bononiensi ipso, episcopus cardinalis Praenestinus creatus est; *cumque equitatum pretiosum*, ut ait Augustinus Ticinensis in Vita eius (*Act. SS.* Feb. i. p. 916) *aliosque episcopales apparatus a pontifice dono recepisset, mox uenditis omnibus, pauperibus pretium erogauit.* Sub Lucio II 14 Feb. 1145, sub Eugenio III 14 Apr. 1150, sub Anastasio IV a 22 Sept. 1153 ad 27 Mai. 1154 bullis pontificalibus subscripsit (Jaffé *Reg. Pontif.* ii. pp. 7, 20, 89). Obiit, si Ughellio (*Ital. Sacr.* i. 198) et editori Bollandistae credendum est, 6 Feb. 1159; Iulii tamen successoris eius in sede Praenestina nomen iam 22 Sept. 1158 cuidam Hadriani IV bullae subscriptum reperitur, ut testatur Jaffé (ii. p. 102). Inter sanctos ab Alexandro III relatus est Guarinus et die sexto Feb. a canonicis regularibus Lateranensibus colitur; v. *Act. SS.* Feb. i. p. 915. De illo vide, praeter locos iam laudatos, Ciaconii *Vit. Pontif.* ed. Oldoin. pp. 1023 seq. 4 *bonorum communium*: De bonis cardinalium communibus cf. Fabre *Le Liber censuum de l'église romaine*, pp. 27 seq. 5 *Fabricio*: v. Gell. i. 14; cf. supra v. 7 (556 A seqq.). 8 *Spiritui sancto mentiri*: v. Act. App. v. 3. 8, 9 *quod praecipis* etc.: v. Matt. xxiii. 3. 14 *et mea* usque ad *Ecclesiam*: minio notavit Matt. Parkerus in cod. C. marg. 15 *rapiuntur* etc.: v. Sap. iv. 11. 16, 17 *corrupta apud Deum*: v. Gen. vi. 11.

perscrutaris? Omnes applaudunt tibi, pater omnium uocaris et dominus, et capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergo pater es, quare a filiis munera et retributiones expectas? Si dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis et temeritate repressa eos ad fidem non reuocas? At urbem uis Ecclesiae tuis muneribus conseruare. Numquid eam sic Siluester muneribus adquisiuit? In inuio, pater, es et non in uia. Eisdem est conseruanda muneribus quibus est adquisita. Quod gratis accepisti, gratis dato. Iustitia regina uirtutum est et erubescit quouis pretio permutari. Si gratiosa futura est, b sit gratuita. Nequaquam prostituatur ad pretium quae corrumpi non potest; integra est et semper incorrupta. Dum premis alios, et tu grauius opprimeris. Risit pontifex et tantae congratulatus est libertati, praecipiens ut, quotiens sinistrum aliquid de ipso meis auribus insonaret, hoc ei sine mora nuntiarem. Et, cum plurima nunc pro se, nunc contra se respondisset, apologum huiusmodi michi proposuit. Ait ergo: Accidit ut aduersus stomachum membra omnia totius corporis conspirarent tamquam aduersus eum qui uoracitate sua labores omnium exhauriret. Non satiatur oculus uisu, auris auditu, laboribus insistunt manus, pedes ab itinere callum induunt, ipsaque lingua utiliter sermonem et silentium moderatur. Omnia denique membra publicis c inuigilant commodis et in tanta sollicitudine omnium et labore solus quiescit uenter et cum omnia parta fuerint

19 stomacum A 25 comodis S

2, 3 *oleum peccatoris*: Ps. cxl. 5; quod de adulatione interpretatur Augustinus ad loc. (Migne *P. L.* xxxvii. 1824). 7 *Siluester*: cui, ut tempore Ioannis nostri credebatur, *Constantinus imperator coronam et omnem regiam dignitatem in urbe Romana . . . concessit* (Grat. *Decr.* I. xcvi. c. 13 ed. Friedb. i. p. 342). 8 *In inuio* etc.: v. Ps. cvi. 40. 9 *Quod gratis* etc.: v. Matt. x. 8. 10 *Iustitia regina uirtutum*: v. Cic. *de Off.* iii. 6 § 28. 19 *Accidit* etc.: Fabulam illam nobilissimam a Menenio Agrippa ad plebem Romanam in monte Sacro narratam sequitur Hadrianus; quam auctore Livio (ii. 32) refert Florus i. 17 (23). 21 *Non satiatur* etc.: v. Eccles. i. 8. *Saturatur* habet Vulg. hodierna; at *satiabitur* ex vers. antiquiore citare Ambrosium et Hieronymum, *satiatur* autem auctorem quendam alium antiquum testatur Sabatier *Bibl. Sacr. Vers. Lat. Antiq.* ii. p. 354.

quae labor multiplex adquisiuit, solus omnia deuorat et consumit. Quid multa? Condixerunt ut a laboribus abstinerent et graui inedia conficerent illum inertem et publicum hostem. Exacta est sic una dies, secuta est altera tediosior. Tertia adeo perniciosa fuit ut fere omnibus defectum indiceret. Vrgente itaque necessitate fratres item in unum conuenerunt acturi de salute sua et hostis publici statu. Cum uero omnes assisterent, oculi languerunt, pes molem corporis non erexit, torpebant brachia, sed et ipsa lingua inhers et deficienti palato
d sociata causam communem exponere non praesumpsit. Ad cordis ergo consilium omnia redierunt ibique habita deliberatione ratio patefecit quoniam haec mala ingerebat qui ante denuntiatus fuerat publicus hostis. Ex quo enim ei tributa subtracta sunt et ipse quasi publicus dispensator omnibus alimenta subduxit. Et quia nemo potest sine stipendiis militare, cum stipendia non procedunt, debilitatur et frangitur miles. Sed nec in dispensatorem poterat culpa refundi, qui quod non acceperat, minime potuerit aliis erogare. Longeque tutius esse ut ei quod distribuat ministretur quam illo euacuato omnia membra esuriant. Factumque est ita; suadente ratione repletus est uenter, refocillata membra, et pax omnium reformata. Absolutus
626 a est itaque stomachus, qui, licet uorax sit et auidus alieni, non sibi tamen petit sed aliis quae eo exinanito nequeunt sustentari. Tale est, inquit, frater, si recte attendas, in corpore rei publicae ubi, licet plurimum appetat magistratus, non tam sibi quam aliis coaceruat. Si enim exinanitus fuerit, nichil est quod membris ualeat impartiri. Nam stomachi in corpore et principis in re publica idem officium est iuxta illud Quinti Sereni:

> Qui stomachum regem totius corporis esse
> contendunt, uera niti ratione uidentur.

---

9 molam CBA[1]S[1] 22 repletus] impletus M

---

16 *nemo potest* etc.: cf. 1 Cor. ix. 7. 32 *Qui stomachum* etc.: Q. Serenus Sammonicus *Lib. Medicin.* 300–305 (Baehrens *Poet. Lat. Min.* iii. pp. 120, 121).

Huius enim ualidus firmat tenor omnia membra,
at contra eiusdem franguntur cuncta dolore;
quin etiam, nisi cura iuuet, uitiare cerebrum
fertur et integros illinc auertere sensus.

Noli ergo neque nostrum neque secularium principum b
duritiam metiri, sed omnium utilitatem attende.

Cap. 25. *De coherentia capitis et membrorum rei publicae; et quod princeps quaedam imago deitatis est, et de crimine maiestatis, et de his quae sunt in fidelitate seruanda.*

Michi uero satisfactum est et persuasus sum deuotos humeros supponere potestati; nec modo fero eam sed grata est dum Deo subiecta est et illius ordinem sequitur. Alioquin, si diuinis reluctetur mandatis et me theomachiae suae uelit esse participem, libera uoce respondeo Deum cuiuis homini praeferendum. Sic ergo cohereant inferiora superioribus, sic uniuersa membra se subiciant capiti ut religio seruetur incolumis. Rem politicam legitur Socrates instituisse et in eam dedisse praecepta quae a sinceritate c
sapientiae quasi quodam fonte naturae manare dicuntur. Hoc autem in summa colligitur, ut quae in re publica humiliora sunt, maiorum officio diligentius conseruentur. Institutionem Traiani, cuius mentio superius facta est, diligentius relege, et haec latius conscripta inuenies. Nobis autem haec de unitate capitis et membrorum ad praesens dixisse sufficiat, hoc adiecto quod praemisimus, quod lesio capitis, ut praediximus, ad omnia membra refertur et cuiusque membri uulnus iniuste irrogatum ad capitis spectat iniuriam. Ceterum quod aduersus caput aut uniuersitatem membrorum dolo malo malitia praesumit, crimen est grauissimum et proximum sacrilegio, quia, sicut illud Deum d
attemptat, ita et istud principem, quem constat esse in

8 ymago M 12 subponere SM

18 *Rem politicam* etc.: cf. Chalcid. *Comm. in Tim. Plat.* cc. 5, 6.
29 *Ceterum* etc.: v. Dig. xlviii. 4. 1.

terris quandam imaginem deitatis. Et ex eo quidem maiestatis dicitur crimen, quod persequitur illius imaginem qui solus, sicut illustris comes Legecestriae Rodbertus modeste proconsulatum gerens apud Britannias dicere consueuit, uerae et ingenuae maiestatis retinet ueritatem; puta cum quis aduersus principis securitatem aut populi quid molitur siue per se siue per alium. In huius autem persecutione omnibus aequa conditio est; et plerumque fit ut nec mortis beneficio, in his etiam quos nemo conuenit in uita, liberentur; sed conuictis mortuis illorum dampnatur memoria et bona successoribus auferuntur. Nam ex quo
627 a sceleratissimum quis consilium cepit, exinde quodammodo sua mente punitus est. Ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare neque manumittere posse constat nec ei soluere iure debitorem. Famosi quoque, qui alias ius accusandi non habent, sine ulla dubitatione hic admittuntur, sed et milites, qui alias causas defendere non possunt. Nam qui pro pace excubant, magis magisque ad hanc accusationem admittendi sunt. Serui quoque dominos licenter deferunt et liberti patronos. Hoc tamen crimen a iudicibus non in occasionem ob principalis maiestatis uenerationem habendum est sed in ueritate. Nam et spectanda est persona an potuerit facere et an fecerit, an cogitauerit et an (antequam hoc praesumpserit) sanae mentis

1 ymaginem M Et *om.* M 3 Robertus BA: R. M 10 damnatur CBS 12 celeratissimum S 19 accususationem M

2 *illius*: sc. Dei. 3 *Rodbertus*: De illo v. J. H. Round in *Dict. of Nat. Biog.* s. v. *Beaumont, Robert de, Earl of Leicester*; cf. Nostri *Ep.* 238 anno 1168 ad Girardum Pucelle scriptam, sub fin.: *Nec noua scribo nisi quod comes Legecestriae obdormiuit in Domino.* 4 *proconsulatum gerens*: Quo in anno a *Policratico* scribendo cessavit Ioannes, Robertus iste de quo hic agitur vice regis Henrici II in Anglia fungebatur ut *capitalis iusticia* seu *iusticiarius* (cf. Eyton *Court, Household, and Itinerary of K. Henry II.* pp. 3, 19): v. *Magn. Rot. Pip.* 5 Hen. II. rot. 3. m. 1. *et militibus de Waliis* 17*l.* 10*s. per breue comitis Legecestriae,* 6 Hen. II. rot. 6. m. 2 *Ricardus de Canuilla i girfalconem per breue comitis Legecestriae* (ed. Lond. 1884 i. p. 18, ii. p. 45). De iusticiarii sive *capitalis iusticiae* officio cf. *Dial. de Scacc.* i. 4 B (ed. Oxon. 1902 p. 67). 8 *omnibus aequa conditio est*: Cod. Iustin. ix. 8. 4. 8, 9 *nec mortis* etc.: v. Cod. ix. 8. 6. 15 *Famosi* etc. usque ad *uindicandum est*: Dig. xlviii. 4. 7. 24 *antequam hoc praesumpserit*: non exstant in Dig.

fuerit. Nec lubricum linguae ad penam facile trahendum b est; quamquam enim temerarii pena sint digni, tamen et illis parcendum est si non tale sit delictum quod uel ex scriptura legis descendat uel quod ad exemplum legis uindicandum est. Audiuntur et mulieres in lesae maiestatis quaestione; nam coniurationem Sergii Cathelinae Iulia mulier detexit et Marcum Tullium consulem in iudicium eius instruxit. Tormentis quidem subdendi sunt, si hoc ratio necessitatis aut utilitatis inducat, qui criminis eius rei esse creduntur cum illis quorum consilio atque instinctu ad accusationem uisi sunt accessisse, ut ab omnibus commissis consciis uindicta possit instituta reportari. Sunt autem plurima quae maiestatis informant crimen, ut si de morte principis tractetur aut magistratuum, aut arma quis c contra patriam tulerit aut relicto principe de publico bello profugerit aut concitatum in seditionem aduersus rem publicam sollicitauerit populum, cuiusue opera doloue malo hostes populi reique publicae commeatu armis telis pecunia quaue alia re adiuuantur uel ex amicis hostes rei publicae fiunt, cuiusue dolo malo opera factum erit quo magis obsides pecunia dentur aduersus rem publicam, quo minus etiam gens extraneae regionis rei publicae obtemperet; fecerit item qui confessum in iudicio reum propter hoc in uincula coniectum emiserit; et in hunc modum plurima quae longum aut impossibile est enarrare. Sed, quia formam fidelitatis d in eo prae ceteris seruari oportet, pauca sunt ex quibus quid non liceat commodissime colligi potest. Necessarii namque contrarium impossibile est, et ei quod oportet fieri sola illicita contradicunt. Exigit autem fidelitatis forma quae necessario fidei sunt inserta, incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Ne cui fidelitate tenemur astricti,

---

17 *post* dolo *om.* ue A²S 18 comeatu S 27 comodissime AS

5 *Audiuntur* etc.: v. Dig. xlviii. 4. 8. 8 *Tormentis* etc.: De tormentis maiestatis causa adhibendis v. Cod. ix. 8. 4, 6, 7, 8. 12, 13 *Sunt autem plurima* etc.: v. Dig. xlviii. 4. 1, 2, 4. 27 *Necessarii* etc.: Propositiones *Necesse est esse* et *Impossibile est esse* de subiecto eodem simul vere dici nequeunt, falso autem possunt. 29 *Exigit* etc.: v. Epistolam Fulberti Carnotensis ap. Grat. *Decret.* II. xxii. 5 c. 18 (Friedberg i. 887).

incolumitatem ledamus corporis, aut munitiones quibus tutus est detrahamus, aut praesumamus committere unde honor aut illius utilitas minuatur; sed neque id, quod facile est, difficile fieri licet, aut quod possibile est, impossibile. Praeterea qui beneficium ab eo, cuius fidelis est, possidet,
628 a gerendis eius auxilium et consilium debet; unde quantum omnium Domino debeatur sole clarius lucet, si tantum debetur iis quibus sola fidelitate tenemur astricti. Sed et pena huius criminis tanta est ut non facile crediderim nec a dominis insularum, qui frequentius tyrannidem induunt, seuerius quippiam excogitari posse. Et, ne a tyrannorum seuitia penae seueritas processisse credatur, ipsius modestissimi iuris uerba pro parte posuimus. Ait ergo: Quisquis cum militibus uel cum priuatis uel barbaris etiam scelestam inierit factionem aut facinoris ipsius susceperit sacramentum uel dederit, de nece etiam uirorum illustrium qui consiliis et consistorio nostro intersunt, senatorum etiam (nam et ipsi pars corporis nostri sunt) uel cuiuslibet po-
b stremo qui nobis militat, cogitauerit (eadem enim seueritate uoluntatem sceleris qua effectum puniri iura uoluerunt), ipse quidem utpote maiestatis reus gladio feriatur, omnibus bonis eius fisco nostro addictis. Filii uero eius, quibus uitam imperatoria specialiter lenitate concedimus—paterno enim debent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hereditarii, criminis exempla metuuntur—a materna uel auita, omnium etiam proximorum hereditate ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nichil capiant. Sint perpetuo egentes et pauperes, infamia eos semper paterna comitetur. Ad nullos umquam honores, ad nulla prorsus sacramenta perueniant. Sint postremo tales ut his perpetua egestate sordentibus sit et mors solatium et uita
c supplicium. Denique iubemus etiam eos notabiles esse sine

8 hiis A: his M 9 est tanta M 10 tirannidem ASM 11 tirannorum ASM 13 uerba *om.* M[1] 30 hiis A 32 suplicium S

10 *insularum*: cf. Plin. *H. N.* xxxvii. § 3 de Polycrate. 14 *Quisquis* etc. usque ad finem capituli: Cod. ix. 8. 5. 15 *facinoris*: *factionis* Cod.

uenia qui pro talibus umquam apud nos interuenire temptauerint. Ad filias sane eorum, quolibet numero fuerint, Falcidiam tantum ex bonis matris, siue testata siue intestata defecerit, uolumus peruenire, ut habeant potius mediocrem filiae alimoniam quam integrum emolumentum et nomen heredis. Mitior enim circa eas debet esse sententia quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus.

Vxores sane praedictorum, recuperata dote, si in ea conditione fuerint ut quae a uiris titulo donationis acceperunt filiis debeant reseruare tempore quo ususfructus absumitur, omnia ea fisco nostro se relicturas esse cognoscant quae iuxta legem filiis debebantur; Falcidia etiam ex iis rebus d filiabus tantum, non etiam filiis deputetur. Id quod de praedictis eorumque filiis cauimus, etiam de satellitibus consciis ac ministris filiisque eorum simili seueritate censemus. Sane, si quis ex his in exordio initae factionis studio uerae laudis accensus ipse prodiderit factionem, et praemio a nobis et honore donabitur. Is uero qui usus fuerit factione, si tamen incognita adhuc consiliorum archana patefecerit, absolutione tantum et uenia dignus habebitur.

Cap. 26. *Quod uitia ferenda sunt aut tollenda et a flagitiis distant; et generalia quaedam de officio principis; et breuis epilogus quanta sit ei reuerentia exhibenda.*

Haec quidem pauca de multis excerpta de sincera uena 629 a iuris praesenti opusculo curaui inserere, quo et iuris ignari a maiestatis crimine seipsos longius amouerent his inspectis, et ne quisquam meipsum calumpnietur in aliquo aduersus auctoritatem principis quippiam praesumpsisse. Dici solet quia sine lesione unguium non facile remouetur robur a subere; sed multo aequius et citius leditur quisquis obsequium membrorum seiungit a capite. Vigeat semper

---

12 his AM 22 distent A 23 reuerentia ei M 29 facile *om.* A[1]

---

7 Post *confidimus* quaedam praetermisit Ioannes. 13 *deputetur*: *deputata* Cod.

excellentia capitis, quia in eo totius corporis consistit salus.
Varro in satira quae Manipea inscribitur et de officio
matrimonii instituta est, ait: Vitium coniugis aut tollendum
est aut ferendum. Qui tollit uitium, commodiorem con-
iugem praestat; qui fert, seipsum efficit meliorem. Sic
principiis et subiectorum uitia aut ferenda sunt aut tol-
b lenda; horum quippe confederatio affectum coniugii aut
aequat aut praecedit. Sed et ipsa Varronis uerba *ferre* et
tollere lepide quidem composita sunt. Apparet autem quia
tollendi nomen correctionis est nota. Constat equidem eius
esse sententiam ut feratur quod tolli non potest. Hoc
tamen fidelis adicit interpretatio ut uitium intelligatur quod
honeste ferri potest et religione incolumi. Vitia enim
flagitiis leuiora sunt; et sunt nonnulla quae non ferri licet
aut quae fideliter ferri non possunt. Ex causa fornicationis
licenter diuertit coniunx a coniuge, et plerumque patronus
est turpitudinis qui crimen celat uxoris. Inde est forte:
c Qui adulteram retinet, stultus et impius est. Haec autem
in mechia corporali et spirituali quod ad aliquid aeque
obtinent, etsi deterior sit spiritualis et studiosius declinanda.
Similiter et in membrorum compagine ferendi aut tollendi
Varronis est regula admittenda. Nam quin membra curari
oporteat nemo ambigit siue in fomento olei siue in austeri-
tate uini quod Samaritanus infundit, uulnerato procedat
cura. Quod autem tollenda sint, ex eo liquet quod scriptum
est: Si oculus uel pes tuus scandalizat te, erue eum et proice

---

20 optinent A

---

2 *Varro* etc.: v. Gell. i. 17 § 4. 8 *Sed et ipsa* etc.: v. Gell. i. 17 §§ 5, 6. 12 *interpretatio*: sc. Gellii. 13, 14 *Vitia enim flagitiis leuiora sunt*: verba Gellii. 15 *Ex causa* etc.: v. Matt. v. 32, xix. 9. 16 *patronus* etc.: Grat. *Decret.* I. xxxii. 1. c. 1 (Friedb. i. 1115) ex *Op. Imperf. in Matth.* Ioanni Chrysostomo a medii aevi auctoribus attributi hom. xxxii. (Migne *Patrol. Graec.* lvi. 802): *Sicut crudelis et iniquus est qui castam dimittit, sic fatuus est et stultus qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est qui celat crimen uxoris.* 23 *siue in fomento* etc.: v. Luc. x. 33, 34; cf. Orig. *Hom. in Lucam* xxxiv. ab Hieron. Lat. vers. (Migne *P. L.* xxvi. 293); Ambros. *Expos. Evang. sec. Luc.* vii. § 75 (Migne *P. L.* xv. 1718). 26 *Si oculus* etc.: Matt. xviii. 9.

abs te. Hoc in membris omnibus principi arbitror obseruandum ut non modo eruantur abscidantur et procul eíciantur, si fidei aut publicae saluti dentur in scandalum, sed ita conterantur ut in exterminio unius uniuersorum d
incolumitas procuretur. Cui, inquam, parcet qui etiam in oculos suos seuire praecipitur? Vtique nec auris nec lingua aut si quid aliud in corpore rei publicae degit, securum est si insurgat in animam ob gratiam cuius ipsi oculi effodiuntur. Cum autem Deus offenditur abusu criminum aut Ecclesia conculcatur, totius animae periclitatur salus. Quod ita alienum est ab officio principis ut, quotiens ista proueniunt in re publica, aut omnino non sentire credatur princeps aut dormire aut in diuersorio esse. Sol eminet uniuersis ut cuncta uideat et diiudicet uniuersa; solem alterum principem esse credo. Recte utique facit cum

ignauum fucos pecus a praesepibus arcet 630 a

qui aluearia spoliant et quicquid dulce est ebibunt aut asportant. Recte facit cum Ecclesiae promouet culmen, cum religionis dilatat cultum, cum superbos humiliat et exaltat humiles, munificus in egenos, in copiosos frugalior, cum uirtutes praemio et uitia aequa poenarum lance remunerat, cum iustitia usquequaque ambulat ante eum et ponit in uia prudentiae aliarumque uirtutum gressus suos. Equidem

sic petitur celum, non ut ferat Ossan Olippus
summaque Peliacus sydera tangat apex.

Inquit Sapientia: Ne gloriosus appareas coram rege et in b
loco magnorum ne steteris; eoque spectat sapientis edictum ut quisquis non humiliatur in facie principis merita confusione obductus, gloria, quam usurpauit, dignus est spoliari;

---

16 pecus fucos C[2]BA 18 culmen promouet A 25 olimpus AM

12, 13 *aut dormire aut in diuersorio esse*: v. 3 Reg. xviii. 27. 16 *ignauum* etc.: Verg. *Georg.* iv. 168, *Aen.* i. 435. 19 *superbos* etc.: cf. 1 Reg. ii. 7, 8; Luc. i. 52, 53. 22 *iustitia* etc.: v. Ps. lxxxiv. 14. 25 *sic petitur* etc.: Ov. *Fast.* i. 307, 308. 27 *Ne gloriosus* etc.: Prov. xxv. 6. 29 *humiliatur in facie principis*: v. Prov. xxv. 7.

honorum siquidem distributor est et, dum recte ministrat principatum, penes eum est perpetua dispensatio munerum. Recte quidem ministrat, cum eo praesidente letantur populi et in regno aequitatis totius terrae latitudo exultat. Perpetua, inquam, quia, ut scriptum est, rex qui iudicat in ueritate pauperes, thronus eius in eternum fundabitur. Quis ergo ei honorem detrahat quem audit a Domino perpetuo munere honoratum? Plane in insensibilem principis statuam quicquam praesumere quandoque crimen c extitit maiestatis et morte acerbissima, prout ueteribus placuit, puniendum. Quis ergo in imaginem Dei, qui est princeps, malitia praesumente impune offendit? Proinde consiliosissimum est illud sapientis: In cogitatione tua regi non detrahas et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia aues celi portabunt uocem tuam et qui habet pennas annuntiabit sententiam. Numquid ergo quicquam licebit in opere aut uerbo, cum et ipsa cogitatio cubiculique secretum et sententia cordis arceatur, ne quid moliatur aut concipiat aduersus principem?

Cap. 27. *Quod Gnatonici peruertunt omnia nec uera fateri patiuntur, et quod eis exemplo Marsiae corium detrahendum est, si sapiant diuites; et quod calump-* d *niatores pauperum Deus ipse persequitur.*

Ceterum si Gnatoni creditur, quisquis non arridet diuitibus etiam cum malefecerint aut non applaudit in pessimis eorum, uidetur aut inuidere fortunae aut officio non deferre; nam apud Gnatonicos ueritatis eloquium crimen est maie-

6 tronus AS   7 honorem detrahat ei M   11 ymaginem M

5 *rex* etc.: Prov. xxix. 14.   6 *fundabitur*: *firmabitur* Vulg.   8 *in insensibilem* etc.: v. Dig. xlviii. 4. 6 *Qui statuas aut imagines imperatoris iam consecratas conflaverint aliudque quid simile admiserint, lege Iulia maiestatis tenentur.*   13 *In cogitatione* etc.: Eccles. x. 20.   24 *Gnatoni*: sc. parasito Thrasonis in Terentii *Eunucho.*   26 *deferre*: De hoc vocabuli sensu v. Forcell.-de Vit. s. v. *defero* 6; Du Cange s. v. *deferre*; in Cod. Iustin. iii. 12. 6 (ubi v. Mommsenii notam) rectius quam *differri* legitur; cf. etiam Vulgatae editionis Deut. xxviii. 50 *gentem procacissimam quae non deferat seni.*

statis. Impetrata tamen uenia unum pro membris in auditu capitis insero, non tamen ego sed Spiritus sapientiae, Spiritus ueritatis, Spiritus sanctus: Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis et ipse clamabit et non exaudietur. Non equidem exaudietur a capite suo, quoniam caput eius Christus est et in Christo Deus et Deus Christus, qui liberat pauperem a potente et confringit omnia intumentia regna terrarum, lapis praecisus de monte sine manibus, eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum 631 a et pauperem a diripientibus eum. Si ergo quisquam, quicumque sit ille, insurgit in eos quorum patronus immo pater est Christus, proculdubio in se ipsum prouocat lapidem quo irruente comminuta est statua quam uidit Nabugodonosor, quae regnorum uarii splendoris et roboris seriem figurabat. Nec proficit in tortura pauperum multiplicare uota et, quasi Deus muneribus corrumpi queat, eum stipulatis potius quam ueris ab impenitente elemosinis attemptare, cum Sapientia protestetur quia ruina est homini deuorare sanctos et post uota tractare; et illud: Hostiae impiorum abominabiles Domino, quia offeruntur ex scelere; et: Qui offert sacrificium de rapina pauperis quasi filium immolat b patri. Nec michi imputetur si de manu eorum fraternus sanguis exquiritur aut operum suorum reportant praemia in eadem mensura quam ipsi intulerunt; quoniam non ego sed Altissimus dicit et facit haec omnia. Ego quidem non tantum bonis et modestis sed etiam discolis arbitror seruiendum in omni humilitate et reuerentia, fideliter tamen et in cultu potestatis Deum uenerandum, a quo est instituta.

3 opturat A 20 abhominabiles ASM 28 Deum] domini M

2 *Spiritus sapientiae* etc.: v. Isa. xi. 2; Ioann. xiv. 17, xv. 26. 3 *Qui obturat* etc.: Prov. xxi. 13. 6 *caput eius* etc.: v. 1 Cor. xi. 3. 7 *liberat* etc.: v. Ps. lxxi. 12. *confringit* etc.: v. Dan. ii. 34, 44, 45. 9 *eripiens* etc.: Ps. xxxiv. 10. 13 *statua* etc.: v. Dan. ii. 31 seqq. 18 *ruina* etc.: Prov. xx. 25. 19 *tractare*: *retractare* Vulg. *Hostiae* etc.: Prov. xxi. 27. 20, 21 *Qui offert* etc.: v. Eccli xxxiv. 24 *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum quasi qui uictimat filiam in conspectu patris est.* 22 *de manu* etc.: v. Gen. ix. 5. 23 *operum suorum* etc.: v. Matt. vii. 2. 25, 26 *non tantum* etc.: v. 1 Petr. ii. 18.

Vnde et Ebrei praecipiuntur orare pro Babyloniis quia in pace principum quies est populorum; et Christus ipse Cesari tributa a fidelibus censuit esse soluenda. Omnia tamen peruertit Gnato, et eo iudice ueri professio maiestatis c crimini coaequatur; dignus plane cui alumnus Apollinis, id est sapientiae cultor, pellem detrahat, exemplo Marsiae qui, dum contendit

Phebum superare canendo,

uictus indumento naturae spoliatur. Eum namque adulatorum factio imitatur et infelicem satirum implet, dum numina sua (fortunatos loquor) uanis laudibus uelut instrumentis musicis non tam superare molitur quam excecare. Semper quidem iuuenescit in uitio, quae numquam grauitate sensuum maturatur, leuis, lasciua, loquax, et quae ad omnem auram quauis harundine citius agitatur.

Cap. 28. *Auctoritate Socraticorum quando quis de suo commendatur, et quando sit aliena laudatio.*

d Et, licet ii tibicines uanitatis aliorum supplantationi semper insistant, in commendatione illius quod maxime suum cuiusque est aut rarius aucupantur aut minus. Tunc enim quisque maxime et de suo commendatur, cum ad sapientiae laudes lingua praedicantis accedit. Cetera namque omnia aliena sunt; suum est cuiusque quod sapit. Suum, inquam, non tamen a se sed ab eo cuius munus est, quicquid laudem meretur in homine. Et hic quidem non meus est sermo sed quem omnium sapientum cetus concelebrat et quem in libro qui inscribitur De Deo Socratis facile est inuenire. Cuius uerba propter elegantiam

1 hebrei C^2BAM babiloniis ASM 5 alumpnus M 8 febum S 15 arundine M 18 hii A: hi M 20 occupantur P 23 est *om.* S^{1}M

1 *Ebrei* etc.: v. Ierem. xxix. 7. 2 *Christus* etc.: v. Matt. xxii. 17 seqq.; Marc. xii. 14 seqq.; Luc. xx. 22 seqq. 6 *Marsiae*: v. Ov. *Met.* vi. 382 seqq. 8 *Phebum* etc.: Verg. *Ecl.* v. 9. 10 *infelicem satirum implet*: i.e. Marsyae (quem Satyrum fuisse narrat Ov. *Met.* vi. 383) partes agit. 13 *iuuenescit*: sc. adulatorum factio. 15 *quauis harundine* etc.: cf. Matt. xi. 7. 24 *a se*: sc. laudem meretur. 25, 26 *non meus est sermo sed*: v. Hor. *Sat.* ii. 2. 2.

sensuum et orationis lepidam uenustatem curaui inserere,
ut his quae scribuntur promptius adhibeatur fides, cum de 632 a
purissimo fonte maiorum eadem profluxisse constiterit.
Ait itaque Apuleius: Nichil aeque miror quam, cum omnes
et cupiant optime uiuere et sciant non alia re uiui quam
animo nec fieri posse quin, ut optime uiuas, animus colendus
sit, tamen homines animum suum non colant. At, si quis
uelit acriter cernere, oculi curandi sunt quibus cernitur;
si uelis perniciter currere, pedes curandi sunt quibus cur-
ritur; itidem si pugillare ualde uelis, brachia uegetanda
sunt quibus pugillatur; similiter in omnibus ceteris
membris sua cuique cura pro studio est. Quod cum facile
omnes perspiciant, nequeo satis mecum reputare et, proinde
ut res est, admirari cur non etiam animum suum ratione
excolant. Quae quidem ratio uiuendi omnibus aeque b
necessaria est, non ratio pingendi nec ratio psallendi, quas
quiuis bonus sine ulla animi uituperatione, sine turpitudine,
sine labore contempserit. Nescio ut Sibimenias tibiis
canere, sed non pudet me tibicinem non esse. Nescio ut
Appelles coloribus pingere, sed non pudet me non esse
significum. Et idem in ceteris artibus, si omnes persequar,
licet tibi nescire nec pudet. Enimuero dic sodes: Nescio
bene uiuere ut Socrates, ut Plato, ut Pitagoras uixerunt, nec
pudet me nescire bene uiuere; numquam hoc dicere audebis.
Sed imprimis mirandum est quod ea quae minime uolunt
nescire, discere tamen negligunt, et eiusdem artis simul
disciplinam et ignorantiam detrectant. Igitur cotidiana c
eorum era dispungas, et inuenies in rationibus multa pro-
dige profusa et in semet nichil, in sui dico demonis cultum,
qui cultus non aliud quam philosophiae sacramentum est.
Plane quidem uillas opipare extruunt et domos ditissime

18 sibi Menias S^{1}M 19 tibicenem C 23 phitagoras CBA^{1}S: pithagoras M 30 phylosophie CB 31 oppipare A

4 *Nichil aeque* etc. usque ad finem capituli: Apul. *de Deo Socr.* cc. 21–24. Ioannem nostrum ex ed. Lugd. Bat. 1639 contulit G. F. Hildebrand in Apuleii ed. Lips. 1842. 18 *Sibimenias*: *Ismenias* Apul. ed. Goldbacher; cf. Hildebrand ad loc.

exornant et familias numerosissime comparant. Sed in istis omnibus, in tanta affluentia rerum nichil est praeterquam dominus ipse pudendum. Nec iniuria; cumulata enim habent quae sedulo percolunt, ipsi autem sordidi indocti incultique circumeunt. Igitur illas species, in quas patrimonia sua profuderunt, amenissimas et extructissimas et ornatissimas deprehendas, uillas emulas urbium conditas, domos uice templorum exornatas, familias numerosissimas et calamistratas, opiparam supellectilem, omnia affluentia,
d omnia opulentia, omnia ornata praeter ipsum dominum qui solus Tantali uice in suis diuitiis inops egens pauper non quidem fluentem illum fugitiuum captat et fallacis undae sitim sed uerae beatitudinis, id est secundae uitae et prudentiae fortunatissimae, sitit et esurit. Quippe non intelligit aeque diuites spectari solere ut equos mercamur. Neque enim in emendis equis faleras consideramus et baltei polimina inspicimus et ornatissimae ceruicis diuitias contemplamur, si ex auro et argento et gemmis monilia uariae gazae dependent, si plena artis ornamenta capiti et collo circumiacent, si frena celata, si epiphia fucata, si singula aurata sunt; sed istis omnibus exuuiis amolitis et
633 a amotis equum ipsum nudum et solum corpus eius et animum contemplamur, ut sit ad speciem honestus, ad cursuram uegetus et ad uecturam ualidus; iam primum in corpore si sit

argutum caput, breuis aluus, obesaque terga,
luxuriatque thoris animosum pectus honestis;

praeterea si duplex agitur per lumbos spina (uolo enim non modo perniciter, uerum etiam permolliter peruehat). Similiter igitur et in hominibus contemplandis noli illa aliena estimare sed ipsum hominem penitus considera; ipsum, ut meum Socratem, pauperem expecta. Aliena

5 circueunt A quas] que CBAS: quae M 11, 12 quidem non A[1] 16 balthei A 20 fuccata CSM 21 sed] si CBA 26 capud A 28 per lumbos agitur A[1] 30 hominibus] omnibus S[1]

4 *sordidi*: *horridi* Apul. 14 *sitit et esurit*: *esurit et sitit* Apul. 20 *epiphia*: i. e. ephippia. 26 *argutum* etc.: Verg. *Georg.* iii. 80, 81.

autem uoco quae parentes pepererunt et quae fortuna largita est, quorum nichil laudibus Socratis mei admisceo; nullam generositatem, nullam prosapiam, nullos longos natales, nullas inuidiosas diuitias. Haec enim cuncta, ut b dico, aliena sunt. Sato Prothaonio gloria est qui talis fuit ut eius nepotem non puderet. Igitur omnia similiter aliena numeres licebit. Generosus est? parentes laudas. Diues est? non credo fortunae. Magis ista dinumero. Validus est? egritudine fatigabitur. Pernix est? abit in senectutem. Formosus est? expecta paulisper et non erit. At enim bonis artibus doctus et adprime est eruditus et, quantum licet homini, sapiens et boni consultus. Tandem aliquando ipsum uirum laudas. Hoc enim nec a patre hereditarium est nec casu pendulum nec a suffragio anniculum nec a corpore caducum nec ab etate mutabile. Haec omnia meus Socrates habuit et ideo cetera habere contempsit. Quin c igitur et tu ad studium sapientiae ingeris uel propera saltem ut nichil alienum audias in laudibus tuis, sed ut qui te uolet nobilitare aeque laudet ut Actius Vlixem laudat in Philoctheta primo eiusdem tragediae suae principio:

Inclite, parua praedite patria,
nomine celebri claroque potens
pectore, Achiuis classibus auctor,
grauis Dardaniis gentibus ultor,
Lahertiade.

Nouissime patrem memorat. Ceterum omnes laudes eius uiri audisti. Nichil inde nec Lahertes sibi nec Anticlia nec Arcisius uel Acrisius uendicat. Haec tota, ut uides, laudis huius propria Vlixi possessio est. Nec aliud te in eodem Vlixe Homerus docet, qui semper ei comitem uoluit esse prudentiam, quam poetico ritu Mineruam nuncupauit. d

9 abiit M 19 uolet te A 20 philocteta A: philoteca M 24 dardanis CBSM 25 laerciate B: laerciade BM 28 uel Acrisius *om.* S^1M^1

5 *Sato Prothaonio*: de hoc loco plane corrupto v. Hildebrand ad loc. Apul. Emendavit Goldbacher *sat Euphroni auo*; sc. Pythagorae iuxta Paus. ii. 13 § 2. Coniecerat Oudendorpius *Sat e protauo meo*: forsan sub *Sato* latet eius nomen qui Apuleii protavus i. e. proavus erat. 19, 20 *in Philoctheta* etc.: *in Philocteta suo in eius tragoediae principio* Apul.

Igitur hac eadem comitante omnia horrenda subiit, omnia aduersa superauit. Quippe ea adiutrice Ciclopis specus introiit sed egressus est, Solis boues uidit sed abstinuit, ad inferos demeauit sed ascendit; eadem sapientia comitante Scillam praeternauigauit nec ereptus est, Caribdi conseptus est nec retentus, Circes poculum bibit nec mutatus est, ad Lothophagos accessit nec remansit, Sirenas audiit nec accessit.

Cap. 29. *Quod pro merito principis formatur populus et ex populi merito formatur principatus, Deoque placido creatura quaelibet mansuescit et seruit homini.*

Haec Apuleius eleganter quidem et splendide; et utinam
634 a audiatur. Si enim in sui ipsius cultu quisque laboret et quae exteriora sunt reputet aliena, profecto optimus erit status singulorum et omnium, uigebitque uirtus et ratio praeualebit, regnante undique mutua caritate, ut sit caro subiecta spiritui et spiritus plena deuotione Domino famuletur. Quae si processerint, nec tumore capitis onerabuntur membra nec destitutione membrorum aut ignauia languebit caput; ista siquidem a peccati infirmitate proueniunt. Nam et inferiorum delicta bonum principem demerentur, et peccata superiorum subditis sunt occasio et auctoritas delinquendi. Vnde illud: Omne caput languidum et omne cor merens; a planta pedis usque ad uerticem non est in eo sanitas.

b Mansuescit itaque princeps ab innocentia populi et popu-

5 erreptus CB: areptus S^1: arreptus S^2 10 placida CBA^1M 16 karitate S

16 *ut sit caro* etc.: cf. ex oratione eccl. Anglicanae in Dominica prima Quadragesimae *that our flesh being subdued to the spirit.* Etiam supra v. 6 (553 D) cum hoc Ioannis loco, *saltem hoc tantillum legant, audiant et inquisitione diligenti discutiant,* conferre licet orationem eccl. Angl. in Dominica secunda Adventus: *Grant that we may in such wise hear them, read, mark, learn, and inwardly digest them.* Non absurde conici potest Cranmerum, archiepiscopum Cantuariensem, preces istas dum scribit, Ioannis nostri verborum fuisse memorem. 21 *demerentur*: i.e. perdere merentur; cf. Du Cange ed. 1884 s.v. *demerere* (2). Apud auctores medii aevi recentiores *demereri* pro *non mereri* usurpatum est, unde nos hodie *demerit* pro *culpa* dicimus; v. Murray *New English Dictionary* s.v. 23 *Omne caput* etc.: Is. i. 5, 6.

lares motus reprimit innocentia principalis. Placido namque Deo omnis creatura mitis est et seruit homini, et eo indignante omnis creatura armatur in ultionem eius. Coruus Helyam pauit; ursus famulatum impendit prophetae; ut parcat Danieli, ferocitatem naturae dediscit leo et collectam nescit esuriem; unda siccis iustorum calcatur pedibus; aduersus pueros succensus ignis in fornace non proficit; ad uotum fidei aer imbres et terra fructum negat et celum ipsum in impios euomit ignes suos.

Cap. 30. *Breuis epilogus aduersus Gnatonicos.*

Ceterum, dum ista prosequimur, nobis insidiantur Gnatonici ut in inuidiam felicium quaecumque sunt dicta retorquent. Vt mendacii aut temeritatis nos reos faciant, c
mentiuntur nos legem imposuisse principibus, et colla eorum iugo importabili onerasse. Veritas siquidem inimica est illis, et inimicitias diuitum procurant amatoribus ueritatis, quorum ut gratiam consequantur, nichil in uerbo aut opere erubescunt. Ad singula clamat Gnato, seu bona seu mala sint,

'pulcre, bene, recte.'
Pallescet super his, etiam stillabit amicis
ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
Vt qui conducti plorant in funere, dicunt
et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
derisor uero plus laudatore mouetur.

Et nescio quomodo omnes ipsos etiam probos expugnant, et qui adulatorum nequitiam detestantur, a quibus etsi non sit laus quaesita, nichilominus oblata delectat. Istis, dum d
ueritati insisto, nequaquam placere possum, sed nec ob

---

4 heliam ASM 13 retorqueant M 20 pulchre M 28 delecta M

3, 4 *Coruus Helyam pauit*: v. 3 Reg. xvii. 4, 6. 4 *ursus* etc.: v. 4 Reg. ii. 24. 4, 5 *ut parcat* etc.: v. Dan. vi. 22. 6 *unda siccis* etc.: v. Exod. xv. 19. 7 *aduersus pueros* etc.: v. Dan. i. 4, 6, iii. 94. 7, 8 *ad uotum* etc.: v. Iac. v. 15 seqq.; cf. 3 Reg. xvii. 1 seqq. 8, 9 *celum ipsum* etc.: v. 4 Reg. i. 10, 12; cf. Luc. ix. 54. 11, 12 *Gnatonici*: cf. Hieron. *Ep.* l. 4 (Migne *P. L.* xxii. 515). 20 *pulcre, bene, recte* etc.: Hor. *A. P.* 428–433.

eorum gratiam dignor non adquiescere ueritati. Non est tamen quod michi possint opponere, nisi quod michi et illis non conuenit, et quod interdum alicui amicorum, dum in manibus eorum labitur, in aure suggero:

Ne te decipiant animi sub uulpe latentes.

Ii quidem imperatores sunt curialium nugatorum, quorum si unum offenderis, omnibus aliis reus eris. Gnatonicorum ergo consilio conuenerunt ambitiosi, inuidi, superstitiosi, et similes, dicentes sibi bella parari, et me in eos uelle (ut dici solet) caninam facundiam exercere, cum tamen id
635 a minime proposuerim, nisi aut eorum iniuriis urgear aut auctoritate superioris amici ad hoc stilum licet hebetem impellentis. Est quidem quod magis affectat animus, ut, curialibus cedens nugis, illis quibus placent faciam locum. Nam, ut de aliis taceam, non possum ferre Quirites Gnatonis, qui sibi nil actum credunt, dum aliquis restiterit cuius oculos non obducant ad tenebras, reprobato oleo peccatoris; quod si quis effugerit, non tam Gnatonis quam principalium uirorum censetur hostis. Valeat ergo curia cum tolerabilibus nugis, dum Gnatonicorum factio abeat semper in malam rem et fiant iugiter nouissima illius deteriora
636 a prioribus. Ceteros dies suus expectat et otium, etsi infecundi pectoris angustia et oris ariditas infacundi non habeat penes se quod possit omnibus impertiri. Tu, quando ambitiosos et inuidos ceterosque domi nostrae latentes egredi uelis, si tamen praemissi libelli placuerint, expectanti denuntia, et in uerbis tuis calcaribus urgebuntur

6 Hi M 12 amici] animi C (*forsan*[2]) BA[1] 21 iugiter] semper M

5 *ne te decipiant* etc.: v. Hor. *A. P.* 437 *numquam te fallant animi sub uolpe latentes.* 7 *si unum* etc.: cf. Iac. ii. 10. 10 *caninam facundiam*: v. Hieron. *Ep.* cxxv. (*ad Rusticum monachum*) c. 16 (Migne *P. L.* xxii. 1081); Isid. *Sent.* iii. 56 § 2 (Migne *P. L.* lxxxiii. 728). 15 *non possum ferre Quirites*: Iuv. *Sat.* iii. 60. *Quirites* ut accusativum pro vocativo accepisse videtur Ioannes; *Quirites Gnatonis* de parasiti sociis intellego. 16 *nil actum credunt*: v. Luc. *Phars.* ii. 657. 17 *oleo peccatoris*: v. Ps. cxl. 5; cf. supra c. 24 (625 A). 21 *fiant* etc.: v. Luc. xi. 26. 27 *expectanti*: sc. *mihi.* *in uerbis tuis*: potius *uerbis tuis*, i. e. *vice tua, nomine tuo.*

ut in publicum prodeant. Non enim omnes aggrediendi sunt pariter, nec posset consertus eorum cuneus facile expugnari, cum nec ipsae cohortes leuiter in numerum cadant.

Non michi si centum linguae sint oraque centum,
omnia nugarum percurrere nomina possem.

EXPLICIT LIBER VI.

---

1 agrediendi CB 7 Explicit VI liber B : Explicit liber sextus AM

---

5 *Non michi* etc.: Verg. *Aen.* vi. 625, 627 *non, mihi si linguae centum sint oraque centum, . . . omnia poenarum percurrere nomina possim.*

INCIPIT LIBER SEPTIMVS POLICRATICI.

635 b PROLOGVS.

Egressus aula curialium declinassem consortia nugatorum, nisi me in ipso limine abeuntem tuae praeceptionis detinuisset auctoritas. Cum enim tibi cordis mei angustias denudarem et de temporis ac uitae iactura conquererer, omnia me, quoad Deus aliud reuelaret statumque meum reformaret in melius, forti animo perferre praecepisti, suadens ut more laborantium, qui cantilenis et uocum dulcedine laboris tedia propulsant aut minuunt, rerum temporisque dispendia compensarem. Nam et itinerantibus uia facilior uidetur et breuior, si iocundae narrationis sensibus aut uocis dulcissonae modulis recreetur. Sic et me lectionis aut alterius officii studio iubes insistere et, si aliud non conceditur, de
c me ipso et uariis fortunae formis conqueri saltem michi et Musis. Grandis enim profectus est ad philosophiam adspiranti uirtutis in se deplorare defectum. Ad haec quid tibi respondeam comicus suggerit, quia

omnes, cum ualemus, recta consilia aegrotis damus;
tu autem, si hic sis, aliter sentias.

Sic sic a captiuatis, quorum organa in salicibus suspensa sunt, quaeruntur uerba cantionum quae cantari omnino nequeunt aut non solent in terra aliena. Licet enim uirtus iniurias captiuitatis ignoret aut suo priuari non possit

---

1 Incipiunt capitula libri septimi B: Incipiunt capitula libri VII CM: Incipiunt capitula VII Libri S *et post capitula* Expliciunt capitula CB: Expliciunt capitula libri VII M. Incipit Liber VII. Prologus C: Incipit prologus libri septimi BA: Incipit prologus libri VII M: Incipit prologus VII Libri S 12, 13 dulcisone BS

---

3 *Egressus* etc.: A *nugis curalium* ad *vestigia philosophorum* transit Noster. 4 *tuae*: sc. Thomae cancellarii. 15, 16 *michi et Musis*: v. Cic. *Brut.* 50 § 187; cf. Hieron. *Ep.* l. 2 (Migne *P. L.* xxii. 514). 19 *omnes* etc.: Ter. *And.* iii. 1. 9, 10. 20 *autem*: addidit Ioannes. 21 *organa* etc.: v. Ps. cxxxvi. 2–4.

officio, rarus est admodum qui philosophicis et curialibus officiis sufficiat morem gerere, cum haec sibi plerumque constet plurimum aduersari. Vnde rem fere impossibilem d
uideris imperare, praesertim cum ego homo sub potestate constitutus et inuitus faciam plurima necessitate obsequendi, et in his, quae propriae uoluntatis et sapientiae instinctu gerenda sunt, michi uix tempus indulgeatur ad pauca. Dies et nox necessariis et alienis occupationibus transiguntur ut nec rei familiari curam impendere liceat; et tu hortaris ut scribam? Homo quidem imperitus sum scientia et sermone; et unum quod non accepi aliis erogabo?

Nauem si poscat sibi peronatus arator 636 b
Luciferi rudis, exclamat Melicerta perisse
frontem de rebus.

Si itaque uis ut scribam, da uel potius ab eo qui scientiarum Dominus est scientiam impetra unde scribam; da tempus expeditum et necessitatum domesticarum exclude molestias;

nam, si Virgilio puer et tolerabile desit
hospitium, caderent omnes a crinibus ydri.

Praeterea uereor ne, dum ad obsequium deuotus accingor, dispendium pudoris faciens aemulorum prouocem linguas, qui mala aliena facillime carpunt et bona difficillime imitantur. Quod autem, si aliud non licet, uis ut de fortunae calculo michi et Musis querar, suadente quidem mentis c
angustia facillimum est, cum (teste Gregorio Nazanzeno)

---

20 ospitium A hydri M 23 dificillime A

4, 5 *homo sub potestate constitutus*: Matt. viii. 9. 10 *imperitus* etc.: v. 2 Cor. xi. 6. 11 *quod non accepi* etc.: cf. Matt. x. 8; 1 Cor. iv. 7. 12 *Nauem* etc.: Pers. *Sat.* v. 102–104. 15, 16 *scientiarum Dominus*: 1 Reg. ii. 3. 19 *nam, si Virgilio* etc.: Iuv. *Sat.* vii. 69, 70. *desit*: *deesset* Iuv. 25 *michi et Musis*: v. supra 635 c. 26 *teste Gregorio Nazanzeno*: v. Greg. Naz. *Ep.* vii ad Caesarium fratrem (Migne *Patrol. Graec.* xxxvii. 32) *προθυμότερον ἐν τοῖς ἀλλοτρίοις ἢ τοῖς οἰκείοις φιλοσοφοῦσιν ἄνθρωποι.* Vnde hanc scriptoris Graeci sententiam didicerit Ioannes, conicere nequeo. Exstabat quidem in Nostri saeculo opusculorum Gregorii Nazianzeni quorundam versio Latine a Rufino scripta, quae tamen Epistolas non continet.

nichil suauius uideatur hominibus quam aliena loqui uel aliena curare; sed a compositae mentis arbitrio uidetur alienum, decet enim sapientem mentem componere ut ad omnem fortunae impetum querelis exclusis scutum rationis quasi uolubile praetorium philosophantis opponat. Qui enim cum status sui qualitate rixatur, nisi forte de peccati corruptione languidus ingemiscat, nondum philosophantis ingressus est uiam. De me quidem merito queri possum qui exigentibus culpis meis in id miseriae proiectus sum ut in flagella paratus uidear et os meum nocte doloribus
d perforetur et qui me comedunt non quiescant. Cum ergo dolor meus in conspectu meo sit semper, putasne possit calami uel stridentis fistulae suauitate mulceri? Faciam tamen utcumque auctore Domino quod hortaris, et inter uarias opes et delicias nationum, quibus affluis, ieiuni pectoris et aridae linguae qualiacumque munuscula tuo nomini consecrabo. Non enim de subtilitate sententiarum aut uerborum uenustate praesumo, sed de sinceritate deuotionis
637 a uitae cum quouis oratore contendam; certus quod eam prae auro sapientum et eloquentium argento acceptabis discipulus illius qui duo minuta uiduae pomposis oblationibus diuitum praetulit. Erit etiam fauore digna simplicitas, et non quem sensum prima facie uerba significent sed ex quo sensu uel ad quem sensum fiant fidelis lector attendes. Sic enim nugis seria immiscentur et falsa ueris ut ad summae ueritatis cultum omnia ex proposito referantur. Nec moueat, si qua eorum, quae hic scribuntur, aliter inueniantur alibi, cum et historiae in diuersis gestorum casibus sibi inuicem reperiantur contrariae, sed ad unum utilitatis et honestatis proficiunt fructum. Nam periculum ueri statuendi michi non facio; sed quae apud diuersos

---

2 uideatur A 8 conqueri AP 20 eloquentum A 24 atendes S

---

5 *uolubile praetorium philosophantis*: v. Hieron. *adv. Iovin.* ii. 14 (Migne *P. L.* xxiii. 305) de Diogenis cynici dolio: *Frigore enim os dolii uertebat in meridiem, aestate ad septentrionem; et, utcumque sol se inclinauerat, Diogenis simul praetorium uertebatur.* 10 *in flagella paratus*: Ps. xxxvii. 18. *os meum* etc.: v. Iob xxx. 17. 12 *dolor meus* etc.: Ps. xxxvii. 18. 21 *duo minuta* etc.: v. Marc. xii. 41 seqq.

auctores legi ad utilitatem legentium sine inuidia communicare proposui. Nam et Apostolus non: Quaecumque b scripta sunt uera sunt, ait, sed: Quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt; licet uniuersitas eorum de quibus loquitur ad illa sola possit artari quae in lege scripta sunt et prophetis, de quorum ueritate nemo ambigit nisi qui fidei catholicae non concordat. Quaedam uero, quae in libris auctorum non repperi, ex usu cotidiano et rerum experientia quasi de quadam morum historia excerpsi. Si qua uero ad grauioris philosophiae exercitationem uidentur accedere, Achademicorum more inuestigandi animo quam peruicacia contendendi sic constet esse proposita ut in examinationem ueri suum cuique iudicium liberum reseruetur et inutilis scribentium censeatur auctoritas ubi sententia potior refragatur. Propositum est tamen c in his praecipue uersari unde perniciem error non contrahit, et ad illorum diffinitionem praesumptione temeraria non assurgere in quibus sine periculo non erratur. Nemo autem in iniuriam suam reputet quippiam dici, cum nulla sit derogatio personarum sed fugiendorum sola concussio uitiorum. In quo quidem me praestitum ire obsequium tam malis quam bonis arbitror, dum in his approbatur quod faciunt, et hii notatis uitiis possint proficere ut probentur. Sed haec hactenus. Cur autem Achademicos prae ceteris placeat imitari, sermo succinctus aperiet.

Cap. I. *Quod Achademici modestiores fuerunt aliis philosophis quos temeritas excecauit ut darentur in sensum reprobum.* d

Antiquos quidem philosophos floruisse ingeniis et studio profecisse iam non celebris opinio est sed omnibus in commune persuasa sententia. Ad res enim ex natura fere incomprehensibiles studio et exercitatione uiam sibi fecit ingenium, et illorum beneficio plurima publicata sunt

9 hystoria CBM 23 hi M 26 academici CBAS

2 *Apostolus* etc.: v. Rom. xv. 4.

posteris quibus gaudemus et miramur inuentis. Mundum dimensi sunt, celum suis regulis subiecerunt, naturae uarias scrutati sunt causas et uniuersitatis Opificem defecatis quodam modo sunt oculis contemplati. Quasi ergo mole gigantea subuecti et iam non humanis uiribus roborati intumuerunt indixeruntque bellum gratiae Dei de uigore rationis et libero confisi arbitrio, ac si secundum fabulas essent
638 a celo captiuo uirtutum, quibus efferebantur, brachia iniecturi. Deiecti sunt itaque dum alleuarentur, et dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, et obscuratum est insipiens cor eorum, ut qui omnia fere pernouerant perniciosissime errarent in maximis, et uariis distracti opinionibus etiam minima ignorarent. Si cui uero fabularum instrumenta uilescunt (licet et ab hoste doceri sapientis animus non detrectet, cum peculiaris populus Dei auro argento uestibus et toto Egiptiorum ornatu resplendeat); si gentilium, inquam, figmenta uilescunt; sic, dum in campo Sennaar fundamenta Babylonis iacit impietas, dum turris elationis et contradictionis machina in celum erigitur, de alto prae-
b cipitii a Deo facta est linguarum diuisio, subtractoque impiis uerbi commercio ex necessitate secuta est secessio populorum. Sic et philosophi dum ingenii sui machinas suo quodam teomachiae genere in altum erexerunt, eis uere incommutabilis et indeficientis ueritatis subtracta est unitas, et ignorantiae nebulis obuoluti eorum quae ab una et singulari ueritate uera sunt, maximam notitiam perdiderunt,

---

7 et *om.* C²BAM 16 egyptiorum BM 18 babilonis ASM 22 phylosophi M 23 theomachie BA uere eis M

---

3 *uniuersitatis Opificem* etc.: cf. Cic. *de N. D.* i. 8 §§ 18, 19. 8 *celo captiuo* etc.: v. Ov. *Met.* i. 184. 9 *dicentes* etc.: Rom. i. 22. 10 *obscuratum* etc.: Rom. i. 21. 14 *ab hoste doceri*: Ov. *Met.* iv. 428. 15 *peculiaris populus*: Deut. vii. 6, xxvi. 18. *auro* etc.: v. Exod. xii. 35, 36; cf. Isid. *Quaest. in Exod.* c. 16 (Migne *P. L.* lxxxiii. 295) *in auro et argento ac ueste Aegyptiorum significatae sunt quaedam doctrinae, quae ex ipsa consuetudine gentium non inutili studio discuntur.* Haec ex Isidoro citant Rabanus Maurus et Walafridus Strabo ad locum Exodi supra laudatum. 17 *in campo Sennaar* etc.: v. Gen. xi. 1–9. 22 *Sic et philosophi* etc.: De philosophis et unitate veritatis fere eadem dicit quae de haereticis et unitate fidei Isidorus *Quaest. in Gen.* c. 9 (Migne *P. L.* lxxxiii. 237, 238).

uti in sensum reprobum dati esse conuincerentur ab operibus suis, et tamquam recedente duce, Spiritu scilicet ueritatis, dispergerentur in uarias sectas erroris et insanias falsas. Et eo quidem miseriores effecti sunt quod in his defectum suum minime agnoscebant. Hinc est quod, dum Pronoen suam Stoicus ueneratur, omnia necessitatis lege constringit; c Epicurus e contra, dum rerum tuetur libertatem, dispositionem euacuat et omnia casibus fluctuare contendit. E regione consistunt utriusque cultores et de singulis fere rerum articulis dimicant, et quasi Palladis sacramento adstricti solas paradoxas locuntur aut kyriadoxas, et eas usquequaque ueras esse confirmant. Achademici uero uitantes praecipitium falsitatis in eo quidem modestiores sunt quod defectum suum minime diffitentur et in rerum ignorantia positi fere de singulis dubitant. Quod quidem longe tutius est quam incerta temere diffinire. Achademicorum quoque iuuat opinionem quod non modo Eraclides Ponticus et Cicero noster, in summa ingeniosorum uirorum laude recepti, tandem ad eos transierunt, sed et alii plures d quos percurrere longum est. Nonne ergo praeferendi sunt aliis quos et asserendi modestia et tantorum uirorum commendat auctoritas?

Cap. 2. *De errore Achademicorum; et quos eorum liceat imitari, et quae sint dubitabilia sapienti.*

Non tamen omnes, qui Achademicorum censentur nomine, hanc dico modestiae regulam tenuisse; cum et professio

2 duce recedente A 6 stoycus A 11 kirriadoxas CBMS 22 autoritas A

1 *in sensum reprobum*: v. Rom. i. 28. 2 *duce, Spiritu scilicet ueritatis*: v. Ioan. xvi. 13 sec. versionem quam notat Aug. *Tract. in Ioan.* xcvi. 4, c. 1 (Migne *P. L.* xxxv. 1876, 1890) *deducet uos in omni ueritate.* 5 *Pronoen*: v. Cic. *de N. D.* i. 8 § 18. 11 *paradoxas* etc.: Stoicorum παράδοξα notat Cicero *de Fin.* iv. 27 § 74; Epicuri autem κυρίας δόξας ibid. ii. 7 § 20. 17, 18 *Eraclides Ponticus*: Heraclidis Pontici mentionem saepe facit Cicero; illum tamen tandem ad Academicos transiisse non nisi in hoc loco narratum repperi. 18 *Cicero* etc.: v. Cic. *Acad.* i. 4 § 13 et alibi; cf. Zeller *Phil. der Griechen* iii. 2, c. 6 (ed. 1880, iii. 1, p. 652). Cf. etiam Hieron. *Ep.* cxxxiii. § 1 (Migne *P. L.* xxii. 1148); Aug. *de Civ. Dei* iv. 30; *de Trin.* xiv. 19 § 26; *Op. Imperf. contra Iul.* vi. 26 (Migne *P. L.* xli. 136, xlii. 1056, xlv. 1566).

scissa sit et pro parte tam risui pateat quam errori. Quid enim ineptius quam fluctuare in singulis et nullius rei habere certitudinem et nomen philosophi profiteri? Nam qui de omnibus dubitant, eo quod nichil habent certum, tam a fide quam a scientia alieni sunt. Licet enim fides ad
639 a scientiae brauium non perueniat, dum quasi per speculum ueritatem absentium contuetur, habet tamen certitudinem caligine ambiguitatis exclusa. Porro, si de singulis Achademicus dubitat, de nullo certus est; nisi forte et hoc ipsum incertum habeat an contrariis existentibus in eodem circa idem posset et dubius et certus esse. Sed an dubitet incertum habet, dum hoc ipsum nescit an nesciat. Cum uero homo in eo ceteris animalibus praestet quod ratione uiget et intelligentia (nam in sensibus qui, licet animae sint, corporis esse dicuntur, facile superatur; neque linci ualeat aequari perspicacia oculorum; sus auditu praeualeat, uultur aut canis odoratu, gustu simia, aranea tactu); cum, inquam, discernendi et intelligendi uiribus homo praecedat, quis praestantiorem bestiis aut potius quis non inferiorem et, ut
b ita dicam, quis non brutiorem credat hominem cui ratio non discernit, intellectus non sapit; cum et bruta ad quandam rationis imaginem quodammodo uideantur assurgere? Nam et canis suos discernit affectus, beneficiorum memor est, familiaritatem cum homine ab experientia rerum et usu contrahit et, amicitiae prae ceteris quasi fidem familiaribus exhibens, rationis et intellectus quodam nobilitatur ingenio. Sed et iniuriarum memoria camelo tenaciter residet, et rinocerus, qui et unicornis est, uirginis integritatem sic

5 conscientia CBA[1] 11 dubitat CBASM

1, 2 *Quid enim ineptius* etc.: v. Cic. *Acad.* ii. 9 § 29. 6 *per speculum* etc.: v. 1 Cor. xiii. 12. 26 *rationis et intellectus* etc.: cf. libri *de Bestiis* Hugoni de S. Victore attributi iii. 11 (Migne *P. L.* clxxvii. 86, 87) *Canis uero, ubi uestigium leporis ceruiue reperit, et ad diuerticulum semitae uenerit . . . tacitus secum ipse pertractat, uelut syllogisticam uocem sagacitate colligendi odoris dimittens, 'Aut certe' inquit 'in hanc partem deflexit, aut in illam.'* 28 *rinocerus* etc.: cf. Mai *Class. Auct.* vii. 595, ex libro qui Physiologus inscribitur, *Puellam uirginem ducunt in illo loco ubi moratur et dimittunt eam in siluam solam; ille* (sc. rhinoceros siue unicornis) *uero*

agnoscit ut dumtaxat illius fere amplexibus capiatur. Odorem pantherae cetera sequuntur animalia et, quod mirabilius est, pisces in gurgitibus ad speciem auri conueniunt; unde et seuientis luxuriae imperator Nero aureis, ut c dicitur, retibus piscabatur. Quid multa?

Torua leena lupum sequitur, lupus ipse capellam,
florentem cithisum sequitur lasciua capella,

et in hunc modum uoluptate sua trahuntur plurima; quod (ut credo) euenire non posset si de affectionibus suis uel bruta animalia dubitarent. Qui ergo ad singula nescii sunt, qua temeritate uel impudentia philosophandi professionem arripiunt? Nam sicut ab eo quod notum est notio, sic et ratio ab eo quod ratum est, id est certum et firmum, gramatice denominatur. Et profecto inanis est ratio hominis cui nichil persuaderi potest quin semper et in omnibus opinionum lubrico uacillet. Quid enim ei philosophia confert d qui semper fluctuat opinionibus, et cui in ostendenda felicitatis uia rationis lumen extinguit et quasi oculum eruit ut cautius et rectius pergat uiator cui ostensura est uiam? Nonne et plurimum obest illi qui excecatur? Quid potius sequetur qui tanta contrarietate distrahitur? Sane ad patriam nemo peruenit nisi qui unam sequitur uiam; et qui omni uerbo aurem accommodat, numquam quietus erit. Nonne similior est letargico aut insipienti siue insano quam philosopho qui, cum somnii meminerit, an dormierit dubitat, et, cum cibo satiatus est, an ieiunus sit nescit, et nullius

---

7 citisum B 9 affectibus SM 24 lithargico M 25 sompnii AS

---

mox (?ut) uiderit eam, (?in)silit in sinum uirginis et complectitur eam et sic comprehenditur et exhibetur; cf. Cahier & Martin *Mélanges d'Archéologie* ii. 221, 222; lib. *de Bestiis* supra cit. ii. 6 (Migne *P. L.* clxxvii. 59). 2 *Odorem pantherae* etc.: v. lib. *de Bestiis* supra cit. ii. 23 *Surgens autem a somno, statim emittit* (sc. panthera) *rugitum per altum, simulque odorem nimiae suauitatis cum rugitu, ita ut odor huius praecellat omnia aromata et pigmenta. Cum ergo audierint uocem eius omnes bestiae, quae longe uel prope sunt, congregantes se, nimiam suauitatem eius sequuntur.* Hoc inter ea est quae auctore Physiologo narrat scriptor. 4 *Nero* etc.: v. Suet. *Ner.* c. 30. 6 *Torua* etc.: v. Verg. *Ecl.* ii. 63–65. 23 *qui omni uerbo* etc.: cf. Eccles. vii. 22 *Sed et cunctis sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum.*

eorum, quae egit uel in proximo, scientiam habet? Deinde
640 a quanam uia in philosophiae inuestigatione proficiet cui
ratio nichil persuadet quod teneat aut sequatur, sed est
ad omnia semper incertus? Talis utique Achademicus,
cum nec brutis animalibus ualeat adaequari nec dignus
est hominis nedum philosophi uel honore uel nomine; et
quidem aduersus istorum ineptias magnus pater et fidelis
doctor Ecclesiae Augustinus sed et Cicero ualidis rationibus
et sermone elegantissimo copiosius disputant. Verumtamen
ad illos qui de singulis dubitant quae sapienti faciunt
quaestionem, Cicero seipso teste transiuit; nec eos noster
Augustinus persequitur, cum et ipse in operibus suis Acha-
demico temperamento utatur frequentius et sub ambigui-
tate proponat multa quae alii confidentius nec magis teme-
b rarie disputanti non uiderentur habere quaestionem. Michi
tamen non uidetur quisquam eo loqui securius qui ita
circumspectus est in uerbo ne prolabi possit ad falsa. Sunt
autem dubitabilia sapienti quae nec fidei nec sensus aut
rationis manifestae persuadet auctoritas et quae suis in
utramque partem nituntur firmamentis. Talia quidem sunt
quae quaeruntur de prouidentia, de substantia quantitate
uiribus efficacia et origine animae, de fato et facilitate
naturae, casu et libero arbitrio, de materia et motu et prin-
cipiis corporum, de progressu multitudinis et magnitudinis
sectione an terminos omnino non habeant an eos dumtaxat
alogos tandem inueniant, de tempore et loco, de numero et
c oratione, de eodem et diuerso, in quo plurima attritio est,
de diuiduo et indiuiduo, de substantia et forma uocis, de
statu uniuersalium, de usu et fine ortuque uirtutum et uitio-
rum, an omnes uirtutes habeat qui unam habet, an omnia
sint peccata aequalia et aequaliter punienda; item de causis
rerum et adiunctione earum uel repugnantia, de effluxione

9 Verumptamen A 21 quae] qui A 31 peccata sint A

8 *Augustinus*: qui libros tres *contra Academicos* scripsit. 26 *alogos*: vocabulum a Martiano Capella de lineis (vi. § 718 seqq.), de diastematibus (ix. § 949), de pedibus (id. § 975), de numeris (id. § 992), haud tamen de multitudine et magnitudine usitatum.

et defluxione Occeani, de ortu Nili, de humorum in animalibus corporibus augmento et diminutione ad motum lunae, de uariis latentis naturae secretis, de officiis et uariis figuris causarum quae in contractibus aut quasi contractibus, maleficiis aut quasi maleficiis, aut aliis rerum formis uarie oriuntur, de natura et operibus eius, de ueritate et primis rerum initiis in quibus humanum ingenium deficit, an d
angeli omnino sua non habeant aut qualia habeant corpora, et quae pie quaeruntur de ipso Deo qui totius naturae rationalis excedit inuestigationem et super omnia, quae mente possunt concipi, exaltatur. Possent in hunc modum enarrari quam plurima quae sic dubitationem sapientis admittunt ut tamen dubitatio ipsa uulgum praetereat. In his itaque facile crediderim Achademicos tanto modestius dubitasse quanto eos temeritatis praecipitium diligentius praecauisse repperio. Adeo quidem ut, cum apud scriptores in locis non passim dubiis uerba quodammodo ambigua, qualia sunt haec: *si forte fortasse* et *forsitan*, proferuntur, Achademico dicantur usi temperamento, eo quod temperatiores aliis Achademici fuerint, qui omnem ueriti sunt teme- 641 a
rariae diffinitionis subire notam et praecipitium falsitatis.

Cap. 3. *Vnde dicti sint Achademici; et quis timor aut passio mentis secundum Agellium et Stoicos in sapientem cadat.*

Achademici quidem dicti sunt ab Achademia, unde Plato extitit oriundus, qui eundem suae natiuitatis locum et studendi usu et discipulorum frequentia meritorumque suorum celebritate fecit insignem. Illum uero locum ceteris praetulit eo quod ad incutiendum timorem, quo uitia reprimerentur et agnita conditione sui modestia fidelius reseruaretur,

---

2 agmento S 22 *post* aut *add.* que A

---

28 *Illum uero locum* etc.: Hoc alibi non repperi; causam tamen loci eligendi haud dissimilem Platoni attribuit Hieron. *adv. Iovin.* ii. 9 (Migne *P. L.* xxiii. 298) *Plato . . . ut posset uacare philosophiae, elegit Academiam uillam ub urbe procul, non solum desertam sed et pestilentem, ut cura et assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur.*

maxime uisus est ex frequenti terrae motu, quo saepe colliditur, esse idoneus. Timor enim, sicut modestiae co-
b gnatus est, ita familiaris est sapienti; non ille tamen qui mentem turbat et quasi turbine quodam rationis et intelligentiae praestringit oculum, sed qui componit animum et, quasi humilitatis fomes, hominem reddit ad omnia uirtutis officia aptiorem. Vnde in libris Noctium Athicarum scribit Agellius, uir elegantis eloquii et multae scientiae, se aliquando nauigasse cum quodam philosopho eoque nobili inter Stoicos. Illis autem ex magna parte in sententiam sedit timori locum non esse in animo sapientis, cum omnia ex necessitate proueniant stultumque sit timere quod uitari non potest, et e contra unicum sit remedium ut uir prudens fortitudinis uires praeparet et robore patientiae quasi solidissimo animi inuicti clipeo omnia tela necessitatis
c excipiat. Cum ergo nauigium turbato mari uentorum uehementia celoque minaci periculosissime iactaretur, philosophus ui timoris expalluit. Deinde, cum tempestate transacta securitas praebuisset colloquendi ut fit et congarriendi locum, sociorum unus, diues, luxuriosus, Asiaticus, coepit compellare philosophum et illudere ei eo quod contra professionem suam timore palluerat, cum ipse, qui minime philosophabatur, mansisset intrepidus in eo quod impendebat exitio. At ille Aristippi Socratici responsum retulit, qui, cum in re simili similiter et a consimili argueretur, respondit illum pro anima nequissimi nebulonis merito non fuisse sollicitum, se autem debuisse timere pro anima Ari-
d stippi. Diuitis ergo quaestione depulsa, accessit Agellius, non exagitandi animo sed discendi, familiariter quaerens quaenam esset causa timoris sui, cum praeceptum sit disciplinae Stoicorum ne mortis timeatur aduentus, quam constat

---

7 atticarum AM[2]: aticarum M[1]   10 stoycos A   31 stoycorum A

---

7 *in libris* etc. usque ad *sententiam* (642 A): v. Aug. *de C. D.* ix. 4 (ex Gell. xix. 1).   10 *Illis autem* etc.: Haec (usque ad *excipiat*) haud ex Augustino sumuntur.   14 *robore* etc.: Ad patientiam et necessitatem quae de fide et diabolo dicit S. Paulus Eph. vi. 16, transtulisse videtur Ioannes noster.

esse indubium terminum uitae. Ille autem, cum discendi auiditate gnauiter accensum uidisset hominem, librum Epitecti Stoici de mantica protulit, in quo scripta erant ea quae congruebant decretis Zenonis et Crisippi, qui dicuntur fuisse principes Stoicorum. Cum ergo librum in manibus Agellius tenuisset, inuenit Stoicis placuisse non esse in potestate hominis ut uisa, quae phantasias appellant, in animum ueniant aut recedant; et, cum uenerint ex terribilibus rebus aut contra, necesse asserunt moueri animum etiam sapientis ut paulisper metu trepidet, tristitia contrahatur, 642 a
dilatetur letitia, cupiditatibus moueatur, tamquam his passionibus praeuenientibus rationis et mentis officium; nec tamen ideo conscientiam mali in mente uersari, nec approbari ista aut eis aliquem indulgeri consensum. Hoc enim esse uolunt in potestate idque interesse censent inter animum sapientis et stulti, quod stultus consensu mentis passionibus cedit; sapiens autem, licet eas necessitate patiatur, retinet tamen de rationabiliter appetendis uel fugiendis ueram et firmam inconcussa mente sententiam. Haec quidem illi auctore Agellio et pro parte eleganter et uere. Errant tamen, si istarum passionum, quae necessariae sunt, repressionem et castigationem citra gratiam uiribus suis b
adscribunt, eo quod solius miserentis Dei est, non utique currentis hominis aut uolentis, ut hae in usum iustitiae conuertantur. Hoc autem sufficiat demonstrare quod timore modestia dispensatur et philosophandi prima sternitur et disponitur uia. Siquidem scriptum est quia initium sapientiae et finis modestiae timor Domini.

---

3 stoyci A 5 stoycorum A 6 stoycis A 7 apellant CS 18 apetendis CS 24 hee CBAS

---

3 *Epitecti*: i.e. Epicteti. 23 *miserentis* etc.: v. Rom. ix. 16. 27, 28 *initium sapientiae timor Domini*: Ps. cx. 10; Eccli i. 16. 28 *finis modestiae timor Domini*: Prov. xxii. 4.

Cap. 4. *Vnde dicatur philosophia ; et de Samio Pithagora et doctrina eius qui Ithalicis philosophandi auctor extitit.*

Ipsum uero philosophiae nomen a Pithagora Ithalico inuentum est, qui tantae fuit auctoritatis apud antiquos ut praeiudiciali opinione sententias omnium superaret
c essetque satis ad quamlibet sententiam roborandam si hoc ipse dixisse doceretur. Ipsa namque uox pronominis usurpatione quadam proprii nominis explebat officium. Fuit autem hic natione Samius, negotiatoris diuitis filius, cui nomen Maratus erat, sed parente longe ditior eo quod negotiatio patris tanta nequiuit adquirere quanta filius contempnere maluit quam habere. Magnis itaque sapientiae formatus incrementis, Egiptum primo, mox Babiloniam ad perdiscendos siderum motus originemque mundi spectandam profectus, summam scientiam consecutus erat. Inde regressus Cretam et Lacedemona ad cognoscendas Minois et Ligurgi inclitas ea tempestate leges contenderat. Quibus
d omnibus instructus ad Crotoniorum urbem applicuit omnino resolutam et solius uirtutis opera indigentem; fortunae siquidem indignantes oderant arma quae aduersus Locrenses infeliciter sumpserant, mutassentque uitam luxuria, nisi eis Pithagoras philosophus obstitisset. Ex quo patet quantum homo praestet homini, cum unius personae

---

1 pitagora SM 2 ytalicis CAS: italicis B 4 pitagora M 12, 13 maluit contempnere A[1] 14 egyptum BAM 19 aplicuit CBS 23 pithagoras philosophus eis A

---

4 *Ipsum* etc.: v. Cic. *Tusc. Disp.* v. 4 § 10; Aug. *de C. D.* viii. 2; Isid. *Orig.* xiv. 6 § 31 (Migne *P. L.* lxxxii. 517). 5 *qui tantae* etc.: v. Cic. *de N. D.* i. 5 § 10. 10 *Fuit autem* etc. usque ad *colerent* (643 c): v. Iustin. xx. 4 §§ 3–18. 11 *Maratus*: potius *Demaratus.* De Ioannis lectione recte in ed. Valpiana ad Iustini locum: *Ex nominis proprii scriptura apparet uenerabilem Antistitem* [sc. Ioannem] *usum fuisse Iustini codice, in quo scriptum erat* de marato, *quomodo etiam legitur in prima ed. Speculi Historialis Vincentii iv.* 24. Iustini verba haec sunt: *Hic Sami Demarato locuplete negotiatore patre natus* etc. *parente* etc.: Haec ex Iustino non sumpta sunt. 13 *Magnis* etc.: Ad Iustinum redit. 21, 22 *quae aduersus Locrenses infeliciter sumpserant*: ut refert Iustinus xx. 3. 24 *quantum homo praestet homini*: v. Ter. *Eun.* ii. 2. 1.

auctoritas iam lapsum ad frugem melioris uitae reuocauerit populum. Laudabat ergo uirtutem cotidie, uitia luxuriae denudabat, et casum urbium perditarum enuntiabat et causas. Tantum quoque studii ad frugalitatem multitudinis prouocabat ut aliquos ex his luxuriatos esse incredibile uideretur. Matronarum uero separatam a uiris doctrinam et puerorum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam et obsequia in uiros, nunc illos modestiam 643 a et litterarum studium. Inter haec uelut genitricem uirtutum frugalitatem omnibus ingerebat; consecutusque disputationum assiduitate erat ut matronae auratas uestes ceteraque dignitatis suae ornamenta quasi luxuriae instrumenta deponerent eaque omnia delata in Iunonis edem ipsi deae consecrarent, prae se ferentes uera ornamenta matronarum pudicitiam non uestes esse. In iuuentute quoque quantum profligatum sit uicti feminarum contumaces animi manifestant. Sed trecenti ex iuuenibus, cum sodalitii iuris sacramento separatam a ceteris ciuibus uitam agerent, quasi cetum clandestinae coniurationis habentes aduersus Pithagoram, ciuitatem in se conuerterunt; quae eos, cum in unam domum conuenissent, cremare uoluit, in quo tumultu sexaginta ferme periere, ceteri in exilium profecti b sunt. Ab hoc itaque philosophorum genus Ithalicum nomenque philosophiae exortum est. Tantus autem extitit in illa parte philosophiae, quae speculatiua uocatur, ut ei quisquam philosophantium uix potuerit adaequari; tantus in innocentia ut ab omnium animantium temperasse credatur edulio; tantus in cultu iustitiae ut populos illius partis Ithaliae, quae antiquitus Magna Grecia dicta est,

2 *post* cotidie *add.* et C[1]S 17 trescenti A 20 pitagoram SM
22 perierunt A 23 phylosophorum M 28, 29 partis illius A

23 *Ab hoc itaque* etc.: v. Aug. *de C. D.* viii. 2. 24 *Tantus autem* etc.: Quo auctore haec dicat Ioannes, adhuc nescio. 25 *in illa parte philosophiae, quae speculatiua uocatur*: v. Boeth. *in Porph. Dial.* i. (Migne *P. L.* lxiv. 11). De Pythagorae in philosophia speculativa sive contemplativa excellentia cf. Aug. *de C. D.* viii. 4 *memoratur Pythagoras . . . magis contemplatiuae quibus potuit intellegentiae uiribus institisse.* 28, 29 *illius partis* etc. usque ad *dicta est*: v. Aug. *de C. D.* viii. 2.

etiam post mortem nominis eius auctoritas rexerit. Cum uero antea sapientes dicerentur qui uidebantur aliis praestantiores esse, interrogatus quid se profiteretur, philosophum se esse respondit, id est studiosum uel sapientiae amatorem,
c quoniam sapientem profiteri arrogantissimum uidebatur. Denique cum ad propulsandam labem morum uiginti annos egisset Crotonae, Metapontum migrauit ibique decessit. Cuius tanta admiratio fuit ut ex domo eius templum facerent ipsumque pro deo colerent, nacti forte occasionem ex uerbis eius dicentis domum philosophantis esse sacrarium sapientiae et uerissimum Dei templum. Traditur etiam persuasisse hominibus esse animas immortales et post dissolutionem corporis uitae praecedentis praemia recepturas; impie tamen fabulam mille annorum primus dicitur induxisse.

Cap. 5. *De Ionico genere philosophorum, et auctoritate*
d *Socratis, et dogmate Platonis, et opinione eius post mortem.*

Alterum uero philosophorum genus est quod Ionicum dicitur et a Grecis ulterioribus traxit originem. Horum princeps fuit Tales Milesius, unus illorum septem qui dicti sunt sapientes. Iste, cum rerum naturam scrutatus inter ceteros emicuisset, maxime admirabilis extitit quod astrologiae numeris comprehensis solis et lunae defectus prae-

---

6 xx. CBAS: xx^{ti} M 19 phylosophorum M 21 thales A

1, 2 *Cum uero antea* etc.: v. Aug. *de C. D.* viii. 2. 6 *Denique* etc.: Ad Iustin. xx. 4 redit. 10 *domum esse*: Hoc Pythagorae dictum non alibi repperi. 11 *Traditur etiam* etc.: Immortales esse animas docuisse Pythagoram referunt Hieron. *Apol. adv. Ruf.* iii. 39, 40, Aug. *contra Acad.* iii. 17 § 37 (Migne *P. L.* xxiii. 486, xxxii. 954). 14 *fabulam mille annorum*: v. Hieron. *Ep.* cxx. 2 (Migne *P. L.* xxii. 986) de Chiliastarum haeresi: *Ex hoc loco* (sc. Matt. xxvi. 29) *mille annorum fabulam struunt.* Quo auctore Ioannes noster Pythagoram fabulam istam primum induxisse dicat, nescio; *magnus* enim siue *mundanus annus*, de quo somniabant Pythagorei, non mille annos sed (ut ait Macrobius *Comm. in Somn. Scip.* ii. 11 § 11) *quindecim millia annorum quales nunc computamus* comprehendere creditus est. 19 *Alterum uero* etc. usque ad *Platonis*: v. Aug. *de C. D.* viii. 2.

dicebat. Huic successit Anaximander eius auditor, qui Anaximenem discipulum reliquit et successorem. Diogenes quoque eiusdem auditor extitit, et Anaxagoras qui omnium rerum quas uidemus effectorem diuinum animum docuit. Ei successit auditor eius Archelaus, cuius discipulus Socrates fuisse perhibetur, magister Platonis, qui teste Apuleio prius 644 a
Aristotiles dictus est sed deinde a latitudine pectoris Plato, et in tantam eminentiam philosophiae et uigore ingenii et studii exercitio et omni morum uenustate eloquii quoque suauitate et copia subuectus est ut quasi in trono sapientiae residens praecepta quadam auctoritate uisus sit tam antecessoribus quam successoribus philosophis imperare. Et primus quidem Socrates uniuersam philosophiam ad corrigendos componendosque mores flexisse memoratur, cum ante illum omnes phisicis, id est rebus naturalibus, perscrutandis maximam operam dederint. Probe quidem et sapienter, cum ad utilitatem suam oporteat omnia retorqueri parumque prosit nouisse opera Dei, quae sunt omnia ualde bona et Creatori suo consequenter similia, nisi quis b
id praecipue agat ne ipse sit malus. Praeclara igitur uitae mortisque fama Socratis philosophiae suae reliquit plurimos sectatores qui partiti sunt uerba eius in uarias sectas de quibus in sequentibus pauca dicentur. Porro tantae multitudinis dissidentiam Plato qua praeminebat auctoritate cohibuit et in se attentionem omnium diutius prouocauit et tenuit. Sunt qui Platonem credant non Aristonis filium sed augustiore conceptu natum eo quod Apollinis figuratio

7 deinde] demum A[1]   a latitudine] altitudine S[1]   10 throno BM   12 phylosophis M   13 phylosophiam M   23 pauca in sequentibus A   26 aristidis B : uel aristonis *add.* B *marg.* : uel aristidis *add.* M *marg.* : aristonis *suprascr.* uel aristidis S   27 natum conceptu A   apollininis CS[1] : appollininis B[1] : appollinis B[2]

6 *teste Apuleio* : v. Apul. *de Dogm. Plat.* i. 1.   12, 13 *Et primus* etc. : v. Aug. *de C. D.* viii. 3.   16 *Probe quidem* etc. : Haec non ex Augustino desumpta sunt.   18 *opera Dei* etc. : v. Gen. i. 31 ; Eccli xxxix. 21.   19 *Creatori suo consequenter similia* : v. Plat. *Tim.* 29 E in Chalcidii versione : *Itaque consequenter cuncta sui similia . . . effici uoluit.*   20 *Praeclara* etc. : v. Aug. *de C. D.* viii. 3.   23 *Porro tantae* etc. : v. Aug. *de C. D.* viii. 4 ad init.   24 *praeminebat* : i. e. praeeminebat.   26 *Sunt qui* etc. : v. Apul. *de Dogm. Plat.* i. 1.

matri eius Perictioni se miscuerit, quam constat a Solone sapientissimo fundatore legum Atticarum traxisse originem. Natus est autem mense qui apud Atticos Targelion dicitur,
c die qua apud Delon Latona peperisse creditur Apollinem et Dianam; pridie quidem Socratem genitum ferunt.

Talis ergo et de talibus oriundus non solum heroum uirtutibus praestitit sed aequiparasse dictus est deorum potestates. Nam Speusippus, domesticis documentis instructus, et pueri eius acre in percipiendo ingenium et admirandae uerecundiae indolem laudat et pubescentes primitias labore atque amore studendi imbutas refert et in uiro harum incrementa uirtutum conuenisse testatur. Ex hisdem genitoribus Glaucus et Adamantus ei fratres fuerunt. Doctores habuit in prima litteratura Dionisium, in palaestra Aristonem Argis oriundum; tantosque progressus ei exercitatio contulit ut Phitiae luctando certamina
d uicerit. Picturae non aspernatus artem, tragedis quoque et ditiriambis se utilem finxit. Iamque carminum confidentia elatus certatorem se profiteri cupiebat, nisi Socrates humilitatem huius cupidinis ab eius animo expulisset et uerae laudis gloriam ei curasset ingerere. Et antea quidem Heraclidis secta fuerat imbutus; uerum, cum se Socrati dedisset, non solum ingenio atque doctrina ceteros Socraticos uicit sed etiam labore et elegantia sapientiam elustrauit eique recta assertione sensuum et maiestate uerborum plurimum adhibuit dignitatis. Socrate siquidem excedente se ad Pithagorae contulit disciplinam; quam etsi ratione diligenti et magnifica uidebat instructam, rerum tamen
645 a continentiam et castitatem magis cupiebat imitari. Deinde Theodorum Cirenensem adiit ut geometriam disceret. Inde Egiptum petiit ut astrologiae uacaret, ibique a plerisque

1 quem M 2 atthicarum A 6 ergo] igitur S 15 que *om.* C^1S 15, 16 ei progressus A^1 18 ditiriiambis C^1BA^1SM 19 se certatorem A^1 30 Teodorum S Cirenensem] grenensem M 31 egyptum BM

6 *Talis ergo* etc. usque ad *consistunt* (645 A): v. Apul. *de Dogm. Plat.* i. 2, 3; de Ioannis Saresberiensis lectione v. Hildebrand ad loc. 21 *ingerere*: *inserere* Apul. 22 *Heraclidis*: *Heracliti* Apul.

creditus est didicisse oracula prophetarum. Vnde rursus in Ithaliam rediit et Pithagoreum Tarentinum Architam secutus est; atque ad Indos, Medos, Magos animum intendisset, nisi eum procedere uetuissent bella Caletica. Quapropter inuenta Parmenidae et Zenonis diligentius executus, quae apud magnos philosophos admirationi fuerant singula, in libris suis collegit uniuersa, docens primus studia philosophiae non modo non esse contraria sed inuicem necessaria sibi, eo quod mutuis auxiliis uniuersa consistunt. Multi auditorum eius utriusque sexus in philosophia floruerunt. Patrimonium in ortulo, qui Achademiae iunctus erat, in duobus ministris et patera, qua diis supplicabat, b reliquit. Auri tantum habuit quantum puer auricula gestauerat in nobilitatis insigne. Tres aduentus eius ad Siciliam mali diuersis opinionibus carpunt. Sed primo ut historiam naturae cerneret in Ethna et incendiorum intelligeret rationem, illuc profectus est; secundo petitu Dionisii ut Siracusanis adsisteret et ut municipales prouinciae illius disceret leges; tertio ut fugientem Dionem restitueret patriae suae uenia a Dionisio impetrata. Sed in his omnibus adeo diligens extitit ut a studiis aut officiis philosophiae nullo umquam tempore suspenderetur. Itaque, cum studium philosophiae partim in actione, partim in contemplatione uersetur, Socrates actiuam exercuit, mores instituens quibus fideliter ad beatitudinem uita transigitur; Pithagoras contemplatiuae institit per quam ingenium c exercetur et propagatur scientia; proinde Plato utramque iungendo alteri philosophiam perfecisse laudatur, quam in

2 italiam AS²M 5, 6 exequutus S 6 phylosophos M 8 phylosophiae M 16 hystoriam BM: istoriam S 22 phylosophiae M 28 phylosophiam M quam] quia M

1 *oracula*: *ritus* habet Apuleius; cuius verba ideo immutavit Ioannes noster, quo de Hebraeorum Scripturis sacris facilius intellegi possent; cf. Aug. *de C. D.* viii. 11. Verisimilius tamen est Apuleium ad prophetas Aegyptios respexisse, de quibus conferre licet Diog. Laert. iii. 8, Apul. *Metam.* ii. 28, Macrob. *Sat.* vii. 13 § 9, Chalcid. *Comm. in Pl. Tim.* c. 125. 3 *Medos*: Medorum mentionem non facit Apuleius. 10 *Multi auditorum* etc. usque ad *impetrata* (645 B): v. Apul. *de Dogm. Plat.* i. 4. 22, 23 *Itaque, cum* etc.: v. Aug. *de C. D.* viii. 4.

tres partes distribuit, ethicam, phisicam, et logicam, id est moralem naturalem et rationalem, qua uerum disterminatur a falso et sine qua disseri nequeunt quae uel in actione uel in contemplatione uersantur. Putatur a nonnullis quod in peregrinatione sua Hieremiam prophetam uiderit audieritque in Egipto et legerit scripturas propheticas. Sed subputata ratio temporum, quae in cronicis continentur historiis, docet eos nequaquam contemporaneos extitisse, d cum ortus Platonis uix etatem illam apprehenderit et interlabentibus centum annis tempus, quo prophetauit Ieremias, attigerit; et scripturae propheticae post mortem Platonis annis ferme sexaginta regnante Tholomeo, qui litterarum studiosus a Ierosolimis septuaginta adsciuit interpretes, Egiptum intrauerint. Opinio tamen illa conualuit quia in libris Platonis inueniuntur multa dictis consona prophetarum. Nam in Thimeo, dum causas mundi subtilius inuestigat, manifeste uidetur exprimere Trinitatem quae Deus est, efficientem causam constituens in potentia Dei, in sapientia formalem, finalem in bonitate quae sola induxit eum ut omnem creaturam bonitatis suae participem 646 a faceret, prout natura cuiusque capax beatitudinis esse potest. Vnam tamen in his uisus est intellexisse et docuisse substantiam, dum opificem uniuersitatis et formatorem Deum unum esse asseruit, quem ob insigne bonitatis

---

1 physicam M 6 egypto BAM 7 supputata M 8 istoriis S: hystoriis BM 9 aprehenderit S 11 iheremias S atigerit CBS[1] 14 egyptum B: aegyptum M

---

4 *Putatur* etc.: v. Aug. *de C. D.* viii. 11; quem locum citat etiam Abaelardus *Tract. de unitate et trinitate diuina* ed. Stroelzle p. 11, *Theol. Christ.* i. (*Opp.* ed. Cousin ii. p. 394). 16 *Nam in Thimeo* etc.: Platonis *Timaei* 27 C seqq. versionem a Chalcidio scriptam sequitur Ioannes noster. Notandum est alios Trinitatis imaginem in Deo et mundo unigenito et anima mundi, de quibus agitur in Platonis *Timaeo*, invenisse. 18 *efficientem* etc.: cf. Comm. saec. xii in Timaeum a V. Cousin typis commissum et Willelmo de Conchis attributum (*Ouvr. inéd. d'Abelard* p. 655; *Fragm. Philos.* ed. 1865 ii. p. 366): *Est efficiens causa diuina essentia* [?*potentia*], *formalis diuina sapientia, finalis diuina bonitas.* 20 *ut omnem creaturam* etc.: v. Plat. *Tim.* 29 E in Chalcidii versione. 23 *opificem uniuersitatis*: Plat. *Tim.* 28 C in eadem versione.

et dulcis affectus dixit omnium genitorem, quem propter infinitatem maiestatis, potentiae, sapientiae et bonitatis suae tam est inuenire difficile quam inuentum digne profari impossibile. Eundem quoque remuneratorem sperantium in se esse et colentium se uidetur adstruere, dicens sapientem esse cultorem Dei philosophum qui animo et uoto accedit ad sapientiam, et eum esse amatorem Dei; qui, sicut constitutae uniuersitatis causa est admirabilis, ita bibendae felicitatis idem est fons indeficiens et singularis. Moyses auctor est quia in principio creauit Deus celum b et terram et in medio eorum aquam collocauit et aerem; Plato quod ab initio, ut mundus, qui solidus et uisibilis futurus erat, uideri posset et tangi, Deus iecit duo prima mundani corporis fundamenta ignem et terram et eis concordi proportione media sociata insolubili uinculo interiecit, nisi tamen uoluntas conditoris, quae sola tantae firmitudinis nexus fidelissimus est, ut dissoluantur admittat. Omne siquidem quod iunctum est natura dissolubile est; sed ut bonae conciliationis fedus pereat non est uoluntas Dei uolentis bona dumtaxat. Ait Moyses: QVI EST misit me ad uos; et illum singulari uerbo et praerogatiua significatione censuit esse qui semper idem est ut ei nec praeteritum transeat nec futurum immineat sitque immunis omnium c motuum. Nam illa subsistendi dedignatus est uerbo quae cum tempore festinant ad non esse et singulis momentis per uarios motus sui proficiscuntur in mortem. Et de

2 *post* potentiae *add.* et M 9 i. (=id est) CBAM 10 Moises S 20 moises S 24 dignatus A^{2}

1 *genitorem*: Plat. *Tim.* loc. cit. 3 *tam est inuenire* etc.: Plat. *Tim.* loc. cit. 4 *remuneratorem* etc.: cf. Heb. xi. 6. 5, 6 *sapientem esse* etc.: v. Apul. *de Dogm. Plat.* ii. 22, 23; Aug. *de C. D.* viii. 1 et 5. 9 *bibendae felicitatis* etc.: cf. Ps. xxxv. 9, 10. 10 *Moyses* etc.: v. Gen. i. 1, 7; Plat. *Tim.* 31 B seqq.; Aug. *de C. D.* viii. 11. 17, 18 *Omne siquidem* etc.: Plat. *Tim.* 41 B in Chalcidii versione. 18, 19 *sed ut bonae* etc.: Haec etiam ex Platonis *Tim.* 41 A desumpta est: in Chalcidii tamen versione legimus; *at uero quod bona ratione iunctum atque modulatum est dissolui non est Dei.* Verba Platonis haec sunt: τό γε μὴν καλῶς ἁρμοσθὲν καὶ ἔχον εὖ λύειν ἐθέλειν κακοῦ. 20 *uolentis bona*: v. Plat. *Tim.* 30 A in Chalc. vers. *Ait Moyses* etc.: v. Exod. iii. 14; Aug. *de C. D.* viii. 11.

homine quidem planum est quia uita eius non status est qui uerbo substantiuo debeat exprimi sed transitus de utero ad tumulum et quasi fuga aut umbra existendi. Plato quidem id quoque solum proprium dicit esse quod semper est idem nec motibus uariatur. Quae uero sunt obnoxia motui non quidem sunt sed uidentur esse, et nequaquam manent sed iugiter euanescunt et fugiunt nec spectant appellationem. Sunt praeterea Platonicis et nostris multa communia, ut sint omnino inexcusabiles dum
d ueritatem Dei in mendacio detinent. Magnus pater Augustinus auctor est (si tamen quae sub nomine eius concepta legi recolo fideliter) quod in libris Platonicorum inuentum sit quod beatus euangelista Iohannes altius celo intonuit et quam humana mens percipere queat, licet auris utcumque possit audire; inuentum est, inquam, quod ait ab initio Euangelii: In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum, et cetera usque ad locum quo ait: Et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt. Ego quidem, nisi in patrum scriptis legeretur, nequaquam alicui infidelium concessum crederem ut os in tantae lucis oraculum aperiret quam oculus mundanus non sufficit intueri. Apostolicum tamen et
647 a familiaritatis intimae priuilegium adstruit quod uerbum fidei boni operis perseuerantia illustrauit, cum philosophi euanuerint non modo in cogitationibus sed operibus suis. Scripsit libros plurimos, et politici hominis merita contemplatio non repressit, et contemplationis acumen actionis necessitas non extinxit. Si liber qui de Dogmate eius est contempnitur, in laudem eius Origenes, Ieronimus, Augustinus, omnium philosophorum adtestationibus freti, sufficiunt.

---

8 apellationem S 13 euuangelista A: ewngelista S 16 euuangelii CA 24 phylosophi M 30 atestationibus S

---

1 *non status est* etc.: v. Iob x. 19 *Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.* 9 *ut sint* etc.: v. Rom. i. 18, 20. 10, 11 *Augustinus* etc.: v. Aug. *Conf.* i. 9 § 13 (Migne *P. L.* xxxii. 740). 16 *In principio* etc.: Ioann. i. 1–5. 23 *familiaritatis intimae*: sc. cum Christo; v. Ioann. xxi. 20. 25 *euanuerint* etc.: v. Rom. i. 21. 26 *Scripsit*: sc. Plato. 28 *liber*: sc. Apuleii. 29 *Origenes*: v. Hieron. *Apol. adv. Ruf.* iii. 40 (Migne *P. L.* xxiii. 487).

De morte eius diuersi diuersa scripserunt sed probabilius est eum, qui innocenter uixerat et philosophiae praecepta pro uiribus fuerat insecutus, uitam risui non cessisse. Nam quod de eo nonnulli tradunt quia uerecundia motus emisit spiritum eo quod nautarum propositam non potuit soluere quaestionem, constat nominis errore compositum. Quicquid b enim de eo Grecorum loquentur fabulae, hoc de Homero non Platone Valerius Maximus refert. Ex eo tamen et hoc uulgatum est, quia fuerunt qui Homerum aequiuocum Platonis dicerent propter excellentiam sapientiae, sermonis elegantiam et latitudinem pectoris; nam uiros nobiles certum est polinomios extitisse. Decessit autem octoginta annis et uno expletis in tanta reuerentia omnium et integritate auctoritatis ut diu dubitatum fuerit diis an semidiis potius aggregandus. Sed et cum etate illa deficiente merita uirtutum eius tamquam incredibilia quodammodo ad antiquitatis fabulas uergerent, ipsum inter semideos uenerandum Labeo scribit ut quiddam maius homine, minus deo fuisse doceatur.

Cap. 6. *De Aristotile et opinione eius et studiis; et quod* c *uariis disputationibus dubitationem Achademicorum mouit, et de regula eorum.*

Sol e celo uisus est cecidisse qua die philosophorum princeps Plato rebus excessit humanis, et quasi lucernam mundi extinctam defleuerunt qui ad thronum sapientiae, cui ille diu praesederat, sua arbitrabantur studia referenda. Sed cum ei Aristotiles discipulus, uir excellentis ingenii et Platoni impar eloquio sed multos facile superans, in docendi

---

8 maximus ualerius M 14 an] aut M 14, 15 *post* semidiis *add.* esset SM 15 agregandus S et *om.* A 23 phylosophorum M 25 tronum A 26 preferenda M

---

3 *risui*: v. loc. ex lib. ii. infra cit. 6, 7 *Quicquid enim* etc.: cf. supra ii. 26 (460 B) cum notis ad loc.; quibus quaedam adhibenda sunt ex addendorum tabula tomo I praefixa. 8 *Valerius Maximus*: v. Val. Max. ix. 12 ext. 3. 12 *polinomios*: i. e. πολυωνύμους. *Decessit* etc.: v. Cic. *de Sen.* 5 § 13; Sen. *Ep.* 58 § 31. 17 *inter semideos* etc.: v. Aug. *de C. D.* ii. 14; cf. viii. 13. 27 *cum ei Aristotiles* etc. usque ad *superans*: v. Aug. *de C. D.* viii. 12.

officium successisset, quasi matutinum sidus effulsit hominibus et quibusdam multiplicis philosophiae praeceptis uelut uariis sapientiae radiis illustrauit orbem, et tamquam ocu-
d lorum detersa caligine ad contuendam ueritatis speciem mentes hominum reparauit. Sectam hic Peripatheticam condidit, sic utique dictam quod deambulans disputare consueuerat, plurimosque discipulos praeclara fama excellens et arte suadendi uiuo adhuc praeceptore in suam heresin congregauit. Tractauit quidem omnes philosophiae partes et praecepta dedit in singulas sed prae ceteris sic rationalem redegit in ius suum ut a possessione illius uideatur omnes alios exclusisse. Ita tamen in aliis uiguit ut commune nomen omnium philosophorum anthonomasice, id est excellenter, sibi proprium esse meruerit. Sicut enim
648 a urbs Romam, Maronem poeta exprimit, sic et philosophi nomen circa Aristotilem utentium placito contractum est. Fuit autem facundus eloquio sed uberior sensibus et doctus omnium sententiis obuiare. Hic est qui primus studiorum genera in agroaticum et exothericum dicitur distinxisse. Nam et familiares et quasi domestici admittebantur in agroatica, exotherica uero non modo extraneis sed hospitibus patebant et peregrinis. Fuerunt qui eum Incubi demonis filium crederent propter agilitatem corporis, per-

---

2 phylosophiae M 9, 10 phylosophiae M 13 phylosophorum M authonomasice B[2] : antonomasice A 15 phylosophi M

---

5 *Sectam* etc. : v. Aug. *de C. D.* viii. 12. 11 *rationalem* etc. : cf. Cic. *Top.* 2 § 6 ; Boeth. *Comm. in Porphyr.* i. (Migne *P. L.* lxiv. 73). 13 *ut commune nomen* etc. : cf. *Metal.* ii. 16 (873 c). 15 *urbs Romam* : cf. Quintil. *Inst. Orat.* viii. 5 § 9. *Maronem poeta* : cf. *Instit.* i. 2. 2 ; cf. etiam *Enthet. de Dogm. Philos.* 829 (983 B). 15, 16 *philosophi nomen* etc. : cf. *Metal.* iv. 7 (920 A) *Enthet. de Dogm. Philos.* 827, 828 (983 B). 18 *Hic est qui* etc. : De distinctione librorum *acroaticorum* et *exotericorum* v. Gell. xx. 5. 22 *Fuerunt qui* etc. : Hoc de Aristotele narratum alibi non repperi. Forsan a nonnullis fabula de Platonis origine Apollinea ad Aristotelem translata erat et ad priscorum Christianorum mentem intellegebatur, qui Apollinem pro daemone habuerunt. Forsan quod de aliis artis magicae peritis (e. g. Merlino) credebatur, de Aristotele, quem pro mago insigni reputant fictae Alexandri magni historiae concinnatores, etiam referebatur. Non incredibile est huius loci memorem Franciscum Baconum Antichristo, qui iuxta opinionem vulgatissimam diaboli filius futurus erat, Aristotelem ob gloriae appetitum (*de Augm. Sci.* iii. 4) contulisse.

spicaciam ingenii et gloriae appetitum quam multiplici industria omnibus praeripere consueuerat. Testatur de eo Valerius Maximus quia, supremae uitae reliquias senilibus ac rugosis membris in summo litterarum otio uix custodiens, adeo ualenter pro salute patriae incubuit ut eam ab hostilibus b armis solo aequatam in lectulo Atheniensi iacens quidem Macedonum manibus, quibus abiecta erat, eriperet. Ita urbe strata atque euersa Alexandrique familiaritate qua restituta est Aristotilis notum est opus. Licet autem nominum et uerborum turbator habeatur, non modo subtilitate, qua cunctis celebris est, sed et mira suauitate dicendi eualuit, adeo quidem ut Platoni merito proximus fuisse uideatur. Eum laudis fuisse auidissimum uel ex eo constat quod, cum Theodocti discipulo libros artis oratoriae ut eos ederet concessisset, moleste ferens postea tantum laudis et gloriae titulum se alii concessisse, proprio uolumine quibusdam rebus insistens, planius sibi de his in Theodoctis libris dictum adiecit. Vnde Valerius Maximus: Nisi me tam latae c et tam patentis scientiae uerecundia teneret, dicerem dignum philosophum cuius stabiliendi mores altioris animi philosopho traderentur. Ceterum gloria ne ab his quidem, qui contemptum eius introducere conantur, negligitur. Nam et uoluminibus nomina sua diligenter adiciunt ut quod professione leuant usurpatione memoriae assequantur. Hic est cuius disputationibus effectum est ut Achademia moueatur magis rationum quam collisione uentorum. Licet enim Peripatheticus, non Achademicus censeatur, eo tamen sollicitante de singulis maxime coeperunt Platonici, qui relicti

7 adiecta M 11 discendi M 14 eos *om.* M[1] 16 cessisse M

1 *gloriae appetitum*: cf. *Enthet. de Dogm. Philos.* 862 (984 A). 2 *Testatur* etc.: v. Val. Max. v. 6. ext. 5. 9, 10 *nominum et uerborum turbator*: v. Boeth. *de Syll. Categ.* i. (Migne *P. L.* lxiv. 793). 11 *mira suauitate dicendi*: v. Cic. *Top.* i. § 3; Quintil. *Inst. Or.* x. 1 § 83. 12 *ut Platoni* etc.: cf. Cic. *de Fin.* v. 3 § 7; *Tusc. Disp.* i. 10 § 22. 13 *Eum laudis* etc.: v. Val. Max. viii. 14. ext. 3. 14 *Theodocti*: *Theodecti* Val. Max. 18 *Nisi me* etc. usque ad *assequantur*: Val. Max. loc. supra cit. 26 *collisione uentorum*: cf. supra c. 3 (641 A).

erant, fere de omnibus dubitare. Siquidem post mortem d Platonis Eusippus sororis eius filius et Xenocrates dilectus eius discipulus in scolam, quae Achademia uocabatur, eidem successerunt; et ob hoc ipsi et successores eorum Achademici appellantur a loco sicut Platonici a magistro. Ex quibus ualde nobilitati sunt Greci Plotinus, Iamblicus et Porphirius, catholicae ueritatis, ut dicitur, pessimus impugnator. In utraque uero lingua Greca scilicet et Latina nobilis extitit Apuleius Affer, uir magnus imprimis et qui uenustate morum et dicendi copia Socraticum fontem et torrentem Platonicum facile redoleat uel tenuiter sapienti. Ab his fluxerunt et alii multi qui dubitabilia discutere sic ut nulli praeiudi-649 a caretur maluerunt quam ausu temerario diffinire, maxime cum occultam crederent ueritatem eorum de quibus in utramque partem probabiliter disputatur. Vnde et Achademicorum antiquissima regula est ut quisque quod sibi occurrit probabile suo iure defendat.

Cap. 7. *Quod alia sensus, alia rationis, alia religionis auctoritate probantur; et quod fides in omni doctrina aliquod stabile initium uendicat quod probari non debet; et quod alia per se doctioribus innotescunt, alia rudibus; et quatenus dubitandum sit; et quod pertinacia ueritatis inquisitionem plurimum impedit.*

Sunt enim nonnulla quae sensus rationis aut religionis persuadet auctoritas. Horum dubitatio infirmitatis erroris notam habet aut criminis. Quaerere enim an sol splendeat, b albeat nix, ignis caleat, hominis est sensu indigentis. At uero an ternarius binario maior sit ipsumque totum et medietatem eius contineat quaerere et an quaternarius sit duplus binario, indiscreti est et cui est ratio otiosa aut deest

---

5 apellantur CBS: uocabantur M 7 ut dicitur ueritatis A[1] 9 afer M 10 discendi CBASM 12, 13 iudicaretur M[1] 30 dupplus A

---

1 *Siquidem* etc. usque ad *Affer*: v. Aug. *de C. D.* viii. 12. 2 *Eusippus*: *Speusippus* Aug. 7 *catholicae ueritatis, ut dicitur, impugnator*: haud ex Augustino. 10 *Socraticum fontem*: cf. Cic. *de Orat.* i. 10 § 42 *philosophorum greges ab illo fonte et capite Socrate.*

omnino. Qui uero an Deus sit deducit in quaestionem et an idem potens sapiens sit an bonus, non modo irreligiosus sed perfidus est, et pena docente dignus est instrui. Sunt enim in omnibus philosophicis disciplinis quaedam prima et, ut ita dicatur Cratini uerbo, primitiua principia de quibus eodem auctore dubitare non licet nisi his quorum labor in eo uersatur ne quid sciant. Nam, sicut quaedam se corporeis sensibus ingerunt ut apud sensatos latere non possint; quaedam subtiliora sunt ut, nisi familiarius adhibita et c
prospecta diligentius et pertractata sint, non sentiantur; sic sunt aliqua tanta sui luce perspicua ut latere non possint rationis aspectum sed communiter uideantur ab omnibus, magis tamen et minus pro capacitate et uiribus singulorum; alia quidem sunt quae quasi quodam scrutinio indigent et, quia istorum consecutiua sunt, diligentius perscrutantem latere non possunt. Et his tamen et illis quaedam uidentur anteriora esse quae ratio philosophiae quasi in fidei fundamento constituit, petens ut in spe proficiendi ea sibi gratuito concedantur. Sic et geometrae primo petitiones quasdam quasi totius artis iaciunt fundamenta, deinde communes animi conceptiones adiciunt et sic quasi acie ordinata ad ea d
quae sibi sunt demonstranda procedunt. Sed et petitiones ipsae adeo consentiunt rationi ut proteruire uideatur quisquis eas uel hosti non concedit. Hic tamen nequaquam agitur de his quae ad cultum religionis pertinent, quoniam et ibi nonnulla quodammodo petuntur quae, ut fides amplius mereatur, experientiam rationis excedunt; sed haec ipsa, etsi ratio non urgeat, debentur pietati. Vt enim sacramentis, ubi ratio deficit, adhibeatur fides, multis beneficiis magnisque miraculis promeruit Christus cui non credi im-

---

11 sic] sicut M   14 quidem] quaedam M

---

5 *Cratini*: Quem dicere velit Noster, nescio. 19 *petitiones*: v. Boeth. *Interp. Euclid.* i.; Cassiod. *de Art. et Sci. Lib.* c. 6 (Migne *P. L.* lxiii. 1310, lxx. 1215). 20, 21 *communes animi conceptiones*: v. Boeth. *Interp. Euclid.* i.; Cassiod. *de Art. et Sci. Lib.* c. 6. 23 *proteruire*: Hoc vocabulum a Boethio pro Aristotelico δυσκολαίνειν ponitur; v. Ar. *Top.* viii. 8 (160 b. 12); Boeth. *Ar. Top.* viii. 4 (Migne *P. L.* lxiv. 1002).

pium est, sicut a probabilibus dissentire pertinaciter est proteruum. Quis enim nisi insanus aut proteruus negauerit quin ab omni puncto ad omne punctum oppositum possit
650 a linea recta protendi? Nam sicut in edificiis necesse est aliquid fixum esse et stabile cui erigenda structura possit inniti, sic in omni doctrina aliquod stabile initium procedendi necessitas consultissimae rationis exposcit. Alioquin quicquid opifex adicit, nutat ac si in lubrico arenae aut bituminis quis edificet aut scribat in fluminis lapsu. Nam incertis certiora faciunt fidem. Si ergo nichil sequitur nisi aliud antecedat, si motus omnis a quiete procedit, quis potest ei probationis esse processus qui nusquam quiescit aut nulli adquiescit? Ei namque cui omnia aeque probabilia sunt nichil probari potest. Sed eorum quae perspicua sunt alia sunt omnibus nota, alia doctioribus tantum unicuique secundum propriam facultatem. Nam numerum
b omnem parem esse uel imparem ita publice notum est ut nec pueros lateat quibus licentia etatis indulget

> ludere par impar, equitare in arundine longa,
> edificare casas, plostello adiungere mures.

Hoc autem, quod omnis multiplex quoto loco distat ab unitate, tot superparticulares sui generis antecedit, his dumtaxat innotuit qui numeris operam impenderunt. Mathematicus autem consultior nouit quia diuersa sunt id quod est et esse rei. Et sic in singulis disciplinis quaedam suis opificibus innotescunt quae non modo uulgo sed aliis philosophis occultantur. Habet et religio quaelibet principia sua quae aut ratio communis aut pietas persuasit
c quibus proficit in cultu Dei et morum exercitio ad beatitudinem optinendam. Est autem unum omnium religionum principium quod pietas gratis et sine ulla probatione concedit, Deum scilicet potentem, sapientem, bonum, uenerabilem

---

1, 2 proteruum est M 13 eque omnia A[1] 20 plestello CAS[1]

---

8 *in lubrico arenae*: cf. Matt. vii. 26. 19 *ludere* etc.: Hor. *Sat.* ii. 3. 248, 247. 21 *omnis multiplex* etc.: v. Boeth. *de Arithm.* ii. 2 (Migne *P. L.* lxiii. 1115 seqq.). 22 *superparticulares*: Quid sit numerus superparticularis, satis explicat Boethius *de Arithm.* i. 24 (Migne *P. L.* lxiii. 1101).

et amabilem esse. Nam Epicureorum Deum esse negantium et casui subicientium omnia iam pridem auctore Deo homine explosa sententia est. Obuiare ergo principiis aut rebus per se notis siue de his ambigere insensati est aut uecordis siue (quod deterius est) criminosi. Sed nec de his dubitare licet quae ex principiis consequuntur, dum ea tamen sequi planum sit; interim namque sunt quaestionibus agitanda, dum illorum ad principia uel consecutiua eorum coherentia pateat. Nam de singulis istorum dubitare non est inutile; et quidem in talibus, donec apprehende- d rent ueritatem, Achademicorum probabilium disceptatio uertebatur. Quid enim refert aut quorum interest, si qui semper et omnia quaerebant, discentes et numquam ad scientiam ueritatis peruenientes, quia nichil certum habere nouerant? Hanc ergo legem Achademicorum praescribit Cicero ut cui philosophandi propositum est, dum res obscura est, quaerat; dum probabiliter elucescit ueritas, adquiescat. Ait enim: Nos, qui sequimur probabilia nec ultra id quod probabile occurrit progredi possumus, et refellere sine iracundia et refelli sine pertinacia parati sumus. Haec enim duo inuentioni ueritatis plurimum aduersantur, si aut uera dicenti quis succenseat aut pertinaciter in falsitatis 651 a defensione laboret. Nam ut ait ethicus:

Impedit ira animum ne possit cernere uerum.

Et Veritas ipsa incarnata recessit ab eis qui in Corozaim et Bethsaida Spiritui sancto pertinacius restiterunt. Sed et Iudeos pertinacia excecauit ut adhuc oculos eorum uelum templi teneat, quod Domino patiente scissum est a summo usque deorsum.

6 consecuntur SM

2, 3 *Deo homine*: i. e. Christo. 3 *explosa sententia est*: Cic. *de Off.* i. 2 § 6. 13 *discentes* etc.: v. 2 Tim. iii. 7. 18 *Nos, qui sequimur* etc.: Cic. *Tusc. Disp.* ii. 2 § 5. 19 *probabile*: *ueri simile* Cic. 20 *iracundia*: *pertinacia* Cic. *pertinacia*: *iracundia* Cic. 24 *Impedit* etc.: Cato *Dist.* ii. 4 (Baehrens *Poet. Lat. Min.* iii. p. 223). 25 *Veritas* etc.: v. Matt. xi. 21; Luc. x. 13. 26 *Spiritui* etc.: cf. Act. App. vii. 51. 27 *excecauit*: v. Ioann. xii. 40. *adhuc oculos* etc.: v. 2 Cor. iii. 15; Heb. x. 20; Matt. xxvii. 51. Cf. Hieron. *Ep.* cxx. 7 § 2; *Comm. in Matt. xxvii.* 51 (Migne *P. L.* xxii. 992, xxvi. 213).

Cap. 8. *Quod uirtus unica uia est philosophandi et eundi ad beatitudinem; et de tribus gradibus accedentium, et de tribus sectis philosophorum.*

Verumtamen, quia non omnes omnia possunt, et Spiritus ubi uult spirat, et frequens est ut eorum, quae a doctoribus proferuntur, multitudinis sit multiplex intellectus, ex **b** uerbis Socratis et Platonis sectae multae profluxerunt, omnes tamen ad unum sed quasi per uarias semitas properantes. Illud autem quo omnium rationabilium uergit intentio uera beatitudo est. Nemo etenim est qui non uelit esse beatus; sed ad hoc quod desiderant non una uia omnes incedunt. Vna tamen est omnibus uia proposita sed quasi strata regia scinditur in semitas multas. Haec autem uirtus est; nam nisi per uirtutem nemo ad beatitudinem pergit. Citra uirtutis opera forte quis et proculdubio sine operibus ad beatitudinem trahitur, sed eo nullus nisi uirtutis passibus pergit. Virtus ergo felicitatis meritum est, felicitas uirtutis praemium. Et haec quidem **c** bona sunt summa, alterum uiae, alterum patriae. Nichil enim uirtute praestantius, dum exul peregrinatur a Domino, nichil felicitate melius, dum ciuis regnat et gaudet cum Domino. Sunt autem haec omnibus aliis praestantiora quia uirtus omnia agenda, felicitas omnia optanda complectitur. Felicitas tamen uirtuti praestat quia in omnibus praestantius est propter quod aliquid quam quod propter aliquid. Non enim felix est quis ut recte agat, sed recte agit ut feliciter uiuat. Vnde et Socraticum illud in Saturnaliorum libro laudatur: Multos homines propterea

---

9 ratiocinabilium CS   18 est meritum A[1]

---

1 Cum c. 8 conferre licet Abaelardi *Dialogum* (*Opp.* ed. Cousin ii. pp. 644 seqq.: praesertim pp. 669, 675, 679, 683). 4 *non omnes omnia possunt*: v. Verg. *Ecl.* viii. 63. 4, 5 *Spiritus ubi uult spirat*: Ioann. iii. 8. 13 *strata regia*: Anglice *the king's highway*; v. Ducange sub voc.; cf. Pollock & Maitland *History of English Law* ed. 1898 i. pp. 44, 45. 20 *peregrinatur a Domino*: v. 2 Cor. v. 6. 27 *Socraticum illud* etc.: v. Macrob. *Sat.* ii. 8 § 16.

uelle uiuere ut ederent et biberent; se bibere atque esse ut uiueret. Vnum igitur et singulare summum omnium bonorum beatitudo est, sed ab eo est aliud quodammodo quorundam collatione summum et eo ipso superius aliis d quod ad illud, quod uere singulariter et unice summum est, familiarius accedit. Ceterum ad neutrius apprehensionem nisi philosophia duce humana infirmitas conualescit. Quisquis enim sine ea ad beatitudinis uiam tendit, quasi cecus in lubrico tendens ad alta praesumptuosus cadit. Vnde eam diuinarum et humanarum rerum compotem esse Crisippus asseruit, nec umquam satis posse laudari quae uitia expellit, uirtutes ostendit et confert, et in humana infirmitate diuinam quodammodo reparat integritatem. Et, ut sensum suum expressius proferat, omnes qui non ab illa uel ad illam uigilant (quod tamen ab illa est) brutis animalibus dicit esse conformes, immo et stupendum contra 652 a naturam miraculum in corporibus humanis brutos homines esse. Tria uero genera hominum qui homines sunt (alios enim brutos dicit) esse asseruit. Alii enim iam iocunditate sapientiae perfruuntur, et hii sapientes sunt; alii accedunt ut fruantur, et hii sunt philosophi; alii adspirant ad accedendum, scilicet qui nondum sunt et esse philosophi concupiscunt. Constat enim esse quam plurimos qui nondum philosophantur et uitam philosophorum si non opere, saltem desiderio emulantur. Ego sententiam eius tanto securius approbo, quanto eam michi uidere uideor sancti Spiritus auctoritate subnixam, dicente propheta: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. In quo michi tres praemissos ordines b manifeste uidetur expressisse. Cum enim Plato sapientem dicat esse cultorem Dei, quis alius habendus est sapiens

---

20 hi AM 21 hi AM 24 phylosophantur M

---

10 *diuinarum* etc.: Marcianus in *Dig.* i. 3. 2 Chrysippi de lege dictum non dissimile citat; reliqua quae eidem Chrysippo attribuit, ut videtur, Ioannes noster, nusquam alibi reperire potui; suspicari licet ea ex Cic. *de Rep.* libris desumpta esse. 28 *Concupiuit* etc.: Ps. cxviii. 20. 30 *Plato* etc.: v. Aug. *de C. D.* viii. 5, 8, 11; cf. infra c. 11 (661 B).

quam ille qui moratur in iustificationibus Domini et mulcente se conscientia bonorum operum uerae felicitatis saporem tota mentis auiditate iam praegustat et sentit? Proculdubio nequaquam illius expers est cui agnita beatitudo dulcescit, et ei expetibilium cumulus adest qui in uita gustat et uidet quam suauis est Dominus. Philosophus autem, cuius intentio dirigitur illuc ut sapiat, eodem auctore amator Dei est et uitia subigens rebus agnoscendis applicat animum ut his agnitis ad ueram beatitudinem possit accedere. Haec enim hominem beatum faciunt si et c uitiorum soluantur uincula, et quasi quibusdam gradibus contemplationis lucidum et indeficientem fontem boni detur inuisere. Nam

felix qui potuit rerum cognoscere causas;

et, ut ait poeta, (nobis enim, undecumque proueniant, placent incitamenta uirtutum):

Felices animae quibus has cognoscere primum
  inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter uitiisque iocisque
  altius humanis exeruisse caput.
Non Venus et uinum sublimia pectora fregit,
  officiumque fori militiaeue labor;
non leuis ambitio perfusaque gloria fuco
  magnarumque fames sollicitauit opum.
Admouere oculis distantia sidera nostris
  etheraque ingenio supposuere suo.
d Sic petitur celum, non ut ferat Ossan Olimpus
  summaque Peliacus sidera tangat apex.

Nullum tamen officium est militiae aut domi quod non philosophia pertractet, quippe quae sola excludit uitia, et sine qua nichil recte inter homines geri potest. Sicut autem morari in iustificationibus, id est in expletione

29, 30 philosophia non A

1 *moratur in iustificationibus Domini*: cf. Ps. cxviii. 16, 23, 48, 117. 6 *gustat* etc.: v. Ps. xxxiii. 9. 7 *eodem*: sc. Platone. 10 *Haec enim* etc.: v. Boeth. *Consol. Philos.* iii. metr. 12 *Felix qui potuit boni Fontem uisere lucidum, Felix qui potuit grauis Terrae soluere uincula.* 14 *felix qui potuit* etc.: Verg. *Georg.* ii. 490. 17 *Felices animae* etc.: Ov. *Fast.* i. 297–308. *has*: sc. *rerum causas*; *haec* Ov.

mandatorum Dei, sapientem facit (nam et propheta dicit: A mandatis tuis intellexi), sic animum explendis aptare ea demum philosophia uerissima est. Sed sunt qui nondum explent aut aptantur explendis, approbant tamen quod suspiciunt in aliis, et illis auctore Deo desiderant conformari. Est ergo gradus eminentissimus eorum qui in iustificationibus occupantur; medius quorum animus ex- 653 a
peditus est a uitiis ut ex amore occupetur in illis; infimus qui desiderant expediri ut hoc ipsum concupiscere possint; qui, etsi non sint, desiderant tamen esse philosophi. Horum personam induerat propheta dicens: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Eius namque tanta est pulchritudo quod, si, ut ait Plato, uideri posset oculis corporis, amore sapientiae mirabiliter homines inflammaret, adeo quidem ut primo aspectu necesse esset omnes in amorem incidere. Hanc amat et exquirit a iuuentute sua fidelis anima cuius senectus constat in grauitate morum et puerilis etas in ignorantia et lubrico uitiorum. Super salutem, inquit, et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam et proposui pro luce habere illam; uenerunt michi omnia bona pariter cum illa. Si ergo bona omnia sapientiae b
accessoria sunt, et philosophia studium sapientiae, profecto philosophandi contemptus bonorum omnium exclusio est. Vnde colligitur quod quanto quis philosophiae diligentius insistit, eo fidelius et rectius ad beatitudinem pergit. Nam uirtutes, quibus itur in singulis officiis, illa dispensat. Sed quia ueteres, licet ex parte animas crederent immortales, uitae eternae, quae post istam futura est, nondum in-

5 suscipiunt A 13 pulcritudo BAS est pulcritudo tanta B[1] 19 pulcritudinem AS 22 accessiora M 25 pergit] tendit A

2 *A mandatis tuis intellexi*: Ps. cxviii. 104. 6 *Est ergo gradus* etc.: cf. Aug. *Enarr. in Ps. cxviii.* 8 § 5 (Migne *P. L.* xxxvii. 1522). 11 *Concupiuit* etc.: Ps. cxviii. 20; v. supra 652 A. 13 *si, ut ait Plato*, etc.: v. Cic. *de Off.* i. 5 § 15, *de Fin.* ii. 16 § 52 (ex Plat. *Phaedr.* 250 D). 16 *Hanc amat* etc.: v. Sap. viii. 2. 17 *cuius senectus* etc.: v. Sap. iv. 8, 9. 18, 19 *Super salutem* etc.: Sap. vii. 10, 11. 19 *pulchritudinem*: *speciem* Vulg. 24 *Vnde colligitur* etc.: v. Aug. *de C. D.* viii. 8 *Vnde utique colligitur tunc fore beatum studiosum sapientiae* (*id enim est philosophus*), *cum frui Deo coeperit*, etc. 26, 27 *Sed quia ueteres* etc.: cf. Aug. *de C. D.* xix. 4.

structionem acceperant; summum bonum in uirtute constituerunt quo plane nichil melius est nisi frui eo qui summe bonus et summum bonum est. Vsus enim uirtutis c optimus est, et utendi Deus ipse est fructus. Cum ergo uirtus sola beatum faciat, ad thronum eius, sumpta occasione ex traditionibus doctiorum, per uarios calles ascendere conati sunt. Stoicus enim, ut rerum contemptum doceat, in mortis meditatione uersatur; Peripatheticus in inquisitione ueri; uolutatur in uoluptatibus Epicurus; et, licet ad unum tendant, uarias sententias quasi uias beatitudinis auditoribus suis aperiunt. De quibus dubitare et quaerere liberum est, donec ex collatione propositorum quasi ex quadam rationum collisione ueritas illucescat. Sed de his latius in sequentibus dicetur. Nunc sufficiat ostendisse in quibus Achademicos uacillantes liceat imitari.

Cap. 9. *De arrogantia multitudinis imperitae; et qualiter legenda sunt ea quae prodesse poterunt et obesse; et* d *quod ingenio uel exercitio sine gratia sapientia non contingit.*

Pauci tamen sunt qui Achademicorum imitatores esse dignentur, cum unusquisque pro libitu potius quam ratione eligat quid sequatur. Alii namque propriis, alii doctorum opinionibus, alii multitudinis consortio distrahuntur. Quid enim dubitat qui iuratus in uerba magistri non quid sed a quo quid dicatur attendit? Quiduis enim elatrat acriter et quo imbuta est puerilis etas, de intimis philosophiae abditis erutum putat. Paratus et de lana caprina contendere, credens inopinabile si quid ignotum auribus eius insonuit, nec rationibus adquiescit quem doctoris captiuauit opinio.

---

5 tronum AS 7 Stoycus A 8 Peripateticus CBS: Perhipateticus A 11 querere et dubitare A[1] 26 phylosophiae M

---

3 *summe bonus et summum bonum*: cf. Aug. *contra Ep. Manich.* c. 37 § 42 (Migne *P. L.* xlii. 202). 8 *in mortis meditatione uersatur*: v. Sen. *Ep.* 70 § 18 alibi. 24 *iuratus in uerba magistri*: v. Hor. *Ep.* i. 1. 14. 25 *elatrat acriter*: v. Hor. *Ep.* i. 18. 18. 27 *de lana caprina*: Hor. *Ep.* i. 18. 15.

Quicquid enim ille protulit, autenticum et sacrosanctum est. Ille tamen citius contradicit et pertinacius reluctatur 654 a qui in paucitate rerum addiscenda consumpsit etatem et tanta uerborum angustia premitur ut, si uerbum unum aut duo subduxeris, elinguis fiat et quauis statua taciturnior. Marmoreum putes et in auditorio Pithagorae aut monachorum claustro non tam usum quam necessitatem silentii didicisse. Si quis istorum in manus tuas forte erudiendus inciderit, merito facies quod Thimotheum, qui in arte tibiarum excellebat, fecisse refert Quintilianus in libro de Institutione Oratoris. Hic quidem duplas mercedes exigebat et accipiebat ab his qui fuerant male praeinstituti quam si omnino rudes accederent. Error enim dupplicem laborem exigit, cum et delenda sint peruersae institutionis b semina et bonae sint fidelius inserenda. Suspice ad moderatores philosophorum temporis nostri, illos qui altius praeconantur, quos auditorum multitudo circumstrepit; diligenter adtende eos; in regula una aut duobus aut pauculis uerbis inuenies occupatos, aut ut multum pauculas quaestiones aptas iurgiis elegerunt, in quibus ingenium suum exerceant et consumant etatem. Eas tamen non sufficiunt enodare, sed nodum et totam ambiguitatem cum intricatione sua per auditores suos transmittunt posteris dissoluendum. Eo loco ut congrediaris inuitant, instant postulantque conflictum; si differs manum conserere, si paululum moraris, insiliunt. Si accedis, si tandem inuitus congrederis, si premis, latebras quaerunt, uariant faciem, uerba distorquent, praestigiis conformantur, lubricum et c uolubilem Prothea miraberis rediisse, nisi quod teneri facilius potest, si in eo perstiteris, ut quocumque uerba defluant et uoluantur, quid uelit intelligas et quid sentiat

1 auctenticum CS 2 contradicit citius M 6 phitagore AS 11 dupplas A 18 recula S 29 protea C'S

5 *statua taciturnior*: v. Hor. *Ep.* ii. 2. 83. 6 *in auditorio Pithagorae*: v. Gell. i. 9 §§ 1–5. 9 *Thimotheum* etc.: v. Quintil. *Inst. Or.* ii. 3 § 3. 15, 16 *ad moderatores* etc.: Ad eosdem respicere uidetur quos *Metal.* i. 3, ii. 7, 9, 10 *ad fin.* reprehendit Ioannes noster. 29 *Prothea*: Fabulam Protei refert Ovidius *Fast.* i. 363 seqq.

in tanta uarietate uerborum, et tandem uincietur sensu suo et capietur in uerbo oris sui, si substantiam eorum quae dicuntur attigeris firmiterque tenueris. Ea tamen, de quibus maxime disceptatur, inutiliora et aliis uiliora sunt, cum patuerint. Si progrederis, si pudet et piget in nugis diutius occupari, ad diuerticula propositae quaestionis relabitur et quasi ad sinum matris recurrens more Antei ab eo, in quo genitus et nutritus est, uires reparare contendit.
d Sic circuit, tot facit amfractus ut ad usitata recurrat, ac si laberintum oporteat circuiri.

Serpente ciconia pullos
nutrit et inuenta per deuia rura lacerta;
illi eadem sumptis quaerunt animalia pennis.
Vultur, iumento et canibus crucibusque relictis,
ad fetus properat partemque cadaueris adfert;
hic est ergo cibus magni quoque uulturis et se
pascentis, propria cum iam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulae Iouis et generosae
in saltu uenantur aues, tunc praeda cubili
ponitur: inde autem, cum se matura leuabit
progenies, stimulante fame festinat ad illam
quam primam rupto praedam gustauerat ouo.

655 a Si ergo eos a uerbis suis suspenderis, fere in omni facultate inopiae eorum poteris misereri. Sunt enim qui praestare uideantur in singulis; sunt qui partes philosophiae uendicent uniuersas, nec minus tamen sunt in singulis philosophiae copia destituti. Sunt qui ab una perfectionem sperent; sunt qui uniuersis inuigilent, inopes singularum. Non facile tamen dixerim quos magis credam esse erroneos, cum nec ab una perfectio constet et nemo fideliter queat omnibus inseruire. Qui tamen ab una petit omnes, ineptior

---

9 anfractus A   12 lacerto C   14 Wltur AM   25, 26 uendicent *om.* A

---

7 *Antei*: Fabulam Antaei narrat Lucanus *Phars.* iv. 593 seqq.   10 *laberintum*: i. e. *labyrinthum*; v. Verg. *Aen.* v. 588 seqq; Ov. *Met.* viii. 159 seqq.; cf. Macrob. *Sat.* vii. 5 § 2 *loquendi labyrinthis.*   11 *Serpente* etc.: Iuv. *Sat.* xiv. 74–85.   30 *nemo fideliter* etc.: cf. Matt. vi. 24; Luc. xvi. 13.

est; arrogantior qui omnes profitetur. In uno ad omnia occupari desidis est; sed fastidientis et non proficientis omnia circuire. Ceterum qui multa percurrit ut eligat cui sit potius insistendum, circumspectus est et aliis examinatis praeelectioni suae fidelius seruit. Eo forte spectat praeceptum ethici legere libros praecipientis. In libello quoque b
quo paruuli initiantur ut uirtutis instructio et usus teneris ebibitus animis facile nequeat aboleri (quoniam et testa diutius seruat odorem eius

quo semel est imbuta recens)

ait uel Cato uel alius (nam auctor incertus est):

Multa legas facito, perlectis perlege multa.

Quo quidem aliquid esse utilius ad scientiam aspiranti, facile non crediderim praeter obseruantiam mandatorum Dei, in qua singularis et unicus indubitanter est philosophandi profectus. Sic tamen omnia legenda sunt ut eorum aliqua, cum lecta fuerint, negligantur, reprobentur nonnulla, aliqua uideantur in transitu ne sint omnino incognita; sed c
prae omnibus maiori diligentia insistendum est quae aut politicam uitam siue in iure ciuili siue in aliis ethicae praeceptis instituunt aut procurant corporis aut animae sanitatem. Cum enim illa quae praecipua est inter liberales disciplinas, sine qua nemo recte docere aut doceri potest, sit in transitu et quasi a limine salutanda, quis in aliis censeat immorandum quae aut intellectu difficiles aut effectu inutiles et perniciosae non faciunt hominem meliorem? Nam et ea ipsa quorum usus necessarius est, si hominem immoderatius occupauerint, perniciosissima sunt.

5, 6 *praeceptum* etc.: v. Cat. *Dist.* coll. vulg. 26 (Baehrens *Poet. Lat. Min.* iii. p. 215). 6 *quoque*: Auctorem distichorum quae Catonis vocantur, inter quae exstat versiculus quem mox citaturus est, ab auctore praeceptorum brevissimorum eis vulgo praefixorum distinguere videtur Ioannes noster. Vide quae de Distichorum collectionis origine disseruit vir doctus Aem. Baehrens *Poet. Lat. Min.* iii. pp. 205, 206. 8 *testa* etc.: v. Hor. *Ep.* i. 2. 69, 70. 12 *Multa legas* etc.: Cat. *Dist.* iii. 18 (Baehrens iii. p. 229). 14, 15 *obseruantiam mandatorum Dei*: v. 1 Cor. vii. 19. 24 *a limine salutanda*: Sen. *Ep.* 49 § 6.

Poetas, historicos, oratores, mathematicos probabilis mathe-
d maticae quis ambigit esse legendos, maxime cum sine his uiri esse nequeant uel non soleant litterati? Qui enim istorum ignari sunt, illiterati dicuntur, etsi litteras nouerint. Cum tamen quasi in ius suum uendicant animum, etsi polliceantur notitiam rerum, uirtutis tamen dedocent et submouent cultum. Vnde Cicero, cum de poetis ageret, ut diligentius audiatur, exclamat: Clamor et approbatio populi, quasi magni cuiusdam et sapientis magistri et qui ad commendationem sufficiat, plausu suo quos uult facit autenticos. At illi qui tantis laudibus efferuntur quantas obducunt tenebras, quos inuehunt metus, quas inflammant cupiditates! Hi stupra adulteriaque conciliant, uarias doli reparant artes, furta rapinas incendia docent,
656 a quae sunt aut fuerunt, immo quae fingi possunt, malorum exempla proponunt oculis multitudinis imperitae. Quae incendia celi succensi aut maris inundatio aut terrae hiatus tantas fecit populorum strages quantas isti faciunt morum? Comicus qui prae ceteris placet in Eunucho refert adolescentis libidinem inflammatam, cum tabulam pictura uideret continentem quo pacto deus, qui celi templa sonitu concutit, per impluuium auro misso inclusam turre et septam custodibus corruperit Danem. Similes in singulis picturas uidet, miratur et laudat multitudo. Nam quae uirtutis incitamenta sunt, rarus spectator adtendit.

Here, quae res in se neque consilium neque modum
habet ullum, eam consilio regere non potes.

---

1 istoricos CBS 3 literati BSM 8 aprobatio CBS 10 plasu S 12, 13 inflamant C 26 Here] Ere SM[2]; Ea res M[1]

1, 2 *probabilis mathematicae*: v. supra ii. 18 (436 D). 7 *Vnde Cicero* etc.: v. Aug. *de C. D.* ii. 14 (= Cic. *de Rep.* iv. 9) *exclamante Cicerone, qui, cum de poetis ageret*: *Ad quos cum accessit, inquit, clamor et adprobatio populi quasi magni cuiusdam et sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras, quos inuehunt metus, quas inflammant cupiditates!* Verba quae non refert Augustinus ex Ciceronis libro *de Republica* prouenire nulla causa est cur dubitemus. Notandum est aduerbio *αὐθεντικῶς* non semel in Epistolis suis usum esse Ciceronem. 17 *incendia celi succensi*: sc. a Phaethonte. 19 *Comicus* etc.: i. e. Terentius; v. *Eun.* iii. 5. 37 seqq.; cf. Aug. *Conf.* i. 16 § 26 (Migne *P. L.* xxxii. 672). 26 *Here* etc.: Ter. *Eun.* i. 1. 12–25.

In amore haec omnia insunt uitia: iniuriae, b
suspiciones, inimicitiae, induciae,
bellum, pax rursum. Incerta haec si postules
ratione certa facere, nichilo plus agas
quam si des operam ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
Egone illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo,
mori me malim; sentiet qui uir siem.
Haec uerba una mehercule lacrimula,
quam oculos terendo misere uix ui expressit,
restinguet; et te ultro accusabit, et dabis ei
ultro supplicium.

Ad depellendum meretricum contumelias ratio euidens est
quam seruus inducit; sed quicquid in hanc partem loquuntur,
ita accipitur ac si insanum amatorem reuocet seruus. Eos c
tamen alibi commendat plurimum idem Cicero dicens:
Poetas et uarios scriptores artium aut rerum gestarum solus
ille contemptibiles facit qui non ueretur contempni. Nam
et uirtutis habent usum et philosophandi materiam praebent;
notant enim, non docent uitia, et aut utilitatis causa
grata sunt aut uoluptatis. Sic autem per morum discrimina
transeunt ut uirtuti faciant locum. Nam per tela, per
ignes, per maris uarias procellas, per tot motus seditiones et
insidias populorum Scillam pertransiit et Caribdim ut ad
patriam suam saltem in senectute Vlixes repedaret. Socios
uariis exilii amisit casibus sed eos aut fortunae uiolentia d
aut naturae infirmitas aut animi uoluptas absumpsit.
Horum tamen omnium iocunda relatio est. Nam uel amici

10 mehercle AM 12 restringuet CBAS 20 usum habent A[1] phylosophandi M 25 cillam CBS 27 casibus amisit A[1]

3 *si*: *si tu* Ter. 10 ante *lacrimula* add. *falsa* Ter. 11 *expressit*: *expresserit* Ter. 18 *Poetas* etc.: Haec, quae in Ciceronis operibus quae adhuc exstant nusquam invenies, ex illius libris *de Republica* desumpta esse suspicor. 22 *grata sunt*: Quae grata esse dicantur, incertum est; nam si de vitiis cogitare vellemus quae *notant*, *non docent* poetae, auctoris sensum omnino turbaremus. Cf. Aug. *de C. D.* vi. 6 ad fin. 26 *repedaret*: Hoc vocabulum, optimae Latinitatis auctoribus quos in manibus habemus non usitatum, inter fragmenta tamen Pacuvii et Lucilii exstat; neque incredibile est Ciceronem in hoc loco (qui versuum hexametrorum vestigia non semel exhibere videtur) poetam quendam vetustiorem citavisse.

praeuisus casus, etsi amarus sit, proficit ad cautelam; et quo familiarior fuit cum labente societas, eo casus quemque magis absterret; siquidem exemplis saepe magis proficitur quam praeceptis. Mala enim uitantur facilius quo fidelius praecognita fuerint. Vix et quodammodo solus euasit Vlixes, sed ad philosophiae iocunditatem et quasi patrias uoluptates pauciores euadunt. Consonat ei, si liricum conticente lira dignaris audire, Flaccus (aut, si mauis, Oratius), qui plus honestatis et utilitatis se apud Meonidem inuenisse gratulatur quam plurium Stoicorum sit praeceptis expressum. Ait enim:

657 a Troiani belli scriptorem, Maxime Lolli,
dum tu declamas Romae, Praeneste relegi,
qui quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non,
pulcrius et melius Crisippo et Cantore dicit.
Fabula, qua propter Paridis narratur amorem
Grecia barbariae lento collisa duello,
stultorum regum et populorum continet estus.
Antenor belli censet praescidere causas.
Quid Paris? ut regnet saluus uiuatque beatus
cogi posse negat.
Seditione dolis scelere atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur et extra.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Ego autem in illorum sententiam facillime cedo qui non credunt sine lectione auctorum posse fieri hominem litte-
b ratum. Litterarum tamen copia nequaquam philosophum facit; gratia siquidem est quae ad sapientiam sola perducit. In summa siquidem copia litterarum aut ignorantia interdum aut negligentia ueritatis est, sine qua impossibile est quemquam fieri sapientem. Vnde et doctor ille Ecclesiae, cuius nemo satis memor esse potest, Augustinus Varronem

---

8 maius S horatius A 10 stoycorum A praeceptis] pre ceteris A 14 qui quid] Quicquid C^2B^1AM 15 pulchrius M 19 precidere A^2M 26 hominem *om.* A^1 27 *post* tamen *add.* fieri hominem literatum A phylosophum M

---

7 *ei*: sc. (ut videtur) Ciceroni. 12 *Troiani belli* etc.: Hor. *Ep* i. 2. 1–4, 6–11, 15, 16, 14. 15 *pulcrius*: *planius* Hor. 30 *qua*: sc. veritate.

arguit, quem tamen ut litteratissimum fuisse doceat, ait post cetera quibus singulari praeconio commendatur: Denique et ipse Tullius huic tale testimonium perhibet ut in libris Achademicis dicat eam quae ibi uersatur disputationem se habuisse cum M. Varrone, homine (inquit) omnium facile acutissimo et sine dubitatione doctissimo. Non ait ‘eloquentissimo’ uel ‘facundissimo,’ quoniam reuera in hac c facultate multum impar est, sed ‘omnium facile acutissimo et indubitanter doctissimo.’ In primo autem libro, cum eiusdem Varronis litteratoria opera praedicaret: Nos, inquit, in nostra urbe peregrinantes errantesque tamquam hospites tui libri quasi domum reduxerunt ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere. Tu etatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu publicam disciplinam, tu sedium regionum locorum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina genera officia et causas aperuisti. Iste igitur d uir tam insignis excellentisque peritiae, qui tam multa legit ut ei aliquid scribere uacasse miremur, tam multa scripsit quam multa uix quemquam legere potuisse credamus; iste, inquam, uir tantus ingenio tantusque doctrina, si rerum uelut diuinarum, de quibus scribit, oppugnator esset atque destructor easque non ad religionem sed ad superstitionem diceret pertinere, nescio utrum tam multa in eis ridenda contempnenda et detestanda conscriberet. Cum ergo uiri acutissimi et sine ulla dubitatione, Cicerone teste, doctissimi superstitio scriptis propriis eam conuincentibus arguatur constetque superstitionem falsitatis uitio uirtuti, quae in sola ueritate consistit, esse oppositam et sapientiam sine uirtute esse non posse, quis ex sola lectione, nisi adsit gratia illustratrix creatrix uiuificatrixque uirtutum, credat posse fieri hominem sapientem?

5, 6 facile omnium A[1]   30 assit AM

---

3 *Denique* etc. usque ad *conscriberet* (657 D): Aug. *de C. D.* vi. 2. 9 *indubitanter*: *sine ulla dubitatione* Aug.   25 *Cum ergo uiri* etc.: cf. Aug. *de C. D.* vi. 6. init.

a Cap. 10. *Omnes scripturas esse legendas; et de benedictione quae primigenis data est et filiis Noe; et quod rationi auctoritas nullius gentilium praeiudicet.*

Omnes tamen scripturas legendas esse probabile est, nisi sint reprobatae lectionis, cum omnia non modo quae scripta sed etiam quae facta sunt ad utilitatem hominis, licet eis abutatur interdum, instituta credantur. Nam et angeli quodammodo propter animam, mundus corporeus secundum assertionem patrum ad corporis usum institutus est. Ab initio benedixit Deus homini dicens: Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et uolatilibus celi et uniuersis animantibus b quae mouentur super terram. Et adiciens omnem herbam afferentem semen et uniuersa ligna in usu suo (nam a carnis edulio ante diluuium creduntur abstinuisse) concessit eis in cibum. Illis quoque, quos a peste diluuii archa praefiguratrix Ecclesiae liberauerat, benedixit et legem dedit dicens: Crescite et multiplicamini et replete terram; et terror uester ac tremor sit super cuncta animalia terrae et super omnes uolucres celi cum uniuersis quae mouentur in terra; omnes pisces maris manui uestrae traditi sunt, et omne quod mouetur et uiuit erit uobis in cibum; quasi olera uirentia tradidi uobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Ecce quia primigenis et c filiis Noe eadem benedictionis collata est gratia, eadem auctoritas dignitatis, eadem et ciborum fere concessa est indulgentia. Augmentum namque et multiplicatio gratiae dilatationem exprimit; dominium terrae et bestiarum

23 holera M

5 *omnia* etc.: cf. Rom. xv. 4. 8, 9 *secundum assertionem patrum*: Quo respiciat Ioannes noster, adhuc nescio. 10 *benedixit* etc.: v. Gen. i. 28, 29. 14, 15 *a carnis edulio* etc.: v. Hieron. *adv. Iovin.* i. 18 (Migne *P. L.* xxiii. 237). 16, 17 *praefiguratrix Ecclesiae*: Sic 1 Pet. iii. 20 secuti passim arcam Noe interpretantur patres; e. g. Hieron. *adv. Iovin.* i. 17 (Migne *P. L.* xxiii. 236); Aug. *contra Faust.* xii. 14 seqq. (Migne *P. L.* xlii. 264 seqq.). 18 *Crescite* etc.: Gen. ix. 1–4.

terror priuilegium potestatis, uictualium uniuersitas est indicium libertatis; omnia siquidem munda mundis. Nec recolo huius benedictionis priuilegium alio indultum tempore quam quo innocentia per creationem data est aut per medicinam sacramenti uel penitentiae reparata. Nam et his statim post diluuium et illis ante peccatum ideo forte dictum est: Crescite et multiplicamini, ut illius dumtaxat augmentum et multiplicatio adquiratur quod Deus homini contulit per naturam aut reformauit per gratiam. Hoc d
autem et crescere iubetur in se et quodammodo multiplicari in sobole; in se quidem ad meriti profectum, in sobole numerosa quadam propagatione uirtutum. Cum uero natura sit uitiata per culpam, ut crescere aut multiplicari iubeatur non memini. Licet autem quae praemissa sunt stare queant ad litteram, cum omnia in usum uitae hominis cedant, et ea ipsa quae uidentur esse mortifera etiam uisu odoratu auditu nedum tactu uel gustu, qualia sunt nocentius uenenosa, cibus sint hominis aut eius uertantur in cibum, poterit tamen et alium sensum scrutator misticus inuenire. Sensum tamen historicum roborat quod pisces sanissimos et feras, quarum carnes utilissimae sunt, uidemus crebro uenenatissima reptilia deuorare, et ipsa uenena inseruntur medicamentis quibus non modo natura sustentatur humana 659 a
sed etiam infirmitas conualescit. Cum uero primum sit excutiendus sensus historicus, quicumque animum uel ad fidem uel ad opera fidei, quae sunt boni mores, magis informat, laudabilior et plane utilior est. Hoc enim lectione semper quaerendum est ut homo seipso melior iugiter fiat. Verum cum littera praecedens utiliter ad multa possit referri, et ad hoc posse aptari consentio ut per gratiam ex benedictione Dei collatam ad uirtutis incrementum et multiplicationem liberum excitetur arbitrium et uirtutibus multiplicatis per gratiam adiciatur subiectio terrae quam

1, 2 libertatis inditium B 19 mysticus M 22, 23 ipsa medicamentis inseruntur uenena A[1] 28 querendum est semper A[1] 30 aptari posse A[1]

2 *omnia siquidem munda mundis*: v. Tit. i. 15; cf. Rom. xiv. 20.

cum in se ipso homo subiecerit, dominium sui aliorumque b consequitur, ut, cunctis animantibus praelatus, timorem et tremorem incutiat omnibus quae mouentur in terra. Sunt ei ergo cuncta in cibum quia in omnibus creaturis ei uerba salutis suae loquitur Dominus. Plane cibatur in cunctis quibus ad uitam uel mores componendos uita hominis proficit. Constat enim quod omnis edificatio morum a Domino est et, cum quis ad uirtutem aut ab opere aut a uerbo aut quocumque modo instruitur, concessis sibi a Domino utiliter cibatur. Omnis enim instructio salutis quodammodo uerbum Dei est, et a quocumque ueritas doctrinae proferatur, acceptanda est eo quod ueritas incorrupta semper et incorruptibilis est. Ante diluuium et post, dum sanguine abstineatur, concessus est omnium usus; et ante c baptismum et post, dummodo peccatum uitet, nemo undecumque instrui prohibetur. Si Apostolus est aliquibus odor mortis in mortem, quid prohibet et uasa mortis alicui prodesse ad uitam? Cum ergo dicitur: Quicquid uis praeter sanguinem comede, perinde est ac si quadam imagine dicatur: Dummodo uitia fugias, quod uolueris lege. Sicut in escis carnalibus quaedam sunt quae digeruntur utiliter; quaedam uertuntur in crudos humores, alia per uim expulsiuam eiciuntur omnino; quaedam sunt quae sanis, si tamen modeste sumantur, conferunt et obsunt egrotatiuis; quaedam debilioribus faciunt, minus tamen conducunt sanis et sanatiuis; nam haec ipsa non adeo naturam roborant; d delicatiora siquidem minus nutriunt, magis communia et alimenti, ut ita dixerim, pinguioris. Sic et in libris sunt quae omnibus prosunt, dum tamen legantur modestia dispensante, ut quae nichil continent nisi edificationem fidei et morum; sunt quae solidioribus animis faciant, habenda quidem procul a lectione simplicium; sunt quae natura

---

4 ergo ei A^{1}M 14 *post* sanguine *add.* in quo sedes est animae A *marg.* SM 29, 30 dispensate CBASM

---

7 *omnis edificatio* etc.: v. Eph. ii. 21. 17 *odor mortis in mortem*: 2 Cor. ii. 16. 22 *uim expulsiuam*: cf. Cassiod. *de Anima* c. 6 (Migne *P.L.* lxx. 1292). 24 *egrotatiuis*: et hoc vocabulo et *sanatiuis* utitur Boethius in vers. Arist. *Anal. Prior.* i. 44 (50 a. 21 seqq.).

bonae mentis omnino eiciat; sunt quae digerat in usum morum aut eloquentiae; sunt quae indurent animam et in fide et bonis operibus solam faciant cruditatem. Vix autem inuenietur scriptum in quo, si non in sensu uel in uerbis, non reperiatur aliquid quod prudens lector emittit. Ceterum libri catholici tutius leguntur et cautius, et gentiles simplicibus periculosius patent; sed in utrisque exerceri 660 a
fidelioribus ingeniis utilissimum est. Nam exquisita lectio singulorum doctissimum, cauta electio meliorum optimum facit. Vt enim in libro Saturnaliorum et in epistolis Senecae ad Lucilium legitur, apes quodammodo debemus imitari, quae uagantur et flores carpunt, deinde quicquid adtulere disponunt et per fauos diuidunt et succum uarium in unum saporem mixtura quadam et proprietate spiritus sui mutant. Nos quoque, quicquid diuersa lectione quaesiuimus, conuertamus in usum uirtutis ut omnia in ordinem gerendorum rationis iudicio digerente coalescant. Nam et in animo melius distincta seruantur, et ipsa distinctio non sine quodam fermento, quo conditur uniuersitas, in unius saporis usum uaria libamenta confundit ut, etiamsi appa- b
ruerit unde sumptum sit, aliud tamen esse quam unde sumptum noscetur appareat, quod in corpore nostro facere uidemus sine omni opera nostra naturam. Alimenta quae accipimus, quamdiu in sua qualitate perseuerant et solida innatant, male stomaco oneri sunt; at cum ex eo quod erant mutata sunt, tum demum in uires transeunt; sanguis enim ex diuino mandato diducitur dum uitia declinantur. Pastor Ecclesiae reptilia et immunda mactare praecipitur et comedere; quod, licet ad uocationem gentium proprie referatur, uel exempli conformitate docere potest ut iugulatis erroribus gentilium dogmata nequaquam horreamus. Dum innocentiam, frugalitatem, contemptum mundi docent

3 *post* et *add.* in A[1] 5 repperiatur A 22 suptum S 25 mala S[1] stomacho AM

10, 11 *in epistolis Senecae*: v. Sen. *Ep.* 84. §§ 5, 6. 11 *apes* etc. usque ad *transeunt*: Macrob. *Sat.* i. praef. §§ 5–7. 27 *ex diuino mandato*: v. Gen. ix. 4. 28 *Pastor Ecclesiae*: i. e. S. Petrus; v. Act. App. x. 11 seqq.

c Pitagorici, audiantur; dum animas, quas in celum euexerunt, retrudunt in corpora bestiarum, iuguletur uel Plato. Nam in eo Pitagoram nimis secutus est quod sicut mortuos ex uiuis, ita ex mortuis reciproce uiuos fieri docuit et per uaria corpora pro morum qualitate migrare. Vnde illud:

Ipse ego, nam memini, Troiani tempore belli
Pantoides Euforbus eram, cui pectore leuo
haesit ab aduerso grauis hasta minoris Atridae.

Sic ergo legantur ut auctoritas non praeiudicet rationi; nam et urtica, dum rosa legitur, quandoque manum tangentis urit. Sapientia siquidem fons quidam est de quo egrediun-
d tur flumina quae irrigant omnem terram, et non modo ortum deliciarum diuinae paginae replent sed etiam ad gentes pertranseunt ut nec etiam Ethiopibus omnino desint. Inde sunt floridi redolentes et fructiferi gentium orti, quos si forte simplex lector ingreditur, semper poetici illius meminerit:

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Nam et poma Hesperidum, quae draco peruigil seruat, nullus asportat ignauus aut qui scripturas non quasi uigilans legerit sed quasi dormitans sompniauerit ac si ad finem legendorum utens calcaribus properet. Certum est quia fidelis lector et prudens et qui litteris ex amore in-
661 a uigilat, uitia semper excludit et in omnibus accedit ad uitam. Hinc est illud doctoris doctorum Ieronimi: Ama scientiam scripturarum et carnis uitia non amabis.

---

1 pithagorici AM 3 pithagoram AM 15 quos] Quod CBA 23 est *om.* M

---

6 *Ipse ego* etc.: Ov. *Met.* xv. 160–162. 7 *leuo*: *quondam* Ov. 8 *ab*: *in* Ov. 10 *urtica* etc.: *Vrtica uocata quod tactus eius corpus adurat* Isid. *Orig.* xvii. 9 § 44 (Migne *P. L.* lxxxii. 629). 11, 12 *egrediuntur flumina* etc.: v. Gen. ii. 10 seqq. 18 *Qui legitis* etc.: Verg. *Ecl.* iii. 92, 93. 20 *peruigil*: v. Macrob. *Sat.* i. 20 § 3. 26, 27 *Ama scientiam* etc.: Hieron. *Ep.* cxxv. c. 11 (Migne *P. L.* xxii. 1078); idem citat Ioannes noster in *Ep.* 143 ad Henricum comitem Campaniae (130 B); cf. *Metalog.* i. 24 (856 A).

Cap. 11. *Quid sit uere philosophari; et ad quem finem omnium scripturarum uergat intentio.*

Hoc autem reuera philosophari est, et hic est multae lectionis iocundissimus et saluberrimus fructus. Ipsa siquidem rerum omnium continet disciplinam et omnium moderatrix uniuersis humanae uitae actibus et uerbis et cogitationibus modum et terminos ipsa constituit. Est tamen cui nec ipsa nouit terminum praefinire; est cui in eo praescribit modum ut non habeat modum. Quicquid agit aut loquitur, illuc tendit quod apud recte philosophantes non habet terminum; nam et eius substantia in eo consistit b ut illud nequaquam terminetur. Si enim secundum Platonem philosophus amator Dei est, quid aliud est philosophia nisi diuinitatis amor? Hoc est utique quod terminari non uult, ne et ipsa, quod non expedit, finiatur. Quod enim finitur, esse desinit; et, si amor Dei extinguitur, philosophiae nomen euanescit. Sic et incarnata Dei Sapientia, cum multis praescribat modum, Deum sine modo praecipit diligendum; nisi quia caritati modus ille praescribitur ut Deus sine termino amoris diligatur. Qui enim ait: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, idem praemisit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua et ex omnibus uiribus tuis. Idem quoque c adiecit: In his duobus uerbis pendet tota lex et prophetae. Si ergo omnia quae scripta sunt prophetis famulantur et legi, id est, si omnis doctrina illuc tendit ut homo subiectus sit legi Dei, quis ambigit ad regnum caritatis uniuersa

10 phylosophantes M 13 phylosophus M phylosophia M 16 phylosophiae M 17 sapientia dei C²BSM 21 tuum *om.* CS 24 hiis S tota lex pendet A

4 *Ipsa*: sc. Sapientia. 5 *rerum omnium* etc.: cf. Sen. *Ep.* 88 § 33, 85 §§ 32, 33; recentiorem autem nescio quem auctorem, Sap. viii. 1 forsan interpretatum, sequi uidetur Ioannes. 12, 13 *secundum Platonem* etc.: v. Aug. *de C. D.* viii. 5, 8, 11; cf. supra c. 8 (652 B). 14 *diuinitatis amor*: cf. Boeth. *in Porphyr. Dial.* i. (Migne *P. L.* lxiv. 11). 20, 21 *Diliges proximum* etc.: Matt. xxii. 39. 21, 22 *Diliges Dominum* etc.: Matt. xxii. 37. 24 *In his duobus* etc.: Matt. xxii. 40. *uerbis*: *mandatis* Vulg. *pendet tota lex*: *uniuersa lex pendet* Vulg.; Ioannis tamen lectionem in codice uno (saec. viii vel ix scripto) exstare testantur Wordsworth & White ad loc.

referri? Qui uero philosophando caritatem adquirit aut dilatat, suum philosophantis assecutus est finem. Haec est itaque uera et immutabilis philosophantium regula ut sic in omnibus legendis aut discendis, agendis aut omittendis quisque uersetur ut proficiat caritati. Ipsa uero numquam inanis aut sola est, sed honestatem, modestiam cum sobrietate, pudicitiam et aliarum uenerabilium uirtutum cetum in ipsum hominem quem pietati consecrat quasi in templum Domini introducit. Quicquid aliorsum uergit in artibus
d siue quibuscumque scripturis, non philosophiae dogmata sed inanes fabulae sunt et figmenta eorum super quorum impietatem ira Dei de celo reuelatur. Quicquid illi garriant, recte philosophanti ineptum uidetur insipidum et insulsum. Audi non me sed prophetam dicentem de talibus: Narrauerunt michi iniqui fabulationes sed non ut lex tua. Loqui ergo uera et iusta philosophantibus et non philosophantibus commune est. Vera et falsa loqui, bona docere et mala non philosophantium est. Sed et recta dumtaxat interdum docet uanus philosophi imitator; sed qui recta quae docet sequitur, uere philosophus est.

662 a Cap. 12. *De ineptiis nugatorum qui sapientiam uerba putant; et quod aliter legendi sunt libri diuini, aliter gentiles.*

Errant utique et impudenter errant qui philosophiam in solis uerbis consistere opinantur; errant qui uirtutem uerba putant ut lucum ligna. Nam uirtutis commendatio consistit ab opere, et sapientiam uirtus inseparabiliter comitatur. Vnde constat quia illi, qui uerbis inherent, malunt uideri quam esse sapientes. Plateas circumeunt, terunt

1 phylosophando M 2 phylosophantis M 3 phylosophantium M 10 phylosophiae M 13 phylosophanti M 16 phylosophantibus M 17, 18 et mala docere M 18 phylosophantium M 19 phylosophi M 20 phylosophus M 23 *post* gentiles *add.* libri A 24 phylosophiam M 29 circueunt A

12 *ira Dei* etc.: v. Rom. i. 18. 14, 15 *Narrauerunt* etc.: Ps. cxviii. 85. 25 *uirtutem* etc.: v. Hor. *Ep.* i. 6. 31, 32. 29 *terunt* etc.: v. Martial. *Epigr.* x. 10. 2.

limina doctiorum, quaestiunculas mouent, intricant uerba ut suum et alienum obducant sensum, paratiores uentilare quam examinare si quid difficultatis emersit. Verentur tamen prodere imperitiam suam iactatores sapientiae nec amatores, et id quod nesciunt prauo pudore nescire quam b quaerere et discere malunt; praesertim si assint alii, quibus notum arbitrentur quod ipsi nesciunt. Fastum tamen eorum ferre non poteris; de omni materia loquuntur subito, diiudicant omnes, culpant alios, seipsos praedicant, iactant se inuenisse de nouo quod tritum est ab antiquis et testimonio librorum per etates multas ad tempora nostra perductum. Verba multiplicant ut saepe minus intellecti sint onere et multitudine uerborum quam rerum difficultate. Cum enim ne intelligeretur effecit, arbitratur se meruisse ut prae ceteris philosophus uideatur. Et saepe qui paucissima nouit, proponit plurima quae nec ipse Pitagoras sufficeret explanare. Interdum eadem replicat et reuoluit et, quia c non habet quo diuertat, laborat misere, idem terit et easdem circinat auras; dum eum procul audis, tertium Catonem e celo miraberis cecidisse. Quemlibet enim hominem attulisse uidebitur; si professionem quaeris aut artem, est

> gramaticus, rethor, geometer, pictor, aliptes,
> augur, cenobates, medicus, magus; omnia nouit,

et esuriente Greculo longe praestantior. Nam et, si iusseris, ibit in celum et Dedalo doctior teipsum quo uolueris incolumem per inane traiciet. Accede ut docearis; quid in scriptis suis auctores senserunt diligenter inquire; excute litteram; statim increpabit duritiam tuam et asino Archadiae te dicet tardiorem. Plumbo ebetior es, dum quid in littera latet

---

4 imperiticiam CB 16 pithagoras AM 18 eadem M 27 senserint S 28 asine M 29 hebetior M

18, 19 *easdem circinat auras*: Ov. *Met.* ii. 721. 19 *tertium Catonem* etc.: v. Iuv. *Sat.* ii. 40. 20 *Quemlibet* etc.: v. Iuv. *Sat.* iii. 75. 22 *gramaticus* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 76, 77. 24 *esuriente Greculo*: v. Iuv. *Sat.* iii. 78. 24, 25 *si iusseris, ibit in celum* etc.: v. Iuv. *Sat.* iii. 78 seqq. 28 *asino Archadiae*: v. Iuv. *Sat.* vii. 160; Pers. *Sat.* iii. 9; cf. scholia vetera ad loc. (v. Pers. Iuv. Sulpiciae Sat. ed. Iahn & Buecheler, pp. 22, 138).

d interrogas; littera inutilis est, nec curandum est quid loquatur. Si instas, moneberis fugere quoniam perniciosa est et occidit. Caue ne serpens sis qui terram comedit omnibus diebus uitae suae. Aut ludendum aut fabulandum aut disceptandum est tibi; nam qui uerbosior est, uidetur doctior. Nec curandum est unde aut quid de quo sentiat aut proferat aliquis, dum loquatur. Nec refert qua quisque ratione nitatur, dum non instantiam sed umbram eius quisque dare sufficiat. Quid uerum aut falsum, quid probabile aut non probabile sit, frustra quaeritur, cum omnibus imago probabilium praeferatur. Statue quod uolueris, statim 663 a illud aliqua similitudo euacuat; nam quod optinet in uno simili uelis nolis in alio optinebit. Constat tamen quod uero simile est non statim esse uerum et quod falsum uidetur non semper falsum esse. Si propositorum similium dissimilitudinem niteris aperire, rem inanem aggrederis. Aut enim te uel clamore praepediet aut superfluam operam deridebit, cum omnium similium aliquam dissimilitudinem esse oporteat; alioquin non tam similia quam eadem merito dicerentur. Docere cur ita non sit non modo friuolum sed irrisione dignissimum iudicatur. Statim quaeritur an uelis concionari; dicunt se ut Peripatheticum non Ermagoram audiant conuenisse; cum tamen deambulatione et circuitione b uiarum potius quam diligenti inuestigatione rerum Peripatheticos imitentur. Si tamen haec ad copiam eloquentiae comparandam exerceatur disceptatio et similia et dissimilia

---

10 *post* aut *add.* quid M 16 agrederis CB[1]S 22 peripateticum B 25 eloquentie copiam A[1]

2, 3 *perniciosa est et occidit*: sc. *littera*; v. 2 Cor. iii. 6. 3 *serpens* etc.: v. Gen. iii. 14. 22 *Peripatheticum*: Sic homines saeculi xii dialecticum vocare soliti sunt; dialecticorum ergo illius aetatis omnium princeps Abaelardus saepissime *Peripateticus Palatinus* nuncupatur; cuius discipulos degeneres *quos adhuc dialectica detinebat in monte* S. Genovefae (*Metal.* ii. 10) hoc loco reprehendere videtur Ioannes noster; cf. *Metalogici* locum iam citatum. *Ermagoram*: De Hermagora rhetore non philosopho, qui tamen, dum de arte sua scribit, quaestiones quasdam philosophicas quasi oratori pertinentes tractavit et, ut ait Cicero, *nec quid dicat attendere nec quid polliceatur intellegere uidetur*, v. Cic. *de Invent.* i. 6 § 8.

conquirantur, exercitium quidem laudabile est et quo aliquid esse conducibilius iuuentuti non facile dixerim, dummodo fallaciarum nube multiplici sibi nequaquam perstringi oculos patiantur. Nichil enim utilius, nichil ad gloriam aut res adquirendas commodius iuuentuti quam eloquentia quae ex eo plurimum comparatur si rerum in mente et in ore copia sit uerborum. Verba namque proferre rebus incognitis desipientis potius quam docentis est aut discentis. Multos uidebis huiusmodi qui totum longo detinent sermone diem et nichil omnino dicunt aut minimum. Tu defessus es audiendo, et is, nisi uerbosior esset, loquendo perfatigari potuerat; quo tamen tendat aut quid uelit nondum intelligis. c Tu finem expectas, ille nondum initium fecit. Perfer tamen ut uideas qua exiturus sit; recollige tandem quae contexuit et occurrent tibi

uelud egri somnia uanas
fingentis species, ut nec pes nec caput uni
reddatur formae.

Turbati cerebri hominem credas et qui ex defectu rationis linguam continere non possit. Putes eum noctes continuare insompnes et sopita ratione melancoliam solam in eo excitatam. Si forte miseratione ductus ei modestiam persuaseris, succendetur et quaelibet in quemuis finget opprobria compatientibus et deridentibus aeque conuitiabitur; nec amicus d nec hostis ab eo nisi consputus abcedet. Si coepisti, perferas necesse est aut procacis linguae sustinebis iniurias. Desiste ergo, nisi sordida lingua malueris inquinari. Nam et immunda quo magis mouentur, eo amplius fetent. Viri prudentis dictum agnosces quia

uesanum tetigisse timent fugiuntque poetam
qui sapiunt; agitant pueri incautique sequuntur.

---

3 perstringendi M 5 comodius CBS 11 his AM 16 uelut AM sompnia SM 21 insomnes M 25 abscedet AM

---

16 *uelud* etc.: v. Hor. *A. P.* 7–9. 23 *quaelibet* etc.: v. Hor. *Ep.* i. 15. 30. 25 *consputus abcedet*: v. Hieron. *Ep.* l. 4 (Migne *P. L.* xxii. 515). 30 *uesanum* etc.: Hor. *A. P.* 455, 456.

Licet autem apud priuatos aut serio uiuentes homo huius-
modi rectissime uideatur inutilis, commodus tamen est in
cetu multitudinis quae hilaritatis et iocularis letitiae ma-
teria gaudet. Optimum enim instrumentum est ad risus
conciliandos et efficacior quouis mimo. Vt uenenum eius ef-
664 a fugias, patientiam indicas auribus, morem geras insano qui
nulli parcit et, si eum forte uis reprimere, benignissime ob-
secra ut in docendo aut disputando sententiae plus apponat
et eam uerborum deductione compenset. Nam qui uerba
rebus et res temporis opportunitati contemperat, modestis-
simam totius eloquentiae regulam tenet. Illa uero copia
laudem parit cui ueritas uirtuti et omnibus officiis amica
consentit. Multa siquidem et fallaciter loqui nugigeruli
est et famam omnino negligentis et in se uirorum grauium
prouocantis odium et contemptum. Nam et Spiritus
sapientiae auctor est quia qui sophistice loquitur odibilis
est. Non mediocris tamen utilitas est in deprehendendis
importunitatibus sophisticis, sine quarum notitia quisquis
b ad examinationem ueri et rerum uentilationem progreditur
quasi miles inutilis est qui aduersus exercitatum et instru-
ctum hostem procedit exarmatus. Licet ergo ad exercitium
colloquentem uicissim fallere et quasi in campidoctorum
scola inter ciues iocularem militiam exercere; sed, ubi se
colloquentium intentio ad philosophiae sobrietatem erigit,
importunitates sophisticae delitescunt. Et, si forte ab
alterutra parte emerserint, sic a sapientibus corripiuntur
sicut in re publica inter contrahentes dolus malignantium
cohercetur. Ceterum uerba rebus, res temporibus con-
temperare, et interuenientes fallacias prudenter arguere non
paucorum dierum est aut leuis opera. Vnde plurimi acce-
dentes retrorsum abeunt et aliquam uestium philosophiae
c portiunculam praeferentes gloriantur apud indoctos ac si in

2 comodus CS 7 forte eum A 8 aponat S 18 inoportunitatibus B 24 phylosophiae M exigit M 31 phylosophiae M

16 *qui sophistice* etc.: Eccli xxxvii. 23.

iurisdictionem eorum tota concesserit. Vt enim quidam ait (uerbis namque manentibus nomen excidit):

Garcio quisque duas postquam scit iungere partes,
sic stat, sic loquitur uelut omnes nouerit artes.

De generibus et speciebus nouam affert sententiam quae Boetium latuit, quam doctus Plato nesciuit, et quam iste felici sorte in secretis Aristotilis nuper inuenit. Veterem paratus est soluere quaestionem in qua laborans mundus iam senuit, in qua plus temporis consumptum est quam in adquirendo et regendo orbis imperio consumpserit Cesarea domus, plus effusum pecuniae quam in omnibus diuitiis suis possederit Cresus. Haec enim tam diu multos tenuit ut, cum d hoc unum in tota uita quaererent, tandem nec istud nec aliud inuenirent; et forte ideo quia curiositati non sufficiebat in eis quod solum potuit inueniri. Nam, sicut in umbra cuiuslibet corporis frustra soliditatis substantia quaeritur, sic in his quae intelligibilia sunt dumtaxat et uniuersaliter concipi nec tamen uniuersaliter esse queunt, solidioris existentiae substantia nequaquam inuenitur. In his etatem terere nichil agentis et frustra laborantis est; nebulae siquidem sunt rerum fugacium et, cum quaeruntur auidius, citius euanescunt. Expediunt hanc auctores multis modis uariisque sermonibus et, dum indifferenter uerbis usi sunt, uarias opiniones munire uisi sunt et litigiosis hominibus multam contendendi materiam reliquerunt. Inde est quod, 665 a sensibilibus aliisque singularibus apprehensis, quoniam haec sola ueraciter esse dicuntur, ea in diuersos status subuehit, pro quorum ratione in ipsis singularibus specialissima generalissimaque constituit. Sunt qui more mathematicorum formas abstrahunt, et ad illas quicquid de uniuer-

1 ait quidam SM 5 speciebus et generibus A 18 tamen *om.* S

3 *Garcio*: De hoc vocabulo v. Ducange sub voc. (ubi tamen hic locus male a *Policr.* iv. 12 citatur); hinc *garçon* habent Galli hodierni. 15 *in eis*: i. e. in generibus et speciebus. Non opus est coniectura *inuenisse* quam refert Schaarschmidtius *Ioh. Saresber.* p. 314, n. 2. *Nam, sicut* etc.: Cum sequentibus cf. *Metal.* ii. 17, 20.

salibus dicitur referunt. Alii discutiunt intellectus et eos uniuersalium nominibus censeri confirmant. Fuerunt et qui uoces ipsas genera dicerent esse et species; sed eorum iam explosa sententia est et facile cum auctore suo euanuit. Sunt tamen adhuc qui deprehenduntur in uestigiis eorum, licet erubescant auctorem uel sententiam profiteri, solis nominibus inherentes, quod rebus et intellectibus subtrahunt sermonibus asscribunt.

b Magno se iudice quisque tuetur

et ex uerbis auctorum, qui indifferenter nomina pro rebus uel res pro nominibus posuerunt, suam adstruit sententiam uel errorem. Oriuntur hinc magna seminaria iurgiorum et colligit quisque quo suam possit heresim confirmare. A generibus et speciebus nequaquam receditur, sed eo applicabis undecumque institutus sit sermo. Poeticum illum te subito miraberis inuenisse pictorem qui ad omnia, quae necessitas exigit, scit fortasse simulare cupressum. Desipit ita Rufus in Neuia, a qua eum, teste Coquo, nullus casus auertit; nam

quicquid agit Rufus, nichil est nisi Neuia Rufo;
  si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.

---

3 esse *om.* M 7 et *om.* A^1 8 ascribunt AM 9 quisque se iudice C^1S^1: quisque iudice se B 15 aplicabis CB^1S 18 ruffus A^1 19 auertit casus A^1 20 ruffus A^1

---

4 *auctore suo*: i.e. Roscelino, Abaelardi magistro; cf. *Metal.* ii. 17 (874 C) *Alius ergo consistit* [naturam uniuersalium] *in vocibus, licet haec opinio cum Rocelino suo fere omnino iam euanuit.* 5 *Sunt tamen adhuc qui* etc.: Ad Abaelardum ipsum respicit; v. *Metal.* loc. supra cit. *Alius sermones intuetur et ad illos detorquet quicquid alicubi de uniuersalibus meminit scriptum. In hac opinione deprehensus est Peripateticus Palatinus Abaelardus noster, qui multos reliquit et adhuc quidem aliquos habet professionis huius sectatores et testes.* 9 *Magno se* etc.: Luc. *Phars.* i. 127. 12 *seminaria iurgiorum*: cf. *seminarium rixarum* Hieron. *Ep.* xxvii. 2 (Migne *P. L.* xxii. 432). 15, 16 *Poeticum illum* etc.: v. Hor. *A. P.* 19, 20. 18 *Coquo*: i.e. Martiali; cf. infra viii. 6, 13 (724 B, 764 D); de hoc cognomine vide quae disseruit F. G. Schneidewin (Martial. *Epigr.* ed. Grimae 1842, i. p. 21 seq.) qui appellationem ortam esse putat ex peruersa interpretatione *Epigr.* vi. 60, 8 *Et redimunt soli carmina docta coci*; cf. etiam Barth. *Aduers.* vi. 1. 20 *quicquid agit* etc.: Martial. *Epigr.* i. 68, 1–4.

Cenat, propinat, poscit, negat, innuit, una est
Neuia; si non sit Neuia, mutus erit. c

Res illa ad philosophandum uidetur aptior in qua liberior est licentia fingendi quod uolueris et minor est ex rei difficultate aut disceptantium imperitia certitudo. Saepe, sicut ad hostem impediendum facilius salebras et angustias transeundi miles cautus obseruat, sic difficiles quis aut a scripturis aut a rationibus excitat quaestiones aut, si aliud propositum est, ex industria in eas quasi ex incidenti prolabitur. Et, si satisfacere non sufficis (quia nemo est qui omnia, quae etiam ab imperitis quaeruntur, sufficiat explanare), statim annuit oculis, distorquet uultum, brachia iactat, clamat, salit et transfiguratur gestibus qui in quouis histrione uel mimo uideantur inepti. Non utique satisfacies d nisi ei respondeas uerbis suis et id tantum dicas quod consueuit audire. Ipse tamen, licet scrupulosior sit, totius est solutionis ignarus. In uno tamen fortasse sibi prospexit cautius quod in marsupio omnia quibus inflatur ingessit. Facile tamen et quasi acu uesicam hanc perforando quicquid loquacitatis in follibus imperiti gutturis resonabat interdum uno sapientis uerbulo conquiescet. Nec illos ad philosophandum crediderim aptiores qui omni uerbulo longam orationem obiciunt ac si ad omnia quae quaeruntur sermo sit ad populum faciendus. Regulariter siquidem proditum est quod qui plus uel minus respondet quam quaeratur ab eo, lineam recte disputandi ignorat. Ceterum, cum quis docendus est, illa sunt dicenda dumtaxat quae 666 a solutionis propositorum adminiculum praestant. Vnde illos, qui in singulis legunt omnia et, dum unum quaeritur, nituntur omnia expedire, planum est recte docentium formulam non tenere; aut enim nesciunt quis sit recte docendi modus aut dissimulatione officii uenditant forte ingenia sua et, ut ait Cicero, non quid proposita disciplina

3 phylosophandum M 12 brachium M 22 phylosophandum M 26 recte *om.* A[1] 31 quid M

33 *ut ait Cicero* etc.: v. Cic. *de Invent.* i. 6 § 8 (Hermagoras) *uideretur* ... *non quid ars sed quid ipse posset exposuisse.*

sed quid ipsi possint ostentant. Qui ergo Porphiriolum omnibus philosophiae partibus replent, introducendorum obtundunt ingenia, memoriam turbant. Et qui instituendus erat, tanta grauitate concutiunt ut onus reputet importabile quod suscepit. Diuinae paginae libros, quorum singuli apices diuinis pleni sunt sacramentis, tanta grauitate
b legendos forte concesserim, eo quod thesaurus Spiritus sancti, cuius digito scripti sunt, omnino nequeat exhauriri. Licet enim ad unum tantummodo sensum accommodata sit superficies litterae, multiplicitas misteriorum intrinsecus latet et ab eadem re saepe allegoria fidem, tropologia mores uariis modis edificet; anagoge quoque multipliciter sursum ducit ut litteram non modo uerbis sed rebus ipsis instituat. At in liberalibus disciplinis, ubi non res sed dumtaxat uerba significant, quisquis primo sensu litterae contentus non est, aberrare uidetur michi aut ab intelligentia ueritatis, quo diutius teneantur, se uelle suos abducere auditores. Plane Porphiriolum ineptum credo si ita scripsit ut sensus eius intelligi nequeat nisi Aristotile Platone et Plotino praelectis. Valeat quicumque me in aliquam disciplinam
c disponit introducere compendio tali. Ego siquidem illum

2 phylosophie M   10 mysteriorum M   19 eius *om.* M   nequeat intelligi A[1]   21 illum siquidem A[1]

1 *Porphiriolum*: De Porphyrii *Isagoges* a dialecticis saec. xii abusu cf. *Metal.* ii. 16 *Sed quia ad hunc elementarem librum* [sc. Aristotelis *Categorias*] *magis elementarem quodammodo scripsit Porphyrius, eius ante Aristotelem esse credidit antiquitas praelegendum. Recte quidem si recte doceatur, id est ut tenebras non inducat erudiendis nec consumat aetatem. Indignum enim est si in quinque uoculis addiscendis quis uitam terat ut ei desit spatium procedendi ad illa quorum gratia debuerant haec praedoceri. Vnde, quoniam ad alia introductorius est, nomine Ysagogarum inscribitur. Itaque inscriptioni derogant qui sic uersantur in hoc ut locum principalibus non relinquant, quibus ignotis non est quod huic introducentis operae gratia debeatur.* Cf. *ibid.* 17, 20 ad fin., iii. 1.   6 *apices*: cf. Luc. xvi. 17.   11 *et ab eadem re* etc.: Quadruplicem Scripturae sacrae sensum, videlicet historicum, allegoricum, tropologicum siue moralem, anagogicum, optime exposuit Cassianus in coll. 4, cap. 8 *de spiritali scientia* (Migne *P. L.* xlix. 962); cf. Gazaei commentarium ad loc. De hac re traduntur versiculi quidam ad memoriam informandam haud inutiles: *Littera gesta docet, quid credas allegoria, Moralis quid agas, quo tendas anagogia.*

sequar qui litteram aperit et quasi superficie patefacta sensum, ut ita dicam, historicum docet.

Cap. 13. *Quae sint necessaria et quasi claues philosophandi, et quod simplicitas amica ueritati est; et quid sit luctari cum angelo uel cibare eum; et quid sit aut prosit aduocatione sapientiae relinquere patriam.*

Quae uero sint discendi claues, quae philosophantibus ad intuendam speciem ueritatis uiam eo tendentis expediunt, senex Carnotensis paucis expressit. Et, licet metri eius suauitate non capiar, sensum approbo et philosophantium credo mentibus fideliter ingerendum. Ait ergo:

Mens humilis, studium quaerendi, uita quieta, d
scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena,
haec reserare solent multis obscura legendo.

Humilibus namque dat gratiam Dominus et illis ueritatis intelligentiam confert qui timore initiati ei in dilectione et executione mandatorum suorum fideliter adherent. Nam, ex testimonio sapientis, qui confidunt in Domino intelligent ueritatem, superbis autem resistit Deus. Quis eo inuito philosophabitur? aut eo renitente in aliquo optinebit? Humilitas est ut nec personam docentis contempnat quis aut quamcunque scientiam, nisi forte quam religio repro-

---

7 phylosophantibus M 10 phylosophantilum M 16 *post* dilectione *add.* dei M 20 phylosophabitur M obtinebit CBM 21 contemnat C

---

7 *discendi claues*: cf. *clauem scientiae* Luc. xi. 52. 9 *senex Carnotensis*: i.e. Bernardus Carnotensis, de quo cf. supra ii. 22 (454 c); *Metal.* i. 5, i. 11 (*Carnotensis senex Bernardus*), i. 24, ii. 17, iv. 35: v. *Hist. litt. de la France* xii. pp. 261 seqq.; Clerval *Les Écoles de Chartres au Moyen Age* pp. 158 seqq., cuius iuxta sententiam Bernardus Carnotensis distingui debet a Bernardo Siluestri, librorum duorum *de Universitate Mundi* a C. S. Barach et J. Wrobel a. 1876 editorum auctore. 12 *Mens humilis* etc.: Hos versiculos quos *sapienti cuidam*, tacito nomine, attribuit, fusius commentatus est Hugo de S. Victore, *Erud. Didasc.* iii. 13–20 (Migne *P. L.* clxxvi. 773 seqq.). 14 *multis*: *nonnulla* Hug. de S. V. 15 *Humilibus dat gratiam*: 1 Petr. v. 5. *illis ueritatis* etc.: v. Ps. cx. 10; Ioann. vii. 17, xiv. 15; 1 Ioann. v. 2. 18 *qui confidunt* etc.: Sap. iii. 9. 19 *superbis* etc.: v. 1 Petr. v. 5.

bauit. Si, ut dici solet, inuita Minerua nichil recte aggre-
667 a dimur, quis ad scientiam sine eo perueniet qui scientiarum Dominus est et in quo sunt omnes sapientiae thesauri absconditi? Hoc utique moliri arduum nimis est et difficilius et longe maius quam, ut fabularum utamur uerbis, clauam eripere de manu Herculis. Immo certe longe minus est, quoniam nichil est; si tamen quod omnino nichil est, aliquo maius aut minus est. Quisquis ergo uiam philosophandi ingreditur, ad hostium gratiae eius humiliter pulset, in cuius manu liber omnium sciendorum est, quem solus aperit Agnus qui occisus est ut ad uiam sapientiae et uerae felicitatis seruum reduceret aberrantem. Frustra quis sibi de capacitate ingenii, de memoriae tenacitate, de assiduitate studii, de linguae uolubilitate blanditur. Quia,
b si haec in inuio fuerint, quo efficaciora uidentur, eo longius aberrabunt; nam et equus quo uelocius aberrat, eo tardius domum quisquis insidet redit.

Est autem humilitati coniuncta simplicitas qua discentium intelligentia plurimum adiuuatur. Humilitas enim his quae scribuntur a doctioribus adquiescit, et simplicitas, si qua secus ac oportuit dicta uidentur, in partem meliorem

9 phylosophandi M ostium A²M 20 is CA

1 *ut dici solet* etc.: v. Cic. *de Off.* i. 31 § 110. 2, 3 *scientiarum Dominus*: 1 Reg. ii. 3. 3 *in quo* etc.: Col. ii. 3. 6 *clauam eripere de manu Herculis*: v. Macrob. *Sat.* v. 3 § 16. 9 *ad hostium* etc.: cf. supra i. 9 (561 A). 10 *in cuius manu* etc.: v. Apoc. v. 1 seqq. Suspicor librum illum apocalypticum, sigillis septem obsignatum, de libro sapientiae, quem aperire possit nemo nisi qui septem artibus liberalibus sit imbutus, a viris medii aevi intellectum esse; cuius interpretationis vestigia in armis ab Vniversitate Oxoniensi usque ad tempora nostra gestis habemus; cf. Isaaci Wake *Rex Platonicus* p. 195 ed. Oxon. 1663. 16 *nam et equus* etc.: cf. Aug. *Enarr. in Ps. xxxi.* ii. 4 (Migne *P. L.* xxxvi. 260), ubi de homine ambulanti agitur; de equo tamen Augustini verba *magnae uires et cursus celerrimus praeter uiam* intellegit Cranmerus archiepiscopus Cantuariensis in Homilia cui titulus est *A Sermon of Good Works annexed unto Faith* (*Homilies* ed. Oxon. 1859, p. 49). Tale de homine non de equo dictum saepissime apud scriptores saeculorum xv et xvi reperies; e. g. in fine libri qui inscribitur *Dictes of the Philosophers*, quem primum omnium librorum Anglice typis commisit Willelmus Caxton; Calvin. *Instit.* i. 6; Spenser *Faerie Queene* i. 9. 43; Bacon *N. O.* i. § 61; cf. Spedding *Life of Bacon* iii. p. 87. 18 *Est autem* etc.: Ad *studium quaerendi* (v. supra 666 D) transit.

fidei interpretatione retorquet. Ineptus enim est qui scripturis, a quibus instruendus est, appetit dominari et captiuato sensu earum ad intellectum suum eas nititur trahere repugnantes. Nam in eis quaerere quod non habent, proprium sensum obstruere est, non addiscere alienum. Nonne et discipulorum oculi tenebantur ne sapientiam quae eos ex ardore comitabatur agnoscerent, quia tardi erant ad intelligendum quae prophetae loquebantur, quaerentes quod [c] aberat a mentibus prophetarum et non attendentes Christum qui latebat in littera? Sed quia caritatis ardenti studio quaerebant quod latebat, Sapientia quae quaerebatur affuit et aperuit oculos eorum ut intelligerent Scripturas et suam uiso Domino arguerent tarditatem. Sic enim prodest quaerendi studium, si auiditas ipsa sciendi referatur ad Christum. Sed nec ipse nisi in fractione panis agnoscitur quia mens Scripturarum, nisi refectio fidei aut morum detur animae, omnino non uidetur. Quisquis enim ad uoluptatem suam ingenii aut studii uiribus Scripturarum integritatem attemptat, quasi a sacrario philosophiae exclusus, ab intelligentia ueri alienus extat. Nam et Sodo- [d] mitae, dum angelos correptores malitiae et uiri iusti hospites corrumpere uoluerunt, cecitate percussi sunt, et, circa parietem aberrantes, palpando in meridie, crassis tenebris obuoluti, iusto Dei iudicio submersi sunt. Sic, dum elati et maligni oberrant ad parietem Scripturarum, sensum fidelem, qui in domo simplicis, cum quo est sermocinatio Dei et qui correptorem malitiae uidet angelum, non adtingunt. Angelus siquidem Scriptura est, quam Deo mittente constat ad increpandam malitiam hominum in mundi Sodomam descendisse. Audite, inquit, uerbum Domini, principes Sodomorum; auribus percipe uerba mea,

---

2 apetit CB[1]AS 4 his M 10 karitatis S 13 arguerunt M 19 atemptat CB[1]: ateptat S phylosophie M 23 parietes A

5, 6 *Nonne et discipulorum* etc.: v. Luc. xxiv. 13 seqq. 20, 21 *Nam et Sodomitae* etc.: v. Gen. xix. 26, 27 *simplicis, cum quo est sermocinatio Dei*: v. Prov. iii. 32. 27 *et qui* etc.: cf. Num. xxii. 23 seqq., de asina Balaam. 30 *Audite* etc.: v. Is. i. 10. 31 *auribus percipe uerba mea*: *percipite auribus legem Dei nostri* Vulg.

populus Gomorrae. Seruiendum est ergo Scripturis, non
668 a dominandum, nisi forte quis se ipsum dignum credat ut
angelis debeat dominari. Vtique uiri iusti eos adorasse et
cibum ministrasse leguntur; et eis humana temeritas uult
praeferri? Cibantur autem fidei et bonorum operum cibis;
nam et magni consilii Angelum ad puteum sic cibauit
mulier Samaritana; et forte eos adorasse non proderit,
si cibus subtrahatur. Nonne quaerendi studio uiguisse
scribitur patriarcha qui, scalam uidens, cuius summitas
celum tangebat, angelos adscendentes et descendentes uidit
et ipsum Dominum innixum scalae, et cum angelo, donec
aurora illucesceret, luctaminis certamen exercuit, nec ante
ab angelo fatigatus adquieuit ut cederet quam femore altero
debilitatus benedictionis gratiam uoti compos a cedente
b angelo reportaret? Haec ei in spiritu aut figura conti-
gerunt, sed nobis, Apostolo teste, figuralia seruiunt. In uia
ergo peregrinationis nostrae apprehendamus angelos Scri-
pturarum et infatigabili certamine luctantes cum eis non
cedamus donec nos aurora ueritatis illustret. Nec solam
nosse sufficiat ueritatem nisi, femore amoris temporalium
marcescente, eo uerae uirtutis aditum de benedictione an-
gelica facilius consequamur quo magis eternorum amore
excitato in appetitu temporalium claudicamus. Eo enim
lucta ista perducit ut triumphantis hominis testimonio
Deus ipse, qui summa ueritas est, facie ad faciem uideatur.
Quicquid enim boni in fide aut operibus apparet, imago
c quaedam diuinae uisionis est. Et recte aurora sine bene-

10 celos M 14 accedente S^1M 19 ueritatis aurora M 23 apetitu CS 27 diuisionis diuinae M

3 *eos adorasse* etc.: v. Gen. xviii. 2 seqq. 6 *magni consilii Angelum*: sc. Christum; v. supra *Enthet. in Policr.* (382 C); *Policr.* i. prol. (389 A) et comm. ad loc. *sic cibauit* etc.: v. Ioann. iv. 6 seqq. Versum 32, ubi discipulis suis ait Iesus *Ego cibum habeo manducare quem uos nescitis*, de fide et bonis operibus mulieris Samaritanae, quae et eum Christum esse credidit et alios ad eum adduxit, interpretari uidetur Ioannes noster. 9 *patriarcha*: sc. Iacob; v. Gen. xxviii. 12 seqq., xxxii. 24 seqq. 16 *Apostolo teste*: v. 1 Cor. x. 11. 16, 17 *In uia ergo* etc.: Redit ad Gen. xxxii. interpretationem moralem. 20 *nisi, femore* etc.: cf. Greg. Magn. *Hom. in Ezech.* ii. 2 § 13 (Migne *P. L.* lxxvi. 955).

dictione non expedit angelum, quia notitia ueritatis sine gratia bonae operationis sanae conscientiae non habet fructum. Porro ad studium quaerendi non modo domesticis sed etiam extraneis animamur exemplis. Nam Solon, qui summo sapientiae feruore semper flagrauerat, supremo die, assidentibus amicis et conferentibus, iam fere mersum fatis caput erexit, interrogatusque cur hoc fecisset, respondit: Vt, cum istud quicquid est de quo disputatis percepero, moriar. Migrasset profecto ex hominibus inertia si eo animo uitam ingrederentur quo eam Solon egressus est. Carneades laboriosus et diuturnus sapientiae miles in studio nonaginta expleuit annos; ei siquidem idem uiuendi et philosophandi finis fuit. Cato, octogesimum et sextum d agens annum, animo tamen iuuenili, uirili robore, grauitate senili, in re publica agens ut nec memoriam tardiorem aut laterum infirmitatem aut quassatam carnem, membra torpentia aut linguam impeditam quisquam animaduerteret, Grecis etiam litteris appetitit erudiri qui sero et fere senex Latinas didicit; cum uero sibi eloquentiae gloriam comparasset, id egit ut iuris quoque ciuilis peritissimus haberetur. Eius uero proles mirifica et patre Catone digna adeo doctrinae cupiditate flagrauit ut ne in curia quidem, qua senatus cogebatur, temperaret sibi quo minus Grecos libros lectitaret; qua quidem industria ostendit aliis tempora deesse, alios superesse temporibus.

Vitam quietam necessariam esse uel ethnicus docet qui studentis inane exercitium reputat si ad hostium eius 669 a prementium se tumultuum turba pulsat; ait enim:

> Quis locus ingenio nisi cum se carmine solo
> uexant et dominis Cirrae Nisaeque feruntur
> pectora nostra duas non admittentia curas?
> Magnae mentis opus nec de lodice paranda

12 xc CBASM 13 phylosophandi M 21 uero *om.* A 26 ethicus M 27 ostium A²M 30 cyrrae M

4 *Nam Solon* etc.: v. Val. Max. viii. 7, ext. 14. 11 *Carneades* etc.: v. Val. Max. viii. 7, ext. 5. 13 *Cato* etc.: v. Val. Max. viii. 7. 1. 21 *Eius uero proles* etc.: v. Val. Max. viii. 7. 2. 26 *Vitam* etc.: Ad *uitam quietam* (v. supra 666 D) transit. 29 *Quis locus* etc.: Iuv. *Sat.* vii. 63–68.

attonitae, currus et equos faciesque deorum
adspicere et qualis Rutilum confundat Erinis.

Nam quod turba ueritatis lumen impediat cecus euangelicus docet, quem turbae praecedentes et sequentes increpabant pariter ut taceret. Siquidem, dicente Domino, qui uersatur in turbis turbatur erga plurima; quo nichil studiis aut bonis moribus exercendis perniciosius est. Si enim studium, ut b Ciceroni placet, est uehemens applicatio animi ad aliquid agendum magna cum uoluntate, profecto mens quae turbata ad plura distrahitur nequaquam in uno uirtutis opere fideliter occupatur.

Sed studii tunc exercitatio plurimum proficit, cum uirtus, in singulis quae legit aut audit homo, tacito apud se ueri iudicii scrutinio conualescit; ibi namque ratio cuncta examinat et fructum omnium appendit in statera.

Ceterum uita quieta esse non potest, si naturae necessaria subtrahuntur; et e contra, si luxuriat animus in deliciis, rerum affluentia lumen rationis extinguit. Vnde fecunda uirorum paupertas et uerae humilitatis custos et socia uirtutis praemissis adhibetur ut luxuriam moderatrix c ista compescat et stimulis suis hominem sui memorem officio uirtutis iugiter instare compellat. Honesta quidem res est, ut ait sapiens, leta paupertas; nec tamen est paupertas, si leta, sed Cresi diuitiis potior. Vnde Democritus, cum diuitiis censeri posset quae tantae fuerunt ut pater eius exercitui Xersis epulum dare ex facili potuerit, quo magis uacuo animo studiis litterarum esset operatus, parua admodum summa retenta, patrimonium suum patriae donauit. Athenis autem compluribus annis moratus,

8 aplicatio CB[1]S 15 apendit S[1] 29 cum pluribus CBASM

3 *cecus euangelicus* etc.: v. Luc. xviii. 35 seqq.; cf. Matt. xx. 30 seqq.; Marc. x. 46 seqq. 4 *praecedentes et sequentes*: v. Matt. xxi. 9. 5 *dicente Domino*: Ad Luc. x. 41, 42 respicit. 7 *studium* etc.: v. Cic. *de Invent.* i. 25 § 36. 12 *Sed studii* etc.: Ad *scrutinium tacitum* (v. supra 666 D) transit. 16 *Ceterum* etc.: Ad *paupertatem* (v. supra 666 D) transit. 19 *fecunda uirorum paupertas*: Luc. *Phars.* i. 165, 166. 20 *socia uirtutis*: cf. Petron. *Sat.* 84 *nescio quomodo bonae mentis soror est paupertas.* 22 *Honesta* etc.: Hoc sapientis nescio cuius dictum non adhuc reperire potui. 24 *Democritus* etc.: Val. Max. viii. 7, ext. 4.

omnia temporum momenta ad percipiendam et exercendam doctrinam conferens, ignotus illi urbi uixit, quod ipse quodam uolumine testatus est. Crates quoque ille Thebanus, proiecto in mare non paruo auri pondere: Abite, inquit, pessum malae cupiditates, ego uos mergam ne ipse mergar d a uobis. Sed et Anaxagoras, cum a diutina peregrinatione patriam repetisset possessionesque desertas uidisset: Non essem, inquit, ego saluus, nisi istae perissent. Socraticum fertur oraculum neminem locupletem futurum ut doceat, nisi se ad discendum pauperem et egenum credat; semper enim discentibus plura deerunt quae scitu iocunda aut necessaria sunt.

Terram alienam philosophia exigit et suam interdum alienam facit, immo alienam facit suam, et nullo umquam grauatur exilio. Hoc est quod domesticas et quae carnis sunt abigit sollicitudines ut homo, totus quodammodo uersus in spiritum, omne quod sapientiae profectum impedit, reputet alienum; ubique tamen domi et ubique in patria, quia ubique locorum apud se et ubique apud 670 a sapientiam commoratur. Et forte huc patriarcham inuitat Dominus, dum eum exire de terra et de cognatione sua praecipit, ut in peregrinatione proficiens multiplicetur in gentem magnam ipsamque terram adquirat feliciter quam relinquit, dum ad uocationem sapientiae omnia quae sunt mundana contempnit. Siquidem uirtus modestae paupertatis exercitio crescit et fortitudo facilius diuitiis quam laboribus expugnatur. Qui uero in cognatione temporalium, quibus quodammodo ingenitus est, pedem sui figit affectus, seruit et minoratur et iure dominii feliciter adquiruntur omnia quae mundi cordis affectione quasi mentis

8 ego inquit A^{1} 9 futurum] fieri M 11 scitu] fertu M 13 phylosophia M 15 *post* domesticas *om.* et $C^{2}AM^{1}$

3 *Crates* etc.: Hieron. *adv. Iovin.* ii. 9 (Migne *P. L.* xxiii. 298). 6 *cum a diutina* etc.: Val. Max. viii. 7, ext. 6. 8, 9 *Socraticum oraculum*: cf. Val. Max. vii. 2, ext. 1. 9 *neminem* etc.: v. Val. Max. viii. 7, ext. 8. 13 *Terram* etc.: Ad *terram alienam* (v. supra 666 D) transit. 18 *ubique* etc.: Multa talia apud Senecam leguntur, hoc tamen ipsum non repperi. 20 *patriarcham* etc.: v. Gen. xii. 1 seqq.

pede calcantur. Sed quis est qui hanc arduam uiam uel b intrare disponat? Angelum fortem quis aggreditur? aut quis, si aggreditur, perseuerat? Nec tamen sine discrimine colluctandi uidetur facies ueritatis et, nisi pauperis exilii amaritudo praecedat, Rachelis et Liae coniugatio non dulcescit nec subcrescit soboles numerosa, nisi in uirtutis baculo Iordanem labentium solitudo transierit; et in duabus turmis spiritualium et corporalium bonorum in patriam diues regreditur qui etiam inter cognatos exul in purae contemplationis et rectae operationis labore diutius sudauit. Qui uero alia uia philosophari nituntur, errant; et urgente fame primogenita distrahent, si tamen inuenerint germanum qui uel lenticulam sapientiae pretii nomine largiatur. Est c enim, ut fertur dixisse Aristippus, indulgere uitiis a legendi studio temperare.

Cap. 14. *De septima claue discentium.*

In libro Quintiliani de Institutione Oratoris septima discentium clauis ponitur amor docentium, quo praeceptores ut parentes amandi sunt et colendi. Sicut enim illi corporum, ita et isti quidem sunt genitores animorum; non quidem de se spiritus propagando substantiam, sed quasi sapientiam in auditorum mentibus gignunt in melius reformando naturam. Et haec quidem pietas studio plurimum confert; nam et libenter audiunt quos amant, et dictis credunt et eis esse similes concupiscunt, et pio faciente affectu in ipsos cetus scolarium leti alacresque conueniunt, d emendati non irascuntur, laudati non erubescunt, ut sint et ipsi carissimi studio merebuntur. Nam, ut doctorum offi-

2 agreditur S[1] 6 succrescit A 11 phylosophari M 26 impsos C: ipso M 28 karissimi CBASM

2 *Angelum fortem* etc.: Ad luctationem Iacob cum angelo Gen. xxxii. 24 seqq. respicit. 5 *Rachelis et Liae* etc.: v. Gen. xxix. 6, 7 *nisi in uirtutis baculo* etc.: v. Gen. xxxii. 10. 12 *germanum* etc.: v. Gen. xxv. 29 seqq. 13, 14 *Est enim* etc.: Hoc Aristippi dictum alibi reperire adhuc nequivi. 17 *In libro Quintiliani* etc.: v. Quintil. *Inst. Orat.* ii. 9. *septima*: id est, post sex illas quae enumerat Bernardus Carnotensis in versiculis supra (666 D) citatis. 20, 21 *non quidem* etc. usque ad *naturam*: Haec Quintiliani non sunt. 26 *scolarium*: *scholarum* Quintil.; cuius aetate posterius est vocabulum *scholaris*.

cium est docere, sic auditorum praebere se dociles; alioquin neutrum sine altero sufficit. Nam, sicut hominis ortus ex utroque gignentium est confectus, et frustra sparseris semina nisi ea praemollitus fouerit sulcus, ita eloquentia coalescere nequit nisi sociata tradentis accipientisque concordia. Haec quidem Quintilianus in praeceptis eloquentiae, sed nichilominus sunt ad institutionem sapientiae applicanda. Profecto nec eloquentia nisi praeceptis sapientiae comparatur, et in forum illorum qui aures audiendi habent non modo ridiculosus sed quodammodo uesanus irrumpit quemcumque philosophia ut loqueretur diligentius non instruxit. Septem alias claues, quas ad intelligentiam 671 a Scripturarum Ticonius posuit, in lucem proferet liber qui de Doctrina Christiana inscribitur; sed nequaquam istis obuiant, omnes potius uersantur in una istarum; eas namque studium quaerendi complectitur. Ceterum de traditione gentilium sermo fuerat institutus, ita tamen ut ad institutionem fidelium ex proposito referatur. Vna tamen est et singularis et quasi clauium clauis clauis illa quae aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, et sine qua ad intelligentiam ueri nullus accedit, quam quisquis non apprehendit aut non tenet, potius insanire crediderim quam philosophari.

Cap. 15. *In quo Epicurus et sui summum bonum constituant; et quod per labores multos itur ad uoluptates.* b

Multa quidem sunt et difficilia quibus philosophantium probatur uirtus, quia ad summum non est iter nisi per ardua. In spe tamen proficiendi omnia mansuescunt et, dum laboris pensatur utilitas, mens ad omnia roboratur.

---

1 se prebere A[1]M 2 *post* altero *add.* non CBA[1] 7, 8 aplicanda S[1] 8 *post* nec *add.* sapientiae M 11 phylosophia M 13 proferret M 21 *post* quisquis *add.* aut S[2] 23 phylosophari M 26 phylosophantium M

---

3 *est confectus*: *confertur* Quintil. 12 *Septem alias* etc.: v. Aug. *de Doctr. Christ.* iii. 30 § 42 (Migne *P. L.* xxxiv. 81). 14 *istis*: quas videlicet enumerat Bernardus Carnotensis. 19 *clauis illa quae aperit* etc.: v. Apoc. iii. 7.

Et quidem ad summum tendunt omnes sed uia dispari; nemo tamen, ut opinor, illuc sine labore pertingit aut tendit. Cum enim sint tres philosophantium sectae, quae et ipsae scinduntur in semitas multas, omnes etsi dissimiliter laborant tamen in assequendo finem quem statuunt. Siquidem Epicurus et totus grex sodalium eius uitam beatam asserit quae semper tanta iocunditate letatur ut
c tristitiae et perturbationis non interueniat uel tenuis motus. Vera quidem diffinitio est et qua nichil potest esse rotundius. Ab ea tamen plebs, quae eum sequitur, defluxit in uoluptates, reputans se earum usu beatissimam esse futuram. Michi tamen persuaderi nequit hoc aliquem hausisse de fonte Socratico, qui tantam morum docuit puritatem ut a posteris creditus sit non humanum modo sed diuinum spiritum habuisse. Sed, quia facile est aure uel ore insipientum dicta optima deprauari, ad compendium immunditiae tracta sunt quae uirtutis esse debuerant instrumentum. Caro siquidem opinata est (nam hoc utique cordatus homo non sentit) quod amore iocisque nil est iocundius, nil suauius parasitica uita aut eorum qui epulan-
d tur cotidie splendide, qui uino estuant, splendidis utuntur uestibus; denique omnia, quae mens lingua manus appetit, cogitare loqui et facere, et in nullo contraire sibi aut motum reprimere propriae uoluntatis, uitam esse hominis uera et summa felicitate gaudentis. Sed numquid huc sine labore uenitur? Quot obices, ne sic uiuatur, uarietas humanae sortis interiacit? Vt rebus namque utaris ad libitum, opulentia necessaria est; his enim egenus ita non utitur quia desunt, aut parcit saepe ne desint. Sed ponantur adesse; inter multos competitores et tanta currentes auiditate eas fortior asportabit. Viribus itaque

3 phylosophantium M 7 tanta semper M 10, 11 deflexit M 14 creditur M 16 insipientium A[1]M 26 Quod M 28, 29 non utitur ita C[1]A[1] 31 eos C[1]M

6 *Epicurus* etc.: Hanc sententiam Epicuri, haud tamen totidem verbis, saepe referunt Cic. et Sen. *grex*: cf. Hor. *Ep.* i. 4. 16 *Epicuri de grege porcum.* 19 *amore iocisque* etc.: v. Hor. *Ep.* i. 6. 65, 66. 20, 21 *epulantur cotidie splendide* etc.: v. Luc. xvi. 19. 21 *uino estuant*: v. Is. v. 11.

opus est ut seruentur. Exigitur ergo et potentia. Numquid haec gratis, id est sine labore et sollicitudine, adquiruntur? Sed in his contempni durum quidem est et 672 a intolerabile, eo quod amor commodi innatus est homini, ut etiam qui non agit ut bonus sit, bonus uideri uelit et in estimatione sui aliorum errare iudicia; nam ut bonus sit, non commodi quidem sed iusti amor efficiet. Quaeritur ergo reuerentia conuiuentium; sed haec ipsa, nisi famae beneficio protendatur, leuiter euanescit. At illa quae gloriam parit et prorogat, ex multis surgit articulis sed maxime a uirtutum exercitio conualescit. Patet ergo quam laboriosus sit transitus ad beatitudinem per uoluptates, quae sufficientiae causa diuitias congerunt, ut potentia nitantur amplitudines quaerunt, dignitates ad reuerentiam et fugam contemptus, et conciliandae celebritatis gratia adspirant ad gloriam. His tamen omnibus b non ea uita, quam Epicurus describit, adquiritur et quae tristitiae sit et totius perturbationis ignara; aut enim haec in unum quemlibet non concurrunt aut non conferunt quos pollicentur effectus; immo et saepissime, tamquam e regione consistant, quaerentium uotis contraria operantur. Si michi non credis, liber de Consolatione Philosophiae reuoluatur attentius et planum erit haec in contrarium cedere. Et licet liber ille Verbum non exprimat incarnatum, tamen apud eos qui ratione nituntur non mediocris auctoritate est, cum ad reprimendum quamlibet exulceratae mentis dolorem congrua cuique medicamenta conficiat. Nec Iudeus quidem nec Grecus sub praetextu religionis medicinae declinet usum, cum sapientibus in fide et in perfidia de- c sipientibus sic uiuidae rationis confectio artificiosa proficiat ut nulla religio quod miscet abhominari audeat, nisi qui rationis expers est. Sine difficultate profundus est in sententiis, in uerbis sine leuitate conspicuus, orator uehe-

---

3 contemni CB 22 phylosophiae M 26 quemlibet CBM
31 abominari B

---

26 *exulceratae mentis*: v. Petron. *Sat.* § 111. 32 *profundus est*: sc. Boethius, libri *de Consolatione Philosophiae* auctor.

mens, efficax demonstrator; ad id quod sequendum est nunc probabiliter suadens, nunc quasi stimulo necessitatis impellens. Si huic, ut necesse est, adquieueris, uidebis ista laboriose nimis quaeri ob aliud et id cuius gratia quaeruntur ex eis minime prouenire. Illud tamen, cuius quaeruntur gratia, uerius et compendiosius poterat inueniri, si non aliunde quam a se quaereretur. Sed iam fere malitia inualescente non quaeritur, sed neglectui ducitur
d prae istis etiam si occurrat. Nam cum omnia bona sapientiae accessoria sint ipsamque constet super salutem et omnem pulchritudinem appetendam, ipsa ceterorum collatione uilescit, et sola sunt accessoria eius in pretio. Quis enim philosophatur ut sapiat? Nam, ut rebus abundent aut temporaliter floreant, uidebis multos, etsi non philosophentur, tamen philosophos imitari. Ceterum facilius est ut diuitiae philosophantem impediant quam ut philosophiae quippiam conferant; Deo enim et Mamonae fideliter non seruitur. Ne uerearis ut quis patriam deserat, ut paupertatem spontaneam amplectatur, ut studio uacet; nam philosophia ipsa labor uidetur inutilis nisi fructus
673 a opulentiae consequatur. Alios ut sciant curiositas excitat; alios, ut scire uideantur, elationis stimulo uanitas urget; alios ad quaestum cupiditas inflammat. Rarus est qui caritatis aut humilitatis pede sapientiae uias scrutetur ut doceatur aut doceat. Nam ad immundae uoluptatis aut uanae utilitatis ineptias omnia referuntur; in his enim finis est animae aberrantis. Philosophia interim uiaticum est, paucorum tamen, quia alia uia longe uidetur esse

---

4, 5 queruntur gratia C^{2}ASM   5, 6 querunt A   11 pulcritudinem BAS   apetendam S   13 phylosophatur M   habundent SM   14, 15 phylosophentur M   15 phylosophos M   16 phylosophantem M   16, 17 phylosophiae M   17 mammone BA: mammonae M   20 nam] iam A^{2} phylosophia M   27 Phylosophia M

---

9 *omnia bona* etc.: v. Sap. vii. 11, 10, 9; neque Vulgatam neque ullam a Sabatier collatam versionem sequi videtur Ioannes noster aut hic aut supra iv. 6 ad fin. (526 c).   17 *Deo* etc.: v. Matt. vi. 24.

compendiosior; nam, ut dici solet, amor ingenii neminem umquam diuitem fecit.

Cap. 16. *De amore diuitiarum, et quod in eis anima non quiescit.*

Qui solas diuitias congerere curant, nichil in uita potius credi uolunt uia quam ceteris praetulerunt. Vt eis indigentia b expleatur, diuersa probantur a diuersis. Nullum graue periculum est, si spes dolosi nummi refulgeat. Ipsam fere naturam uincit amor pecuniae et res pene impossibiles ad possibilem redigit facultatem. Auaro nichil uile uidetur aut sordidum; et sibilante populo seipsum consolatur, immo et sibi applaudit simul ac nummos contemplatur in archa. Petronianum illud ingestum omnibus credas:

Quisquis habet nummos, secura nauiget aura
  fortunamque suo temperet arbitrio.
Vxorem ducat Danaen ipsumque licebit
  Acrisium iubeat credere quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
  et peragat causas, sitque Catone prior.
Iurisconsultus 'paret, non paret' habeto,
  atque esto quicquid Seruius et Labeo.
Multa loquor; quiduis nummis praesentibus opta, c
  et ueniet; clausum possidet archa Iouem.

Dum itaque quaestum faciat, nulla pars mundi uidetur inaccessibilis et ipsius torridae estum maior auaritiae ignis exuperat. Inde est quod:

Hic mutat merces surgente a sole ad eum quo
uespertina tepet regio.

Hic toto impetu fertur in hostem;
concurritur; horae
momento cita mors uenit aut uictoria leta;

alius superbis gaudet assidere liminibus ut ex familiaritate

1, 2 neminem umquam] nunquam hominem M 2 diuitem unquam B[1] 13 credas omnibus A[1] 16 danaan S[1] 17 danaan CBASM 18 declammet S 26 exsuperat S

---

1 *amor ingenii* etc.: Petron. *Sat.* 83. 8 *si spes* etc.: v. Pers. *Sat.* prol. 12. 11 *et sibilante* etc.: v. Hor. *Sat.* i. 1. 66, 67. 14 *Quisquis habet* etc.: Petron. *Sat.* 137. 27 *Hic mutat* etc.: Hor. *Sat.* i. 4. 29, 30. 29 *fertur in hostem*: Verg. *Georg.* iii. 236. 30 *concurritur* etc.: Hor. *Sat.* i. 1. 7, 8.

maiorum facilius ad opes quae desiderantur accedat. Si d potest, uersatur in aliquo ministerio; sin autem, sufficit uel in matricula curialium esse conscriptum; sola siquidem conscriptio quaestuosa est. Vt minimum locum parsimoniae facit, qua nullum uectigal utilius; suis enim commodissime parcit quem loculi exhibent alieni. Militatur in curia usque ad canos, immo et illos consumit curia. Vix est ut quem curia perduxit ad canos domum redeat uel exclusus. Si migrauerint, fame pereunt; quia, ut ait Sidonius, eos non tam bonus pascit quam panis alienus; suauior enim est et quiddam ab alieno innatae dulcedinis habet. Nescit uti suo qui semper abusus est alieno. Si honesta finiuntur officia, parasiti partes non erubescit explere uel mimi. Quae indigna patietur antequam exeat! Apud Virronem Trebium 674 a cogites discumbentem. Nam et huic idem propositum et semper eadem mens est

ut bona summa putet aliena uiuere quadra,

et ea patienti perferre animo

quae nec Sarmentus iniquas
Cesaris ad mensas nec uilis Galba tulisset.

Innumerabiles uiae sunt quibus palam aut clanculo properatur ad quaestum; et quem non subigit amor pecuniae, interdum superat cupiditas specierum. Equos, uestes, aues armatas, uenaticos canes, numerosos greges armentorum et

---

5 suis] si uis C comodissime S 14 uarronem CBA crebrium M 23, 24 armatas aues A[1]

---

4 *parsimoniae* etc.: v. Cic. *de Rep.* iv. 7 § 7 (ap. Non. p. 24) *Optimum autem et in priuatis familiis et in re publica uectigal duco esse parsimoniam.* Suspicor Ioannem, quem, ut supra dixi, librorum *de Republica* ipsorum non ignarum fuisse puto, non aliunde hanc sententiam desumpsisse; cf. Cic. *Parad.* vi. 3 § 49 *non intellegunt homines quam magnum uectigal sit parsimonia.* 6 *exhibent*: i. e. alunt, sustentant; ita enim vocabulo non raro utuntur iuris civilis auctores. Inde etiam hodie subsidia pecuniaria studiosis in universitatibus scholisque nostris praestita (Gallice *bourses*) nos *exhibitions* Anglice vocamus. 9, 10 *non tam bonus* etc.: Sidon. Apoll. *Ep.* iii. 13 § 3. 14 *Virronem*: v. Iuv. *Sat.* v. 39. *Trebium*: v. Iuv. *Sat.* v. 19. 16 *eadem mens est* etc.: v. Iuv. *Sat.* v. 1–4. 23 *specierum*: i. e. materiarum ipsarum; cf. Cod. Iust. xi. 9. 1 *Omnibus fabricis non pecunias pro speciebus, sed ipsas species sine delatione inferri praecipimus.*

pecorum, et uariam mundi supellectilem (quoniam per singula currere uires humanas excedit) plerique pecuniae praeferunt et totius hominis uires exhauriunt in adquirendis his aut tenendis. Nam in his duobus articulis furor b totius auaritiae constat quod immoderatius appetit aliena aut sua tenacius seruat; et quidem immoderatius appetit quisquis quod deest, legem necessitatis excedens et usus, exposcit. Tenentur quoque auidius quae usui subtrahuntur. Ea uero, quae sine usu possessoribus elabuntur, inutilia sibi esse quis dubitat? Auaritiam uel ex eo non modo fugiendam sed detestandam constat quod a celestibus procul sectatores suos, a consortio diuinitatis et usu celestis beatitudinis, remouet et elongat. Omnia siquidem, quo celestibus uiciniora sunt, minus cupiunt et congregant pauciora. Volatilia celi neque serunt neque metunt neque nent neque congregant in horreis nec penum construunt sed omnem c excludunt sollicitudinem crastini. E contra mures et reptilia congerunt in futurum; et generationes perhibentur esse quibus terra est in cibum; et eodem parce uiuunt, timentes ne quando eis terra deficiat, in quam tamen ipsae proculdubio resoluentur. Sentiat unusquisque quod uult, ego auarum posse fieri compotem uoti non credo, nisi forte et Epicurus famelicum et siti aridum et languentem plenae uoluptatis iocunditate frui consentiat. Siquidem uterque famelicus est, sed perniciosius esurit auarus qui semper indiget et satiari non potest. Maior enim est hiatus mentis quam corporis; et, nisi seipsum Deus infundat, omnino nequit impleri. Nam, cum natura spiritualis uirtute propria sic corporalia comprehendat ut nulla quantitate distendatur, d nec res una loco praeoccupato alterius impedimento sit quo

1 suppellectilem A 13 quo] quod CBAS 19 eadem A[1]: eedem A[2]SM[2]: eidem M[1] 28 nequid A

14, 15 *Volatilia celi* etc.: v. Matt. vi. 26. 17 *sollicitudinem crastini*: v. Matt. vi. 34. 19 *eodem*: sc. *cibo*. 28 *Nam, cum natura spiritualis* etc.: cf. Aug. *de Gen. ad Litt.* xii. c. 23; *contra Ep. Manich.* c. 17; *de Anima et eius Orig.* iv. 17 § 25 (Migne *P. L.* xxxiv. 473 seq., xlii. 185 seq., xliv. 539).

minus illa comprehendatur, et quo plura concipiuntur, eo pluribus locus est, luce clarius est quia res corporalis animam, quae spiritus est, implere non potest; totus enim mundus angustus est ad animae quantitatem. Ex quo patet quod in eo toto anima non quiescit, nisi forte in angusto clausum ergastulo spinis subpositis incubantem Epicurus quiescere molliter opinatur.

Cap. 17. *De ambitione, et quod cupiditas stultitiam comitatur; et quis sit ortus tirannidis; et de diuersis uiis ambitiosorum.*

Declinare nituntur aliqui etsi non maculam, odibilem tamen auaritiae notam; nam et ab alienis uidentur absti-
675 a nere et suis, cum res exposcit, libere uti parati sunt. Eis tamen de fonte malorum oritur alicuius uitii uena quae semitas eorum a tramite uerae felicitatis deflectat. Sicut enim in orto deliciarum de uno fonte oriuntur flumina quae fecundant suauissimi odoris agrum cui Dominus benedixit, sic in loco horroris et uastae solitudinis, in terra scilicet obliuionis quam illi inhabitant qui sui obliuiscuntur in mundo uelud stupidus ludorum uanitate captus in theatro, quasi de fonte uno omnium pullulant capita uitiorum. Hic autem puteus cupiditatis est; eam uero sic patrum diffinit auctoritas ut dicatur cupiditas esse amor eorum quae quis amittere potest inuitus. Sociatur ei stultitia comes, suadens id amari et quaeri quod teneri non potest; et est stultitia
b eorum quae scienda sunt uitiosa ignorantia. Sic eam liber

---

3 enim *om.* M 6 suppositis BA 20 uelut AM 21 capita pullulant M 25 id *om.* M

---

4 *animae quantitatem*: De quantitate animae opus confecit Augustinus: v. Migne *P. L.* xxxii. 1035 seqq. 15, 16 *Sicut enim* etc.: v. Gen. ii. 10. 16 *deliciarum*: v. Ezech. xxviii. 13. 17 *odoris* etc.: v. Gen. xxvii. 27. 18 *in loco* etc.: Deut. xxxii. 10. 18, 19 *in terra obliuionis*: Ps. lxxxvii. 13. 23 *cupiditas* etc.: v. Aug. *de Lib. Arb.* i. 5 § 10 (Migne *P. L.* xxxii. 1227). 25, 26 *stultitia eorum* etc.: v. Aug. de *Lib. Arb.* iii. 24 § 71 (Migne *P. L.* xxxii. 1306); quem locum tamen parum accurate citat Ioannes; ait enim Augustinus: ***Est enim stultitia rerum appetendarum et uitandarum non quaelibet sed uitiosa ignorantia.***

magni Augustini de Libero Arbitrio pingit. Si enim nesciatur quod sciri non potest, in nomen stultitiae minime cadit; at, cum sui ignorantia quis tenetur, transit ad stultos. Si in bonis quae minora patenter sunt maioribus praefert, stulte iudicat; si uitia sequens partem suam deteriorem faciat, stultitiae maledictione dampnatur; si ergo error fuerit cupiditate succensus, praecipitii multiplex uia patet, cum ab errore sit ut homo quid sit sequendum ignoret et ipsum in inuio abeuntem fornax cupiditatis inflammet. Et quidem adhuc praeualent uerba iniquorum, dum homo, propriae cognitionis ignarus et debitae subiectionis detrectans iugum, fictitiam quandam affectat liber- c tatem ut possit uiuere sine metu et impune quod uoluerit facere et quodammodo iam esse sicut Deus; non tamen quod diuinam uelit imitari bonitatem, sed Deum dando impunitatem malis ad suam uult malitiam inclinari. De radice ergo superbiae surrepit ambitio, potentiae scilicet cupiditas et honoris, ut hinc uires habeat ne prematur, hinc proueniat reuerentia ne uilescat. Nemo enim est qui non gaudeat libertate et qui uires, quibus eam tueatur, non optet; nichil est quod non in permutationem eius ueniat, si locus assit. Seruitus enim quaedam imago mortis est et libertas securitas uitae. Inde est quod ad conciliandam potentiam effundun- d tur opes; et quanto quis potentiae cupidior est, tanto eas facilius expendit. Cum uero potentiam nactus est, erigitur in tirannidem et aequitate contempta naturae et conditionis consortes inspiciente Deo deprimere non ueretur. Et, licet omnes occupare non possint principatus et regna, a tirannide tamen omnino immunis est aut nullus aut rarus. Dicitur autem quia tirannus est qui uiolenta dominatione populum premit; sed tamen non modo in populo sed in quantauis paucitate potest quisque suam tirannidem exercere. Nam

15, 16 impunitatem dando A[1] 20 *post* nichil *add.* enim BA 21 assit locus A[1] 26 tyrannidem CB 30 tyrannus CBA 31 modo *om.* M *post* populo *add.* tantum M

10 *praeualent uerba iniquorum*: v. Ps. lxiv. 4. 14 *esse sicut Deus*: cf. Gen. iii. 5.

etsi non populo, tamen quatenus quisque potest dominatur. Non enim de his institutus est sermo qui sunt omnino animi defecati et subiectione continua gaudentes alicui in uita 676 a praeesse refugiunt; uita potius politicorum excutienda est. Quem michi dabis inter illos qui non uelit uel unum potentia anteire? Quis est qui nolit sibi ius esse in aliquem? Quis est qui sic subditum tractet sicut se uellet tractari si subderetur? Dum ergo ambitio inualescit, calcata aequitate procedit iniustitia et, tirannidis procurans ortum, omnia quibus illa crescit exequitur. Qui ergo suis non preualet uiribus, nititur alienis. Est uidere quamplurimos aucupes potestatum, honorum procos, adherere potentibus, se rei publicae muniis immiscere, temptantes uiam qua se possint e latere uel ex aduerso in altum tollere, quo prae aliis possint aut saltem posse ratione consortii uideantur. Effundunt b patrimonia, labores immensos aggrediuntur et perferunt; instare obsequiis et blanditiis sollicitare quos captant non uerentur. Nullum ergo officium gratuitum est, non dux aut iudex, centurio aut decanus, sed nec praeco nec caupo nisi ad pretium fiet. At haec in prophanis tolerabilia, dum quae publica sunt ambitio non corrumpat; nam quaecumque publica sunt, pietati debent et fidei consecrari; ceterum haec ambitiosiora sunt et uix aut numquam gratis in aliquem cadunt. Sed poterunt de his quae sunt ab Institutione Traiani superius dicta sufficere. Domesticas calamitates et thalamum sapientiae expositum fornicatoribus et sanctuarii interioris recessum in prostibulum permutatum sine gemitu et lacrimis nequeo deplorare. Domus namque c orationis negotiationis, Domino prohibente, facta est domus; et templum fundatum in lapide adiutorii in latronum speluncam uersum est. Siquidem Ecclesia data est in direptionem aliis palam, aliis clam occupantibus eam; nam

16 agrediuntur CBS

10 *illa*: i. e. tyrannis. 13 *temptantes uiam* etc.: v. Verg. *Georg.* iii. 8, 9. 14 *possint* etc.: cf. Verg. *Aen.* v. 231. 25 *superius*: in libro quinto. 28 *Domus* etc.: v. Matt. xxi. 13; Ioann. ii. 16; cf. Grat. *Decr.* II. 16. q. 7 ad init. (ed. Friedberg i. p. 800). 30 *in lapide adiutorii*: v. 1 Reg. vii. 12; cf. Act. App. iv. 11.

et ipsa occupanti conceditur eo forte quod in nullius bonis
est. Non est enim inuentus nisi perrarus qui accingatur
gladio super femur suum ad praesumptionem ambitionis
reprimendam. Illa namque machinas multiplices erigit, ut
eam expugnet nemine defendente. Alius enim de nobilitate
confisus aut uiribus potestatum uiolenter in sancta irruit et,
si forte pulsat ad hostium, parietem aut limina suffodere
non ueretur. Nam et seditionem concitabit in Moysen et d
alienum ignem in templum inferet et uasa sanctuarii con-
taminabit. Alius, sperans in multitudine diuitiarum, Simone
ducente ingreditur, non inueniens ibi qui eum et pecuniam
suam ire iubeat in perditionem. Alius in muneribus ad
Petrum reformidat accedere; clanculo tamen per impluuium
auri ac si per tegulas Iupiter illabatur in gremium Danes,
sic in sinum Ecclesiae procus descendit incestus. Alius
obsequio quasi muneris ignarus adest, ac si obsequia non
cedant in muneris rationem; profecto nullum maius est
munus quam cum homo seipsum hominis deuouet seruituti.
Alium collusione quadam uocantis liberalitas praeuenit;
sed postmodum collatam gratiam suo Giezi plenius compen-
sabit. Alius agit ne ipsum pulsare oporteat, sed ad ingre- 677 a
diendum compellatur inuitus et quasi obnubilans lucernam
Dei ut eum impune irrideat fraudulentus. Diu siquidem
alius simulauit; ambitionem namque multis indiciis prodi-

---

2 accingatur qui A^{1} 7 ostium A^{2}M 8 moisen S 9 inferret C^{1} 10 symone M 12 iubeat ire M 14 elabatur M

1, 2 *in nullius bonis est*: v. *Instit.* ii. 1 § 7. 2, 3 *accingatur gladio super femur suum*: v. Ps. xliv. 4. 5 *eam*: sc. Ecclesiam. 7 *pulsat ad hostium*: v. supra v. 9 (561 A) et commentarium nostrum ad loc. 8 *seditionem* etc.: v. Lev. x. 1 seqq. 10 *sperans in multitudine diuitiarum*: v. Ps. li. 9. *Simone* etc.: v. Act. App. viii. 18 seqq.; cf. Grat. *Decr.* II. 1. q. 1. c. 11 (ed. Friedberg i. p. 361). 13 *Petrum*: scilicet qui Simonem Magum iussit ire in perditionem. *clanculo* etc.: v. Ter. *Eun.* iii. 5. 41 seqq. 15, 16 *Alius obsequio* etc.: cf. Greg. M. *Hom. in Evang.* iv. § 4 (Migne *P. L.* lxxvi. 1091, 1092); ap. Ivon. Carnot. *Decr.* v. 86 (Migne *P. L.* clxi. 353) et Grat. *Decr.* II. 1. q. 1. c. 114 (ed. Friedberg i. pp. 402, 403). 19 *uocantis*: i.e. munus ecclesiasticum offerentis. 20 *Giezi*: v. 4 Reg. v. 20 seqq.; de Giezi ut simoniae exemplo v. Grat. *Decr.* II. 1. q. 1. c. 11 (ed. Friedberg i. 361). 22, 23 *lucernam Dei*: v. 1 Reg. iii. 3. 23 *eum*: i.e. Deum.

dit et se diuitem potentem insignem uelle fieri confessus est, sed alia uia, sed in alio statu, sed in minori periculo, maiori libertate. Voluit esse nobilis inter laicos aut certe magnus in clero. Ob hoc principum uirorum quaesiuit gratiam, familiaritatem iniit, ab eis quascumque suscepit functiones. Scriniis forte praelatus est aut consignandi suscepit officium aut cimilii custodiam aut publici claues erarii aut ratiocinii uarias cautiones aut, si quid aliud nequit, ut corbibus praeficeretur optinuit; non tamen quod ad eum pertineat de egenis aut de pauperibus curam gerat, sed quia
b fur est et loculos habet, quos auaritia soluit ad tempus ut sub imagine pietatis eos sacrilegus farciat et de mendicitate et morte egentium priuatas sibi diuitias paret. Si enim uerae compassionis moueretur affectu, sua fidelius et utilius pauperibus erogaret quam ad dispensationem alieni mercator impurus accederet. Iam palam emuntur omnia, nisi modestia uenditoris impediat. Adeo enim sacris altaribus auaritiae prophanus imminet ardor ut haec omnia quasi quaedam parodica praeemantur et, quia per se non ueniunt in commercium, licite et iuste creduntur adquiri si praeempta fuerint aut coempta. Quid enim? Numquid in forum
c approbante praetore non ueniunt quae iure antiquo sic possidentur a laicis ut transeant ad heredes et titulo donationis aut permutationis alienentur ab eis? Ius ergo aduocationis aut patronatus ecclesiae quid prohibet distrahi?

3 maiore SM 9 obtinuit M 12 ymagine M 13 *post* et *add.* de M 22 aprobante S

4 *clero*: in quo comprehendi solent omnes qui tonsuram acceperunt, etsi sacris ordinibus non sunt induti; unde hoc loco de eis dici videtur qui gradum sacerdotio inferiorem obtinuerunt. 9 *corbibus*: i. e., ut in sequentibus patet, largitionibus eleemosynariis. 9 *non tamen quod* etc.: v. Ioann. xii. 6. 19 *parodica*: Hoc vocabulum apud Lexica linguae Latinae deest; ita *ζωὴν παροδικήν* opp. *ἱδρυμένῃ* habet Basilius *Hom. in Ps. xiv.* i. c. 1 (Migne *Patrol. Gr.* xxix. 252); quod vero apud scriptores ecclesiasticos Latine *transitorium*, id Graece *παροδικόν* dicitur. Hic potius dicitur de rebus quae aliis annexae sint ideoque cum iis in commercium venire possint. 22 *quae iure antiquo* etc.: cf. Hostiensis *Summ. Aur.* iii. *de iure patronatus* (ed. Lugd. 1597 p. 221) *Qualiter transferatur scilicet ius patronatus, patet his uersibus*: *Iura patronatus transire facit nouus haeres, Res permutata, donatio, uenditio*; insequuntur loci utriusque iuris ubi de eadem re agitur. 25 *distrahi*: v. Ivon. Carnot. *Decr.* iii. 46 (Migne *P. L.* clxi. 207), *Decretal.* iii. 28. cc. 1–3 (ed. Friedberg. ii. 164

Nam quod beatus Ambrosius heresim simoniacam committi dicit in talibus, prouinciale decretum interpretantur esse et quod in sola Ithalia et inter Lumbardos debeat optinere. At constitutio apostolica inhibens ne illi qui, dum ecclesias ambiunt, quo facilius subintrent, ius aduocationis quaerunt, admittantur in ecclesias quarum aduocatio fraude quaesita est, ad timorem dictum referunt et nequaquam esse perpetuum sed pro loco et tempore dispensandum; ut enim ait beatus Cirillus in epistola Ephesinae sinodi, dispensationis d modus nulli umquam displicuit sapientum. Si dispensationis modum quaeris, probabilis quidem est si erga diuites, erga nobiles, erga potentes aut curiales rigor canonum temperatur. Nam de moribus ultima fiet mentio; et istis lex canonum nequaquam posita est. Iustitiae si quidem liberi sunt et eo ducuntur spiritu ut necesse non habeant esse sub lege. Statuat ergo lex quod placuit latori; nam isti, priuilegii principalis gaudentes beneficio, quicquid ambiunt sibi competere opinantur. Episcopos ad prima beneficia obligant et de futura successione pacisci non

1 symoniacam M 3 italia AM 9 ephenisse B synodi M 10 sapientium M 11 est quidem M 14 si *om.* M 19 pascisci B¹AM

609), ubi citatur (ut concilii Mediolanensis) canon quidam conc. Cabilonensis a. 813 habiti (Mansi xiv. 98): *ecclesia inter haeredes patroni diuidi non debet.* 1 *Ambrosius*: Videtur respicere ad quendam concilii Toletani VIII anno 653 habiti canonem, quem Gratianus *Decr.* II. 1. q. 1. c. 7 ut ex Ambrosii libro pastorali citat; v. Friedberg i. p. 359. Hinc colligi potest Gratiani *Decreto* usum esse Ioannem nostrum. 4 *constitutio apostolica*: Hanc constitutionem adhuc nusquam inveni; cf. tamen *Decretal.* iii. 38 c 6 (ed. Friedberg ii. 611); v. infra ad c. 21 (694 D). 8, 9 *ut enim ait* etc.: Nihil huiusmodi in epistolis a S. Cyrillo ad Nestorium nomine concilii oecumenici Ephesi anno 431 habiti missis reperire potui. Quod tamen de dispensatione Cyrillus in epistola synodi Ephesinae asserere potuit, hoc ad οἰκονομίαν, quae Latine *dispensatio* dici solebat, id est ad Dei Filii incarnationem, cuius de modo apud patres istius synodi acta est quaestio, non dubium est quin referri oporteat. Nec putandum est Ioannem nostrum male de legibus relaxandis vocabulo isto intellexisse; sed potius eos irridet qui ita eo in sui excusationem abuti non dubitaverunt. Cf. Cyrill. *Schol. de Incarn. Vnigeniti* (quae Latine vertit Marius Mercator) c. 26 (Migne *P. L.* xlviii. 1029) *Verum quoniam Dei Verbum iuxta nos factum esse affirmamus* etc. . . . *quid absurdum est uel quod credi non debeat?* 13 *de moribus ultima fiet mentio*: v. Iuv. *Sat.* iii. 140, 141 *de moribus ultima fiet Quaestio.* 17 *priuilegii principalis*: Respicit ad *Instit.* i. 2. 6, *Dig.* i. 4. 1 *Quod principi placuit, legis habet uigorem.*

uerentur. Restat itaque ut tristi pactio repleatur euentu
678 a et illius quisque animetur et armetur in necem cuius ambit successionem. Si enim cedere moretur, aduersantur, uexant et multipliciter concutiunt possessorem; possessio namque parit aduersarium actioni in rem. Si uero quispiam praelatorum suae conditionis memor eis pro uoto non obaudierit, amaras ilico audit historias, eo quod indignum et contumeliosum omnino reputant, si turpis et inhonesta petitio repulsam alicubi patiatur. Interim ergo alarum suarum feruntur remigio, nidificant in prouinciis singulis, uix quot nidos habeant uel ipsi sciunt, diurna ad peragrandas alicuius orbis plagas eis praeparantur hospitia, et in tanto numero uix hospitiolo uno donatur horridulus comes; nam, si quis hoc fecit, probatae liberalitatis est. Vtique et insignis prudentiae si quis tot quocumque modo conquirit altaria ut
b quasi ritu Memphitico cotidianas hostias nouis possit altaribus immolare. Nolunt tamen sacerdotio onerari aut seruire altario qui de altario uiuunt ne (ut populus arguit) dicam luxuriantur, sed personatus quosdam introduxerunt quorum iure ad alium onera, ad alium referuntur emolumenta. Et, cum Apostolus dicat: Qui non laborat, non manducet; qui minimum meretur, plus percipit, et in labores alienos otiosus aut flagitiosus ingreditur. Quis ergo dicat in hac emenda licentia, cum non res sacra sit sed prophana, simoniam posse committi? Huc enim, ut uulgo dici solet, per argenteum pontem transitur a sordibus quae transeuntem uel ponte
c aureo prosequuntur.

1 utique M 16 cottidianas A[1] nouis hostias A[1] 24 symoniam M 27 prosequentur M[1]

4 *possessio* etc.: v. *Dig.* xliv. 7. 25 *In rem actio est per quam rem nostram quae ab alio possidetur petimus; et semper aduersus eum est, qui rem possidet.* 7 *amaras* etc.: v. Hor. *Sat.* i. 3. 88, 89. 9, 10 *alarum remigio*: v. Verg. *Aen.* i. 301. 13 *donatur horridulus comes*: v. Pers. *Sat.* i. 54. 14 *hoc fecit*: i. e. hospitiolo horridulum comitem donavit. 16 *ritu Memphitico*: Quo respiciat nescio; nisi forte *Moabitico* legamus et de Num. xxiii. 1, 14, 29 intellegamus. 17 *seruire* etc.: v. 1 Cor. ix. 13, 14. 19 *personatus*: i. e. beneficia ecclesiastica; v. Ducange ed. 1886 vi. pp. 284, 285. 21 *Qui non laborat* etc.: v. 2 Thess. iii. 10. 25, 26 *per argenteum pontem*: Proverbium de *ponte argenteo* in usum hostis fugati muniendo citatum apud auctores saec. xvi invenies; v. Brantôme *Œuvres Complètes* ii. p. 83, Cervantes *Don Quixote* ii. 58 sub fin.; cf. Manuzzi *Vocab. della Lingua Italiana* iii. 526.

Cap. 18. *Quod ambitiosi dissimulant se uelle quod maxime appetunt, et quibus excusationibus propositum tegant.*

Sed ecce ad aliquem istorum promouendum aut cogitur aut circumuenitur Ecclesia ut dicat hosti domestico: Amice, ascende superius. Stupidi itaque obstupescunt, nomen dignitatis abhorrent, refugiunt onus et, ut auidius impellantur, more (ut dicitur) arietis ut fortius feriat recedentis, cum suspiriis gemitibus et singultibus interrumpentibus simulatas lacrimas retrocedunt. Notum siquidem est quia sedes haec trahit et impellit inuitos et quos notat ambitio repellit. Nituntur ergo rationibus et auctoritatibus docere quare eos episcopari non deceat. Non sum, inquit, medicus, d et in domo mea non est panis; nec penes me thesauri sunt unde in necessitatis articulo noua et uetera indigentibus proferam. Possum utique uti excusatione prophetica quoniam loqui nescio et quia puer ego sum, etsi non etate, reuera scientia et leuitate morum. Sordidis uestibus ab initio indutus sum et eas numquam sanguine Agni aut uestibus studui dealbare. Quomodo ergo sancta tractabo pollutus aut, quod sacerdotem oportet, polluta mundabo? Nam legem indesinenter contempsi et sancta Dei, increpante Iezechiele, polluere non cessaui. Mea ergo promotio populi deiectio est. Ruina siquidem populi sacerdotes mali; facti sunt enim in laqueum populi, existentes in specula et sicut 679 a rete extensum ad inuoluendas animas. Terret me Aggeus parabola mistica sacerdotii periculum exprimens et manifeste docens quia populus a sacerdotum moribus facilius uitia

9 retrocedent C²BA¹M 15 itaque M 17 morum leuitate A¹
22 ezechiele A²

4, 5 *Amice, ascende superius*: Luc. xiv. 10. 12 *Non sum medicus* etc.: Isa. iii. 7. 13 *thesauri* etc.: v. Matt. xiii. 52. 16 *loqui nescio* etc.: v. Ierem. i. 6. 17 *Sordidis uestibus* etc.: v. Zach. iii. 3. 18 *sanguine Agni* etc.: v. Apoc. vii. 14; cf. vi. 11, xix. 13, 14. 21 *legem* etc.: v. Ezech. xxii. 26. *sancta*: *sanctuaria* Vulg.; *sancta* citat Sabatier ad loc. e *Gestis Collationis Carthaginensis* (Migne *P. L.* xi. 1410). 23, 24 *facti sunt* etc.: v. Os. v. 1. 25 *Terret me Aggeus*: Greg. Naz. *Or.* ii. § 57 (v. infra ad 680 B) ἀλλά μοι πολὺν ἐπανατείνεται φόβον ὁ μακάριος Ὡσηέ; sequitur Os. v. 1. Aggaei verba iam § 11 citauerat Greg.

contrahit quam uirtutes. Interroga, inquit, sacerdotes legem, et dic eis: Si caro sancta uel uas sanctum contigerit alicuius uestimentum, si sanctificat eum ex eo quod contingit? Et, cum dixissent sacerdotes quia non sanctificat, dixit ad eos rursum: Si immunditia contigerit uestimentum mundi, utrum polluat eum? Et dixerunt quia polluit. Tolerabilius ergo est me unum propriis consumi uitiis quam in multos uitiorum diffundi pestem. Ad haec si persona esset usquequaque laudabilis, si non essem curiae nexibus illigatus, me Micheas durissime repellit ab aditu, non ferens **b** Syon edificari in sanguinibus et Ierusalem in iniquitate principum suorum. Hic aut nulla est aut compulsa aut simulata electio. Hanc quoque partem protensa disputatione prosequitur. Postremo se promoueri non posse sine suspicione simoniacae prauitatis, cum ob hoc ius et auctoritatem sigilli aut cimilii aut scrinii emisse uideatur, licet alia mente ad obsequium potestatis, sicut praesens testatur dies qua delatum honorem respuit, teste conscientia accesserit, affectans ut per hoc sine onere sortiretur honorem. Apostolicas quoque sanctiones replicat et reuoluit quibus pridem statutum est ut a sacris ordinibus et omni promotionis spe arceantur qui cuiuslibet secularis curiae emunt officia aut qui uiles aut seruiles obsecundationes **c** principibus praestant aut quorum electio non est a clero in ecclesia et sine praenominatione cuiusque mundanae potestatis canonice celebrata; quos, si aliter electi fuerint, sub periculo anathematis uniuersalis Ecclesia prohibet consecrari. Vnus principum nostrorum (nominis siquidem immemor sum) in causa simili egregium facinus egisse memoratur. Henricus fuit an Rodbertus non multum refert. Cum

1 contrait BS 2 caro sancta] sacrosancta M 5 dixit] dic M 11 sion A[1]S iherusalem S 15 symoniacae M ob] ab A[1] 16 cimilii] emilii M 20 honere B[1]A[1] 30 Robertus BASM

1 *Interroga* etc.: v. Agg. ii. 12–14. 10 *non ferens* etc.: Greg. Naz. *Or.* ii. § 58 (v. infra ad 680 B) ὁ θεῖος Μιχαίας οὐ φέρων οἰκοδομουμένην Σιὼν κ.τ.λ. 11 *Syon* etc.: v. Mich. iii. 10. 23 *uiles aut seruiles obsecundationes*: cf. Cod. Iust. x. 31. 34. 30 *Henricus fuit an Rodbertus*: Ad filios Willelmi Conquestoris, scilicet Robertum ducem Normannorum et Henricum I Anglorum regem, respicere videtur.

ambitiosus quidam monachus ad abbatiam, quam praeemerat, uocaretur et ille modestiam simulans ut auidius peteretur, onus refugeret, recusaret honorem et se palam tantae rei fateretur indignum; Plane, inquit princeps, indignus es, quia eam clam data michi tanta pecunia (summamque d expressit) emisti. Sed, quandoquidem per me non stat quo minus pactio impleatur, liberum me haberi iustum est; et tu domum redeas, et qui dignus est destitutae praeficiatur ecclesiae. Sed nunc longe aliter succedit excusatori ambitioso; haec enim et alia quam plura multiplicat ut credatur nolle quod appetit et tandem gratis accipere quod praeemit. Vnde tamquam uir modestiae singularis capitur, trahitur et ad cathedram conclamantibus turbis, concinentibus choris, multitudine pressus deducitur. Nec prodest ignobilitatem praetendisse carnis aut sanguinis, eo quod imperatori non quaeritur successor sed piscatori; fabri Filio, non Augusto. Scientiam accurata excusatio prodit et religiosus esse conuincitur ex eo quod inuitatus ascendere diutius recusauit; 680 a uisus est enim noluisse qui distulit. Quae uero de canonibus sibi opposuit, habita ratione loci temporis et personae, simili uia tendentium ad honores socia multitudo dispensat. Si de praesentibus niti nequeunt aut praeteritis, futurum uaticinantur profectum. Sic callidus mango, dum qui durius prouehit equum aut pullum probitatis incognitae gradarium promittit in futurum et fractis gressibus mollius incedentem propensiori laude in stabulum incauti mercatoris extrudit.

Cap. 19. *De his qui impudentius irruunt, sine dissimulatione ambitionis, quos neque ratio nec auctoritas reprimere potest.*

Consistunt e regione quam plurimi nequaquam dissimulantes propositum sed ambitionis quasi (ut dici solet) b

---

17 acurata CBSM   20 et persone temporis C[1]: persone et temporis A *marg.*

---

16 *piscatori*: sc. Petro. *fabri Filio*: sc. Christo. 23 *mango*: Hoc vocabulum de servorum venditoribus saepius usurpatum ad mercaturam iumentariam transferre videtur Suet. *Vesp.* 4.

insignia praeconantes praedictorum derident ignauiam uelut militum qui militiae suae titulos non audeant profiteri. Hi, licet impuri sint et nec uitam suam uelint erigere nec sciant instruere alienam, immundis, ut dicitur, pedibus certatim irrumpunt in sancta sanctorum, panes Dominicae propositionis et carnes Agni immaculati assas igne passionis in cruce non modo illotis sed pollutis (si liceat) manibus tractaturi. Hi sunt qui, licet primo aditu ac ianuis habeantur indigni, continuo tamen tendunt ad sacerdotium, festinant ad tribunal et, repulsis ceteris, sic sacris altaribus incubant ut iam non ad formam et exemplum c praebendum plebi ordo ille uideatur institutus sed esse occasio quaedam in abundantia et securitate uiuendi. Nec putatur officium districto iudicio Dei obnoxium sed secura quaedam et nusquam discutienda administratio. Credas illud poeticum uoce praeconis omnibus sonuisse:

Occupet extremum scabies.

Inde est quod omnes quasi in stadii agone contendunt, anelantibus singulis ne episcopatum accipiat alter. Votis ergo, etsi non re, plures numero sunt rectores quam illi quos regunt. Nam qui regi uelint perpauci sunt, cum quisque ut emancipetur a iugo rectoris proprii totis uiribus quaerat.

---

9 *om.* tamen C²AM 13 habundantia A¹S 19 anhelantibus M

---

1 *insignia praeconantes*: Anglice, *blowing their own trumpet.* 3 *Hi, licet* etc. usque ad *administratio*: v. Greg. Naz. *Or.* ii. § 8 (Migne *Patrol. Gr.* xxxv. 416, 417); quo interprete Gregorium legerit Ioannes noster, nescio; nam Orationem hanc inter opuscula a Rufino Latine versa haud reperies. In vestigia eiusdem Orationis etiam in cap. praecedente incidi; v. supra ad c. 18 (679 A). 5 *sancta sanctorum*: Mensa tamen panum propositionis non in *sanctis sanctorum* sed tantum in *sanctis* posita est; v. Hebr. ix. 2, 3. 5, 6 *panes Dominicae propositionis*: v. Exod. xxv. 30 alibi; cf. 1 Reg. xxi. 6. 6 *Agni immaculati*: v. 1 Petr. i. 10. 6, 7 *assas igne*: Sic paschalis agni carnes edere iussi sunt Israelitae Exod. xii. 8. 7 *passionis*: cf. Greg. M. *Hom. in Evang.* xxii. 7 (Migne *P. L.* lxxvi. 1178). *illotis*: v. Marc. vii. 2. 10 *tribunal*: Hoc vocabulum aut de pulpito (Gallice *tribune*) aut de sacrario intellegi potest; v. Du Cange sub voc.; hic autem de sacrario accipi debet: v. Greg. Naz. loc. cit. *μεταποιοῦνται τοῦ βήματος.* 11 *formam et exemplum* etc.: v. Tit. ii. 7; 1 Petr. v. 3. 17 *Occupet* etc.: Hor. *A. P.* 417. 19 *Votis* etc. usque ad *regunt*: v. Greg. Naz. loc. supra cit.

Priuilegio siquidem apostolico aut regio praecepto plurimi tuti sunt ne iudicibus suis obtemperent, ne iustitiam faciant, ne legi Dei subiecti sint. Non reprehendo clementiam d Apostolicae Sedis sed hanc indulgentiam eius Ecclesiae Dei non arbitror expedire. Nichil tale in illa gloriosa familia Christi legimus, licet et in illis contentio facta sit quis eorum uideretur esse maior. Nullam emancipationem huiusmodi ab Apostolis factam meminimus, licet Paulum et Barnabam audierimus ab inuicem discessisse. Nullam in illa superna ciuitate, quae sursum est mater nostra, contradictionis materiam credimus, sed nec hic esse debere, nisi urgentissima ratio flagitet. De his enim (ut pace multitudinis et eorum qui illius fouent iniquitatem loquar) dicam quod sentio, ne quid subtraham ueritati aut probabilitati. Dico ergo quod indubitanter credo quoniam hi, qui efferente superbia huiusmodi emancipationes quaerunt, 681 a a ceruice sua iugum Christi et Patris eius, si fieri posset, excuterent; plus dico, immo et quantum in ipsis est excutiunt, et diuinae ordinationi fallaciter contradicunt. Nusquam ergo illud Apostoli: Non omnes prophetae, non omnes magistri; omnes enim prophetae et magistri sunt, ita ut secundum antiquum prouerbium merito dicatur quod et Saul inter prophetas; et reuera, sicut ait Gregorius Nazanzenus, nulla historia tradidit uel tantum in Ecclesia fuisse numerum ministrorum uel tam uiliter congregatum; unde religioni et doctrinae Christianae graue opprobrium nascitur, quod sacerdotia uel ministeria ambitione potius et

---

14 subtraam A 15 hii A 18 est in ipsis M 24 hystoria B *post* uel *add.* in M[1] *Cyr.* 26 obprobrium SM

---

1 *Priuilegio* etc.: Chartae quibus ab episcoporum iurisdictione exempta sunt monasteria, si a pontificibus Romanis concedebantur, *priuilegia apostolica*, si autem a regibus, *praecepta* nuncupari solebant; v. Mabillon *de Re Diplomatica* i. 3 §§ 3–5; cf. ibid. i. 2 § 3. 3 *legi* etc.: v. Rom. viii. 7. 6 *contentio* etc.: v. Luc. xxii. 24. 8 *Paulum* etc.: v. Act. App. xv. 39. 10 *quae sursum est mater nostra*: v. Gal. iv. 26. 20 *Non omnes* etc.: v. 1 Cor. xii. 29. 21 *magistri*: *doctores* Vulg.; *magistri* in versione antiquiore ab Hieron. (*Dial. contra Pelag.* i. 16; Migne *P. L.* xxiii. 510) citata; v. Sabatier ad loc. 21 *omnes* etc. usque ad *nascitur*: v. Greg. Naz. loc. supra cit. 22 *prouerbium* etc.: v. 1 Reg. x. 12.

b ad gratiam quam meritorum iudicio deferuntur. Omnes itaque currunt, sed, cum eo uentum est, unus accipit brauium ille qui in cursu ambitionis aliis uelocior extitit et qui praecucurrit citius Petro et quouis discipulorum Christi. Ascendit enim ilico et omnem celeritatem festinatae uocationis praeuenit. Hi sunt qui crebris muneribus uisitant potestates, laterales et familiares eorum sollicitant, ecclesiarum primis se commendant, applaudant omnibus et etiam magnarum domuum non modo officiales sed ciniflones rogant ut, cum locum uiderint, meminerint sui. Hi sunt amici omnium et qui non se sed amicos in se desiderant promoueri. Hi sunt qui uitam scrutantur alienam, negligunt suam, infulatorum annos dinumerant, canis letantur, c phisicos et genelliacos de fatis praesidentium consulunt, librant humores et quasi in statera appendunt elementa uiuacium; et quos diutius superesse conspexerint, etatem Nestoris dicunt excedere et cerui aut cornicis iam implere mensuram. Debiles etate uel morbo concutiunt, etiam sinceros criminibus incrustant simulatis, et quasi heredipetae uacillantium cathedris insidiantur turpique interueniente commercio occupatarum sedium saepe illicitas impetrant cessiones. Hi sunt qui de se coadiuuandis et promouendis nefarias obligationes interponunt; et tandem, cum ad rem uentum est, immemores fidei contra fidem datae se ipsos ambitionis et inuidiae stimulis impediunt et repellunt. Sic ergo plerumque, dum competitorum rixa d crudescit, sapientia Dei per occultam et rectam dispositionis suae uiam fidelem incognitum introducit de quo nequaquam praecesserat sermo uel cogitatio. Illi tamen ex contingentibus nichil omittunt; nisi forte in eo contingentia praetermittant quod ambiendo modum excedunt, si tamen in eo

9 cituflones A²S 14 et *om.* B¹ 15 apendunt CBS 22 sessiones M

1 *Omnes* etc.: v. 1 Cor. ix. 24. 4 *praecucurrit* etc.: v. Ioann. xx. 4. 9 *ciniflones*: v. Hor. *Sat.* i. 2. 98. 14 *phisicos*: v. supra ii. 1 (415 C). *genelliacos*: v. supra i. 12 (408 D). 16, 17 *etatem Nestoris*: v. Martial. *Epigr.* ii. 64. 3, vi. 70. 12. 17 *cerui aut cornicis*: v. Cic. *Tusc. Disp.* iii. 28 § 69.

aliquis est modi excessus ubi nullus est omnino modus. Pulsant itaque et praecipitant potestates, si obsequia non sufficiunt, si intercessiones non prosunt, uires suas ambitio exerit, suae et alienae facultatis diuitias ostendit, iam palam loquitur et in montem elationis ascendit et clamat: Haec omnia tibi dabo, si a fundamento fidei cadens promoueris me. Hoc siquidem cadere est, cum certum sit ex auctoritate sanctorum patrum quod per heresim simoniacam 682 a
a sinceritate fidei corruit quisquis in spiritualibus, id est rebus sacris et ecclesiasticis, mercimonium auaritiae committit. Nec refert quando pecunia intercedat in contractu uel ante uel post, cum omni tempore negotiantes in talibus dampnatio simoniacae prauitatis inuoluat. Cum enim perpetuo prohibitum sit ob hoc accipere uel dare quippiam, numquam dare uel accipere erit licitum quod est usquequaque prohibitum. Vt enim ait Tharasius patriarcha, dare est quandocumque dare et accipere quandocumque accipere. Egregium quiddam in talibus accidit in Apulia temporibus meis. Regnante Rogero Siculo contigit uacare ecclesiam Auellanam Campaniae. Apuliae et Calabriae Rodbertus iam dicti regis cancellarius praesidebat uir

---

1 omnino est A 8 symoniacam M 18 apuleie M 21 Robertus BSM

---

5 *in montem* etc.: ad exemplar diaboli Christum tentantis: v. Matt. iv. 8, 9. 8 *heresim simoniacam*: v. Grat. *Decr.* ii. 1. q. 1. cc. 11–13, 21, 22 (ed. Friedberg i. pp. 360 seqq.). 10 *mercimonium auaritiae*: v. Grat. *Decr.* ii. 1. q. 1. c. 24. Verba Gratiani ipsius citat. 11 *Nec refert* etc.: cf. Grat. *Decr.* ii. 1. q. 1. c. 114 (ed. Friedberg i. pp. 402, 403) ex Greg. M. *Hom. in Evang.* iv. § 4 (Migne *P. L.* lxxvi. 1091). 16 *Vt enim ait Tharasius* etc.: v. Tarasii patriarchae Constantinopolitani ad Adrianum I papam epistolam ap. Grat. *Decr.* ii. 1. q. 1. c. 21 (ed. Friedberg i. p. 366); Migne *Patrol. Gr.* xcviii. 1443. 18 *Egregium* etc. usque ad *deprehendat* (682 D): citat Pauli *M. G. H.*, *SS.*, xxvii. pp. 48, 49. 19 *Rogero Siculo*: qui a. 1130–1154 regnavit. 20 *Auellanam*: vel Abellinensem; v. Ughelli *Ital. Sacr.* viii. 188 seqq. Ioanni cuidam in ista sede successit Robertus a. 1132 uel 1133; nescimus autem quo anno Roberto successerit Willelmus, quem episcopum ab anno 1166 usque ad 1189 fuisse constat; v. Ughelli viii. 192, 193. 21 *Rodbertus*: Eius fit quoque mentio a Ioanne Hagustaldensi, qui Simeonis Dunelmensis Historiam Regum continuavit, c. 19 (ed. Arnold p. 318): Anno 1147 Willelmus archiepiscopus Eboracensis *ad Rogerum regem Siciliae cognatum suum diuertit et cum Rodberto cancellario eiusdem regis oriundo de Anglia, scilicet in Salesberia,*

b quidem in rebus gerendis strenuus et sine magna copia litterarum acutissimus, in primis prouincialium facundissimus, eorum non impar eloquio, uerendus omnibus priuilegio potestatis, et morum elegantia uenerabilis, eoque mirabilior in partibus illis quod inter Longobardos, quos parcissimos, ne auaros dicam, esse constat, faciebat sumptus immensos et gentis suae magnificentiam exhibebat; erat enim Anglicus natione. Ad eum utique uiri tres accesserunt, abbas quidam, alter archidiaconus, tertius laicus quidam praepositus regis, fratris sui clerici causam agens, singuli clam pro iam dicto episcopatu grandem pecuniam offerentes. Quid multa? Adhibitis familiaribus seorsum
c cum unoquoque eorum conuenit de pretio. Emptio ergo et uenditio undique perfecta est, de solutione implenda sufficientissime cautum, pignoribus et fideiussoribus datis, diesque praefixus est electioni solenniter celebrandae. Cum itaque ad diem archiepiscopi episcopi et multae uenerabiles personae conuenissent, praefatus cancellarius competitorum causas et quid cum unoquoque eorum egisset exposuit, dicens se exinde ex episcoporum sententia processurum. Dampnatis ergo competitoribus simoniacis, pauper monachus et totius rei ignarus canonice electus approbatus et introductus est. Illi tamen coacti sunt soluere id in quo se obligauerant usque ad nouissimum quadrantem. Vtinam ita agatur cum procis nostris qui omnes sedes olfaciunt

---

1, 2 litterarum copia M 5 lungobardos S 8 itaque M 9 *post* archidiaconus *add.* et A 9, 10 quidam laicus C[1]A 10 causam clerici B[1] 16 sollenniter A: sollempniter S 21 Damnatis C monacus C 22 aprobatus CBS

---

plurimis diebus commoratus est. Erat autem Rodbertus idem potentissimus inter amicos regis, pecuniosus et donatus honoribus magnis. Scribit quoque Ioannes (qui in eadem ciuitate atque Robertus natus est) in *Ep.* 85 ad Petrum Cellensem, S. Remigii apud Remos abbatem: *Graeco* (vino) *quo me Siculus cancellarius ad perniciem salutisque dispendium potare consueuerat.* Cf. R. Pauli in *Göttinger Nachrichten* 1878 p. 526; V. Rose in *Herm.* i. p. 376, qui eum suspicatur eundem fuisse atque Roboratum illum cui Platonici Phaedonis versionem dicavit Aristippus Cataniensis archidiaconus, Diogenis Laertii et Gregorii Nazianzeni Latinus interpres; K. A. Kehr, *Die Urkunde der Normannisch-Sicilischen Könige* pp. 75 seqq. 23 *soluere* etc.: v. Matt. v. 26.

adtentius quidem et curiosius quam odora uis aut sagacitas canum formellas leporum aut ferarum latebras deprehendat. d
Si michi crederetur, sic excluderentur et illi qui dissimulata ambitione cedunt ut ualidius irrumpant in sedem a qua, sicut ipsi fatentur, fuerant repellendi; siquidem iustum erat ut de se sibi contra se crederetur, quid enim in eis lateat nemo fidelius nouit. Plures tamen incontinenter ambiunt et impudenter. Frustra enim, ut quemquam eorum excipias, aliquem oppones titulum, quia clamore conductitio praeualente delebitur, concurrentibus exemplis et sanctionibus patrum. Ignobilis est; sed nec Petrus patricius extitit aut alicubi de claritate sanguinis gloriatur. Minor est; Ieremiam et praecursorem Domini habet auctores. Puer est; et monstrat seniores a Daniele puero condempnatos. Illiteratus est; nec scolas frequentasse leguntur 683 a
Apostoli. Coniugatus est; et Apostolus unius uxoris uirum praecipit eligendum. In iniuriam matrimonii sui suam reliquit uxorem; et Iohannes a nuptiis ad Euangelium traditur reuocatus. Opicus aut potius elinguis est; sed Aaron, cum esset [Moyses] impeditioris linguae, etiam sacerdotium legitur ministrasse. Scorta sectatus est; sed

---

10 conductio B   12 exstitit CB   sanguinis claritate A   15 Illitteratus B   18 euuangelium A: ewangelium S   20 *post* Aaron *erasa sunt quaedam* (*forsan* cum esset) A; *add.* uices moysi qui erat A *marg.* SM   cum esset *om.* SM   Moyses *supplevi*   etiam *om.* BA: et S²M   21 *post* ministrasse *add.* Si moderniora desiderantur exempla ualerius uincentio fidei et morum auctor extitit et exemplar martirii A *marg.* S *marg.* M

1, 2 *odora uis canum*: v. Verg. *Aen.* iv. 132.   2 *formellas leporum*: Eodem sensu leporum latebras *forms* hodie Anglice vocamus.   13 *Ieremiam*: v. Ierem. i. 5 seqq.   *praecursorem Domini*: i. e. Ioannem Baptistam; v. Luc. i. 15.   14 *seniores* etc.: v. Dan. xiii. 45 seqq.   16 *Apostolus* etc.: v. 1 Tim. iii. 2; cf. Tit. i. 6.   18 *Iohannes a nuptiis* etc.: v. Abdiae *Apost. Hist.* ap. Fabric. *Cod. Apocr. N. T.* ii. p. 585. De opinione S. Ioannem fuisse sponsum in nuptiis Canae quibus Christus (ut narratur ap. Ioann. ii. 2) interfuit, v. Haymon. *Hom. de Tempore* xviii. in Dom. ii. post Epiph. (Migne *P. L.* cxviii. 136); Rupert. Tuit. in Ioann. ii. 11 (Migne *P. L.* clxix. 284); cf. Bayle *Diction.* s. v. *St. Jean* ed. 1702 ii. p. 1636, Fabric. not. ad loc. supra cit.   20 *Aaron* etc.: v. Exod. iv. 10 seqq.   21 (var. lect.) *Valerius* etc.: De SS. Valerio et Vincentio v. *Act. SS.* Ian. 22 (Ian. ii. 394 seqq.) ubi legitur: S. Valerius Caesaraugustae (hodie Saragossa) episcopus

Osee mandante Domino amplexibus meretricis adhesit. Insipiens est; sed per insipientiam mundi decreuit Deus saluare credentes. Percussor est; sed Petrus gladium exerens serui principis sacerdotum auriculam amputauit. b Meticulosus est; sed Ionas ad Niniuitas ueritus est accedere, Thomas ad Indos. Tenetur functionibus publicis alligatus; sed Matheus de theloneo assumptus est. Vinolentus est et deditus gulae; sed Dominus ipse dictus est potator uini, uorator carnium. Non adquiescit maioribus; sed et Paulus in faciem restitit Petro. Contentiosus est; et inter discipulos Ihesu facta contentio memoratur. Garulus est et linguosus; facundus habeatur, quoniam et Apostolus sic dictus est seminiuerbius. Militiam armatam exercuit; sed Martinus Iuliano legitur militasse. Vir sanguinum est; sed Moyses Egiptium interfecit et abscondit in sabulo. Manifestum est homicidium; et Samuel praesente populo c regem pinguissimum interfecit. Perfidus est et periurus; sed Petrus perfidiam periurio cumulauit. Mutus est; sed hoc Zachariam a sacerdotio non exclusit. Cecus est; sed et Paulus uidere non poterat quando eum Ananias Domino consecrauit. Exigentibus culpis depositus est; sed multi

7 thelonio S 8 sed Dominus ipse *om.* M (*ubi in horum uocabulorum loco erasa sunt quaedam*) 11 Garrulus ASM 15 moises S egyptium BAM

quoniam . . . impeditioris linguae fuisse dignoscitur, tradito doctrinae ministerio venerabili Vincentio, ipse orationi et diuinae contemplationi sedulus insistebat. Valerium tamen in exsilium ante relegatum esse quam interfectus sit Vincentius, nec ultimo supplicio affectum esse narrat Actorum scriptor. 1 *Osee* etc.: v. Os. i. 2. 2 *per insipientiam* etc.: v. 1 Cor. i. 21. 3 *Petrus* etc.: v. Ioann. xviii. 10; cf. Matt. xxvi. 51. 5 *Ionas* etc.: v. Ion. i. 3. 6 *Thomas* etc.: v. Abdiae *Apost. Hist.* ap. Fabric. *Cod. Apocr. N. T.* ii. 690, ap. Bonnet *Suppl. Cod. Apocr.* i. 97 *cum saepe a Domino commoneretur . . . beatus Thomas ut partes citerioris Indiae uisitaret et ille quasi Ionas a facie Domini fugiens ire differret* etc. 7 *Matheus* etc.: v. Matt. ix. 9. 8 *Dominus ipse* etc.: v. Matt. xi. 19. 9 *Paulus* etc.: v. Gal. ii. 11. 10, 11 *inter discipulos* etc.: v. Luc. xxii. 24. 12 *Apostolus* etc.: v. Act. App. xvii. 18. 14 *Martinus* etc.: v. Sulp. Sever. *de Vita B. Martini* c. 2 (Migne *P. L.* xx. 161). 15 *Moyses* etc.: v. Exod. ii. 12. 16 *Samuel* etc.: v. 1 Reg. xv. 32, 33. 18 *Petrus* etc.: v. Matt. xxvi. 74. 19 *Zachariam* etc.: v. Luc. i. 22, 23. 20 *Paulus* etc.: v. Act. App, ix. 8–18.

tales restituti sunt et postmodum Ecclesiae Dei plurimum
profuerunt. Surdus est; sed hoc eum praeconari legem
Dei non prohibet; praedicator enim quaeritur, non auditor.
Leprosus est; sed de Pastore pastorum Ecclesia recolit quia
nec speciem neque decorem habens apparuit, qui exclu-
dendus uideretur tanquam leprosus et nec humano dignus
aspectu. Persona despicabilis est; sed in simili repulsae
titulo aduersus Martinum non audiuit Ecclesia Defensorem.
Errat in fide; hoc fecisse dicitur Cyprianus. Valitudinarius d
est; sed Gregorius in summo languore Romanam optime
gubernauit ecclesiam. Superbus et uanus est; sed talis
fuit Bricius Turonensis. Corpore et membris debilitatus
est; sed hoc egregio confessori Pannutio legitur accidisse.
Condempnationem ambitus tulit; sed et filiorum Zebedei
petentium primatum est petitio reprobata. Heresim quan-
doque docuit; sed Augustinus se Manicheum fuisse fatetur.
Coluit idola; sed et Marcellinus martyr insignis in papatu
thurificare compulsus est. Forte nondum est Christianus;
sed, dum catecuminus esset, beati Ambrosii fuit, ut traditur, 684 a
electio celebrata. Persecutus est Ecclesiam Dei; sed et

---

5 neque] nec SM 9 ciprianus ASM 13 pafnutio A 16 manicheum se A 17 ydola M et *om.* A martir ASM 18 turificare A 19 cathecuminus BA: caticuminus M 20 celebrata electio A[1] et *om.* A

---

4 *de Pastore pastorum*: i. e. de Christo; v. Isa. liii. 2. 7 *in simili repulsae* etc.: v. Sulp. Sever. *de Vita B. Martini* c. 9 (Migne *P. L.* xx. 165). 9 *hoc fecisse dicitur Cyprianus*: sc. de lapsorum baptismo; v. Aug. *de Bapt. contra Donat.* passim (Migne *P. L.* xliii. 107 seqq.). 10 *Gregorius* etc.: v. Paul. Diac. in *Vit. Greg.* c. 13 (*Zeitschr. für kathol. Theol.* xi. 170); c. 15 ed. Bened. (Migne *P. L.* lxxv. 48). 12 *Bricius Turonensis*: v. Greg. Turon. *Hist. Franc.* ii. (ed. Arndt p. 59) (Briccius) *quamquam esset superbus et uanus, castus tamen habebatur corpore*; cf. Ioannem nostrum in *Vit. S. Thom.* c. 3. ap. Robertson *Materials for the Hist. of Thomas Becket* ii. p. 303. 13 *Pannutio*: i. e. Paphnutio; v. Cassiodor. *Hist. Trip.* i. 10 (Migne *P. L.* lxix. 894). 14 *filiorum Zebedei* etc.: v. Marc. x. 35 seqq. 16 *Augustinus* etc.: v. Aug. *Conf.* iii. 6 seqq. 17 *Marcellinus* etc.: De hac fabula, quam de Marcellino (papa ab a. 296 usque ad a. 304) Brev. Rom. in fest. SS. Cleti et Marcellini Apr. 26 habet, v. *Act. SS.* Apr. iii. 413 seq., Döllinger *Papst-Fabeln* 3 (ed. 1890 pp. 57 seqq.), *Dict. of Christian Biog.* iii. 804 seqq. 19 *dum catecuminus* etc.: v. Paulin. *Vit. S. Ambros.* c. 7 seqq. (Migne *P. L.* xiv. 29).

Paulus ex persecutore factus est praedicator. Electio deest; sed et Apostoli non petentibus populis missi sunt. Non uacat sedes in quam possit intrudi; accedat praesidenti, nam et Augustinus Valerio Yponensi non tam successisse quam accessisse describitur. Auarus est; dispersa poterit congregare et inutiliter non distrahet congregata. Vt paucis uniuersa complectar, ad omnia ineptus est; sed Sanson in mandibula asini Philistiim expugnauit; potens est et nunc Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae. Ad haec dubium esse non debet quod cathedra episcopalis sanctos recipit aut sanctos facit. Nam et cum Saul b inunctus esset in regem, insiliit in eum Spiritus Domini, prophetauitque et mutatus est in uirum alium. Caiphas quoque, licet sacrilegus et qui cum Iudeis conspirauerat in necem Saluatoris, cum esset pontifex anni illius, prophetauit, ut constet ipsum ab officio prophetiae gratiam, quam demeruerat, accepisse. Cum ergo sedes suauis et dulce lignum gratis et sine labore omnia desiderabilia conferant, nonne superflua sollicitudo est dies laboriosos et noctes insomnes ducere ut ad sacrarium philosophiae accedant?

Dulcius est iacuisse thoro, tenuisse puellam,
Treïciam digitis increpuisse liram;

c aut, si hoc nimis uidetur esse arduum, quoniam tactus lirae sonum eliciens suum laborem habet et industriam exigit, tutius est exultare quiescentem ad sonum lirae et uocem organi et portas omnium sensuum uoluptatibus aperire.

---

3 posset A[1] 8 Samson AM in *om.* C[1]SM 13 cayphas AM 20 insompnes AM phylosophiae M

---

1 *Paulus* etc.: v. 1 Tim. i. 13, ii. 7. 4 *Augustinus* etc.: v. Aug. *Ep.* ccxiii. c. 4 (Migne *P. L.* xxxiii. 967). 8 *Sanson* etc.: v. Iudic. xv. 15. *potens* etc.: v. Luc. iii. 8. 11 *Saul* etc.: v. 1 Reg. x. 1–10. 13 *Caiphas* etc.: v. Ioann. xi. 49 seqq. 17 *sedes suauis* etc.: Cathedram episcopalem *sedem suauem* vocat; quid tamen hic significet *dulce lignum* (quod de Christi cruce dicitur in hymno qui incipit *Crux fidelis* et in officio Parasceves cantari solet), equidem nescio; an baculum pastorale an potius mensam? Mensam enim citream *male nobile lignum* appellat Petronius *Sat.* § 119. 17 *demeruerat*: i. e., ut videtur, *non meruerat*; v. Ducange s. vv. *demerere* (1), *demeritum.* 19 *nonne superflua* etc.: cf. Miltoni in *Lycida* versiculos 64 seqq. 21 *Dulcius est* etc.: Ov. *Her.* iii. 117, 118 *Tutius est iacuisse* etc.

Interim philosophantium studia deridentur; si quid auditur incognitum, quasi prophanum sit condempnatur; aut, si minoris est, contempnitur. Nam ut ratione aut auctoritate reprobetur frustra expectas. Si ratione aut auctoritate niteris, consuetudinem, qua abutuntur et quam fecerunt, obicient; dicitque procerum alter ad alterum:

> Hoc est cur pallet? cur quis non prandeat hoc est?
> doctoresque tuos curto centusse licetur; d

et psallunt in sobrios hi qui bibunt uinum. Nec tamen ambitione tanta episcopalis dignitas dumtaxat oppugnatur, eo quod iam summis et minimis eadem est dominandi praesidendique libido. Qui enim aspirare non audet ad cathedram, pari auiditate et eisdem machinis praefecturas, archidiaconatus et alias aggreditur dignitates. Indulge ei modicum, audebit ampliora, procedet paulatim reminiscens quod

> audentes fortuna iuuat,

et timor animos conuincit esse degeneres. Nemo repente turpissimus fuit. Si paululum successerit eis, nichil est 685 a
quod se fieri posse non sperent. Tandem itaque quod petitur optinetur, sed, ut dici solet, Deo irato.

> Tunc crassos transisse dies lucemque palustrem
> et sibi iam miseri uitam gemuere relictam.

Nouam ergo concipiunt sollicitudinem et seram, eo quod temporis iactura reparari non potest. Quod in claustralium pluteis continetur excutiunt, litteratorum expilant scrinia, corrogant scedulas, uerborum flosculos legunt, oratiunculas conquirunt, et modis omnibus elaborant ut uideantur scire quod nesciunt; nam ut sciant aut in uirtute proficiant,

---

1 phylosophantium M 2 condemnatur C 3 aut] et M 4 aut] uel SM 14 agreditur CS 17 iuuat] uiuat S 21 obtinetur M 23 genuere M 27 cedulas CBS

---

7 *Hoc est* etc.: v. Pers. *Sat.* iii. 85. 8 *doctoresque tuos* etc.: v. Pers. *Sat.* v. 191 *et centum Graecos* (i. e. philosophos) *curto centusse licetur.* 9 *psallunt* etc.: v. Ps. lxviii. 13. 17 *audentes* etc.: Verg. *Aen.* x. 284. 18 *timor* etc.: v. Verg. *Aen.* iv. 13. *Nemo* etc.: v. Iuv. *Sat.* ii. 83. 21 *Deo irato*: v. Ter. *Phorm.* i. 2. 24; cf. Hor. *Sat.* ii. 3. 8, Pers. *Sat.* iv. 27. 22 *Tunc crassos* etc.: Pers. *Sat.* v. 60, 61. 23 *miseri*: *seri* Pers. 27 *scedulas*: i. e. schedulas; cf. Hieron. *Apol. adv. Rufin.* iii. 4, 5 (Migne *P. L.* xxiii. 459, 460).

nondum solliciti sunt. Vmbram dumtaxat uirtutis affectant quam semper uirtuti praetulerunt. Vtique nichil miserius b est quam in alieno fulgore gloriari; et constat esse inopem debitorem qui solutionem celebrare non potest nisi noui gratia creditoris. Verumtamen sic tempus redimere gestiunt ut tibi satiricus recte illis uideatur occurrere cum improperio ingerens:

Hudum et molle lutum es, iam nunc properandus et acri
fingendus sine fine rota.
Tibi luditur, effluis amens,
contempnere; sonat uitium percussa, maligne
respondet uiridi non cocta fidelia limo.

Hoc enim non modo aduersus praelatos Ecclesiae sed omnes qui ante docendi officium praesumpserunt quam discipuli formam impleuerint ad pigritiam excitandam quasi stimulum libertas ueritatis educit. Vnde ergo noua c et uetera proferent qui semper aeque noua et uetera contempserunt? Nec est quod error concurrentium sub praetextu multitudinis excusetur, quia uiuendi forma a conuiuentium similitudine nequaquam trahitur, sed a uerbo Dei, in cuius uia beati ambulant et recto calle ad uerae felicitatis patriam pergunt. Neque enim quod a multis peccatur peccatum non est; sed ideo grauius quia multum. Nec delinquentis culpam socia minuit multitudo sed praegrauat, eo quod uiribus suis ne corrigatur obstat. Ne tamen aduersus iustitiam Dei ambitiosorum multitudo praeualeat, non modo diuina sed humana iura armantur. Lex et prophetae, Euangelium et omnes regulae patrum illorum detestantur audaciam. Nichilominus tamen ad-
d uersus Dominum eriguntur. Erubesce, Sydon, ait mare;

---

1 uirtutis dum taxat A   5 Verumptamen A   8 Vdum M   agri CBAS[1]   13 *post* Hoc *add.* modo C[1]A   23 multum] inultum BA[2]SM[2]   28 euuangelium BAM   30 Sidon AS

---

8 *Hudum* etc.: Pers. *Sat.* iii. 23, 24.   *iam*: *nunc* Pers.   10 *Tibi* etc.: Pers. *Sat.* iii. 20, 22.   16, 17 *noua et uetera proferent*: v. Matt. xiii. 52.   21 *in cuius* etc.: v. Ps. cxxvii. 1, Isa. xxvi. 7.   30 *Erubesce, Sydon, ait mare*: Isa. xxiii. 4.

et tu, clerice, quid sentis, cum laicus fere legis ignarus ambitionem tuam arguit et compescit? Obstupesce, propheta, cum asina te sessorem suum reuocat et tuos conuincit errores. Brutum animal, homo stupidus, angelum uidet tenentem gladium, id est spiritum qui latet in littera, et tu cecus in tanto lumine Scripturarum insanus ruis in mortem? Erubesce ergo, obstupesce, subsiste et a maledictione, ad quam auaritia stimulante festinas, recede; et qui contempnis Moysen et prophetas, uel asinam, quam ambitionis tuae calcaribus urges, audi. Miraculo siquidem opus est; Balaam etenim non corripitur, nisi asina loquatur. Nonne erubescis quod te sic excecauit, sic pessumdedit sui ipsius ignara ambitio ut propheticis et diuinis oraculis ruditum 686 a asinae praeferas? Terreris forte et contremiscis ad uocem asinae sed nequaquam compungeris. Hoc enim diuini uerbi munus est et donum illius qui solus in mentibus electorum ignem caritatis accendit. Vnde liquet quia inutiliter asinam audit quicumque uerbi Dei contempnit uocem. Audi tamen et asinam utilia suadentem, quia et in ea ad eruditionem tuam Spiritus loquitur. Praeuidet angelum cohibentem illicitos gressus tuos et eum ostendit tibi. Qua uia ad honores ecclesiasticos ascendendum sit, quae uia sit fugienda, canones docent. Contempnis tamen, quia in uia mandatorum Dei non uides angelum tenentem gladium ut occidat te. Eadem incedit asina, homo tui collatione stolidus et tardus et qui uerbi et exempli tui b calcaribus urgendus est ut faciat legem, uidet angelum, timet, subsistit, et consilium Dei tibi enuntiat. Loquitur in casu isto; tu miraculum uenerare et singula uerba eius repone et exculpe in tabulis cordis tui.

---

1 legis fere M 12 ececauit CB[1]A[1]: eccecauit S 17 karitatis CBS 20 ad *om.* C[2]BM 24 mandarum A

---

2 *Obstupesce* etc.: v. Num. xxii. 22 seqq.; cf. 2 Petr. ii. 16. 9 *Moysen et prophetas*: Luc. xvi. 29, 31. 20 *ad eruditionem tuam*: cf. Rom. xv. 4. 24 *in uia mandatorum Dei*: v. Ps. cxviii. 32. 30 *in tabulis cordis tui*: Prov. iii. 3, vii. 3.

Cap. 20. *De legibus secularium principum quibus curiales et officiales arceantur ab honoribus ecclesiasticis; et quibus exemplis Dathanitae et Abironitae nitantur obtinere.*

Ait ergo imperator Iustinianus: Maxima in omnibus sunt dona Dei a superna collata clementia sacerdotium et imperium, illud quidem diuinis ministrans, hoc autem in c humanis praesidens ac diligentiam exhibens; ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant uitam. Ideoque nichil sic erit studiosum imperatoribus sicut sacerdotum honestas, cum utique pro illis ipsi semper Deo supplicent. Nam, si hoc quidem inculpabile sit undique et apud Deum fiducia erit plenum, imperium autem recte et competenter exornet traditam sibi rem publicam, erit consonantia quaedam bona, omne quicquid utile est humano conferens generi. Nos igitur maximam habemus sollicitudinem circa uera Dei dogmata et circa sacerdotum honestatem, quam illis optinentibus credimus quia per ea maxima nobis dona dabuntur a Deo et ea quae sunt firma habebimus et quae nondum uenerunt adquiremus. Bene d autem uniuersa geruntur et competenter, si rei principium fiat decens et amabile Deo. Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum obseruatio custodiatur, quam iusti, laudati, adorandi inspectores et ministri Verbi Dei tradiderunt Apostoli, et sancti patres custodierunt et explanauerunt. Sancimus igitur sacras per omnia sequentes regulas, dum quispiam sequenti omni tempore ad ordinationem episcopatus perducitur, considerari prius eius uitam secundum sacrum Apostolum, si honesta, si inculpabilis et undique irreprehensibilis sit, et in bonis testimonium habeat

3 abiranite AS *in rubr. cap. praef.* 7 in *om.* SM 9, 10 exhornant S 12 suplicent S 26 Sanctimus A

5 *Maxima* etc. usque ad *fortuna* (686 D): *Novell.* vi (= *Authent.* coll. i. tit. 6) praef. et c. 1. *omnibus*: *hominibus* Authent. 13 *erit*: deest in Authent. 24 *iusti, laudati, adorandi*: *iuste laudati et adorandi* Authent. ed. Schoell; *iusti et laudandi et adorandi* Authent. vulg. 29 *si inculpabilis*: *et inculpabilis* Authent.

et sacerdotem decens, et neque ex officiali aut ex curiali ueniat fortuna.

Neque ex idiota mox clericus, deinde paruum aliquid praeteriens episcopus, appareat, sed aut in uirginitate degens 687 a
a principio aut uxorem siquidem habens ex uirginitate ad eum uenientem neque filios odibiles. Alioquin qui praeter haec aliquid agit et ipse cadat sacerdotio, et qui eum ordinat extra episcopatum sectabitur hanc legem offendens.

Sed neque ineruditus existens sacrorum dogmatum ad episcopatum accedat; prius autem aut monasticam uitam professus aut in clero constitutus non minus mensibus sex, uxori tamen non coherens.

De cetero autem nulli permittimus a positione legis uxorem habenti talem imponi ordinationem.

Sicut bonam gratiam uel gloriam in eo qui ordinandus est quaerimus, ita etiam in eo calumpniam, qui frustra accusauit, punimus. Si autem aliquis dicat conscium se esse alicuius illicitorum ei, non prius mereatur episcopi b
ordinationem quam querelae examinatio fiat et undique innoxius appareat. Quod si post huiusmodi contradictionem non passus is qui ordinem facit legittimam examinationem imponi causae currat ad ordinationem, sciat quod ab eo fit pro nichilo esse, sed is qui contra legem fit cadat sacerdotio, et qui sine probatione ordinationem imponit et ipse similiter sede cadat sacerdotali.

Item Leo: Si quemquam ad episcopatus gradum prouehi Deo auctore contigerit, puris hominum mentibus nuda electionis scientia sincero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum sacerdotii pretii uenalitate mercetur; qualiter quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, estimetur. Profecto enim quis locus tutus et quae causa c

3 hidiota CBS deinde] demum A 4 sed *om.* S 7 eum qui C^1 23 fit] sit CB 25 cadat sede M 27 contingerit CB^1S

3 *Neque ex idiota* etc.: v. ibid. c. I §§ 2 seqq. 6 *neque filios odibiles*: subaudi *habens.* 9 *Sed neque ineruditus* etc.: ibid. §§ 6, 7. 13 *De cetero* etc.: v. ibid. § 7. 15 *Sicut* etc.: v. ibid. § 10. 26 *Si quemquam* etc. usque ad *comitetur* (687 D): Cod. Iust. i. 3. 31.

poterit esse excusata, si ueneranda Dei templa pecuniis expugnentur? Quem murum integritati aut uallum fidei prouidebimus, si auri sacra fames ⟨in⟩ ueneranda penetralia proserpit? Quod denique cautum esse poterit aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur? Cesset altaribus imminere prophanus ardor auaritiae et a sacris aditis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus et humilis eligatur nostris temporibus episcopus, ut locorum quocumque peruenerit omnia uitae propriae integritate purificet. Non precio sed precibus ordinetur antistes, tantum ab ambitu debet esse sepositus ut quaeratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat. Sola illi suffragetur necessitas excusandi.
d Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus, cum sane quisquis hanc sanctam et uenerabilem antistitis sedem pecuniae interuentu subisse aut si quis, ut alterum ordinaret uel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis et lesae maiestatis accusatione proposita a gradu sacerdotii retrahatur. Nec solum deinceps honore priuari sed perpetuae quoque infamiae damnari decreuimus, ut eos, quos facinus par coinquinat et aequat, utrosque similis pena comitetur.

Item Iustinianus constitutione Nouella: Prae omnibus illud obseruari sancimus ut nullus per suffragium alicuius muneris episcopus ordinetur. Si quid autem tale comitatur, ipsi dantes et accipientes et eorum mediatores
688 a dampnationi subiciantur. Et propterea qui dat et qui accipit et mediator sacerdotii aut cleri honore remoueatur. Quod autem pro hac causa datum est, ecclesiae illi uendicetur cuius uoluit sacerdotium comparare. Si forte laicus mediator pro hac causa aliquid accipiat, in duplum id ecclesiae restituat.

---

3 in *deest in codd.* 23 sanctimus A 30 accipiat *om.* S dupplum A aecclesiae id A

---

3 *auri sacra fames*: Verg. *Aen.* iii. 57. 4 *Quod*: *quid* Cod. 14 *uenerabilem*: *uenerandam* Cod. 20 *quos facinus par coinquinat et aequat*: v. Lucan. *Phars.* v. 290. 22 *Prae omnibus* etc.: v. *Novell.* cxxiii (=*Authent.* coll. ix. tit. 6) c. 2 § 1.

Idem: Sed neque quemlibet uenerabilis domus gubernatorem, aut aliam quamcumque sollicitudinem ecclesiasticam agentem, dare aliquid illi a quo constituitur, aut ulli personae liceat pro commissa sibi gubernatione. Qui uero dat aut accipit aut mediator fit, clero nudabitur acceptis uendicandis uenerabili loco. Si autem secularis sit qui accipit aut mediator est, quod datum est duplum eidem uenerabili loco ab ipso praebeatur. b

Idem: Sancimus, cum opus fuerit episcopum ordinare, clericos mox in tribus decreta facere personis propositis sacrosanctis Euangeliis dicentes in ipsis decretis quia neque propter aliquam donationem aut promissionem aut amicitiam hos elegerunt, sed et scientes eos rectae fidei et honestae uitae esse et litteras nosse et quia neque uxorem neque concubinam neque filios habent neque hos curiales aut officiales esse.

Idem: Sed neque curialem aut officialem clericum fieri permittimus; unde ex hoc uenerabili clero iniuria fiat, nisi forte monasticam uitam aliquis eorum non minus quinque et uiginti annis impleuerit. Tales enim ordinari praecipimus quarta propriae substantiae sibi retenta, reliquis c
partibus curiae et fisco uendicandis, si in clero constituti monacho condecentem uitam impleuerint.

Idem: Ab episcopis Deo amabilibus secundum diuinas regulas religiosos clericos cum multa fieri inquisitione et boni testimonii uiros ordinari sancimus, litteras omnimodo scientes, eruditos, sed nullos magis in sacris ordinationibus diligimus quam cum castitate uiuentes aut cum uxoribus non cohabitantes.

3 aut] ut M 4 ulli] nulli M 9 Sanccimus CA: sanctimus S 11 euuangeliis BA 19, 20 xxv. CBASM 26 sanccimus CBA: sanctimus S

1 *Sed neque quemlibet* etc.: v. *Novell.* cxxiii. c. 16. 9 *Sancimus* etc.: v. *Novell.* cxxiii. c. 1 init. 17 *Sed neque curialem* etc.: v. *Novell.* cxxiii. c. 15. 19, 20 *quinque et uiginti*: *quindecim* Authent. 21 *quarta* etc.: Auctorem suum male intellexit Ioannes; qui *legitimam partem* curiae et fisco dandam esse praecipit; quam partem in *Cod.* i. 3. 53, et in *Novell.* vi. c. 1 § 1 quartam esse legimus. 24 *Ab episcopis* etc.: v. *Novell.* vi (= *Authent.* coll. i. tit. 6) cc. 4, 5.

Haec quidem seculi principes. Nam licet Ecclesiae doctores haec latius prosequantur, quoniam nimis uidentur ardua, quae dicuntur ab ipsis uilescunt. Vtique qui uel istos non audit, cecior est Hipsea et Dulichio remige surdior, et qui merito praecipitandus est, prostratus ab d angelo, quem contempnit, in infernum inferiorem. Nadab et Abiu igne suo succensos et extra tabernaculum elatos Domino mandante audieras; sed hi templum Domini et sancta sanctorum Moyse repugnante, id est lege Domini prohibente, nituntur irrumpere. Successit eis soboles numerosa, replet atrium domus Domini, alienum ignem accendunt. Adolere thura nituntur prohibiti et Datanitarum et Abironitarum societate contracta irruunt in Moysen, scindentes Ecclesiam, sacerdotium perturbantes, seditionem facientes in populo nisi ad sacerdotium permittantur accedere. Cum enim sibi conciliauerint gratiam potestatum, de iure patere sibi asserunt uniuersa, eo quod 689 a princeps (ut dicunt) legibus non subicitur et quod principi placet legis habet uigorem. Cum ergo populus ei et in eum omnem auctoritatem suam contulerint, ei obuiare crimen maiestatis est et manifesta subuersio principatus. Siquidem sacrilegii instar est dubitare an is dignus sit quem princeps elegerit; nec temeritatis effugit notam, et bene cum eo agitur si uel penam, quisquis ex quacumque causa uoluntatem principis euacuare parat. Nullas leges credunt

---

6 contemnit CB 12, 13 dathanitarum M 13 abyronitarum M 20 contulerunt C[1]

---

4 *caecior est Hipsea*: v. Hor. *Sat.* i. 2. 91. *Dulichio remige*: i. e. Vlixe; cf. supra *Enthet. ad Policr.* (383 C) *Et sit Dulichio remige surda magis.* 6 *angelo, quem contempnit*: v. supra 686 A. *infernum inferiorem*: v. Ps. lxxxv. 13. *Nadab* etc.: Lev. x. 1 seqq. 11 *atrium domus Domini*: in Ezech. viii. 16 et saepe in Vetere Testamento. 12, 13 *Datanitarum et Abironitarum*: v. Num. xvi. 1 seqq. 18 *princeps* etc.: v. *Dig.* i. 3 § 31. *quod principi* etc.: *Dig.* i. 4 § 1. 21 *Siquidem* etc.: v. Cod. Iust. ix. 29 § 3. 24 *penam*: sc. effugit. 25 *Nullas leges* etc.: Contra a iuris canonici auctoribus asseritur iuri naturali leges et constitutiones, constitutionibus autem ecclesiasticis constitutiones principum postponendas esse; v. Grat. *Decret.* I. ix, x.

ciuilibus praeferendas. Has Anacarsis Cithica telis araneae comparauit, quae muscas et culices detinent, sed uolatilia transmittunt grandiora; sic et iura ciuilia humiliorum reprimunt uoluntates, sed profecto potentioribus cedunt. Nam ex transgressione uel contemptu legittimam eis non irrogant penam, sed nec interpellatos quidem cauta dissimulatione praetereunt. Ad haec conquisita tyrannorum b exempla proponunt, quibus persuadeant potestatibus uniuersa licere. Maxime tamen sicubi locorum fuerint ubi inueterata consuetudo optineat, etiam si rationi aduersetur aut legi. Narrant quis tirannus domesticum suum aut familiarem in quam ecclesiam sine electione intruserit, quis clerum ut ignotum et indignum eligeret terroribus et damnis impulerit, quis Ecclesiam Dei uendiderit palam, quis metropolitanum compulerit reprobabilem consecrare, quis episcopos religiosos in exilium egerit aut actos ab aliis coegerit exulare, quis Ecclesiam et res sacras onerauerit muneribus sordidis, quis indignis suppliciis torserit religiosos, quis uilipenderit et pessumdederit clerum, quis in c prouincias induxerit ferale iustitium, quis leges et canones exterminauerit a finibus suis, quis indixerit silentium episcopis ut quaeuis flagitia impune et sine ulla reprehen-

---

1 scithica SM 5 legitimam A 6 interpellatas AM 11 tyrannus CSA 14 dampnis AS 16 alios B

---

1 *Anacarsis* etc.: v. Val. Max. vii. 2. ext. 14. Cf. Ioannis nostri *Ep.* 184, ad Bartholomeum Episcopum Exoniensem, et *Enthet. de Dogm. Philos.* 1523 seqq. (Migne *P. L.* cxcix. 190 D, 997 D). 11 *quis tirannus* etc.: Ad Stephanum regem respicere uidentur quae sequuntur; cf. *Gest. Steph.* ed. Howlett pp. 47 seqq. 15 *quis metropolitanum* etc.: v. Will. de Novoburgo i. 26 (ed. Howlett p. 78); *Defuncto Wilelmo de Sancta Barbara Dunelmensi episcopo uiro religioso, Hugo Eboracensis ecclesiae thesaurarius propter nobilitatem generis, erat enim propinquus regis Stephani, ad pontificatum Dunelmensis ecclesiae electus est, uenerabili Henrico Eboracensi archiepiscopo, ad quem Dunelmensis episcopi spectabat consecratio, plurimum obnitente, atque obtendente et minus canonicam electi aetatem, et minus probatam morum grauitatem.* Hunc Hugonem de Puteaco tandem ab Anastasio IV consecratum esse mox refert idem historiographus. Eandem rem fusius narrat Galfridus de Coldingham cc. 1–3 (ap. Raine *Hist. Dunelm. Script. III.* pp. 3 seqq.). 20 *ferale iustitium*: i.e. iuris dicendi intermissio funesta qualis in Anglia exsistebat dum nomine tenus regem Stephanum habebat at reuera ἄναρχος erat. *quis leges* etc.: cf. infra viii. 22 (808 D).

sione committeret, quis aduersus Ecclesiam Romanam diutius et perniciosius intumuerit, quis omnia non tam sua quam peruersa lege tractauerit, quis tandem consueuerit libito licitum coaequare. Si quis autem in his commemorandis copiosior est et in explenda malitia nequior, sincerioris est fidei et efficacioris industriae. Qui uero pro ueritate fidei aut sinceritate morum de iure diuino aliquid loquitur, aut superstitiosus est aut inuidus aut (quod capitale est)
d principis inimicus. Si dicas quia ignis, qui per septuaginta annos Babilonicae captiuitatis sub aqua uixerat, demum extinctus est Antiocho uendente Iasoni sacerdotium; aut (quod beatus Gregorius testatur) quia pestilentiae et fames, concussiones gentium, collisiones regnorum et quamplurima aduersa terris proueniunt ex eo quod honores ecclesiastici ad pretium uel humanam gratiam conferuntur personis non meritis; si dicas Ozam percussum a Domino eo quod archam nutantem praesumebat erigere; si regnante Ozia rege leproso siluisse dixeris Esaiam et eo mortuo uidisse Dominum sedentem super solium excelsum; si dixeris onera
690 a tabernaculi humeris et plaustris Leuitarum dumtaxat imminere, et si qua sunt in lege Dei similia, bene agetur tecum si non mutilatus retrudaris in carcerem aut in exilium propellaris. Vndique conclamaberis et tam ambitiosi quam fautores eorum extremae damnationis in te non uerebuntur ferre sententiam. Vnum tamen remedium tibi Dominus

---

11 anthioco M 17 arcam A 24 fauctores A in te] uite C[1]B[1] 25 tibi remedium A

---

1 *quis aduersus Ecclesiam* etc.: cf. *Hist. Pontif.* c. 2 (Pertz *Mon. Hist. Germ. SS.*, xx. pp. 518, 519). 9 *ignis* etc. usque ad *sacerdotium*: ut ex Augustino citantur ap. Grat. *Decret.* I. i. 1 c. 29 (Friedberg. i. 371); v. 2 Machab. i. 19 seqq. 11 *Antiocho* etc.: Iasone sacerdote exstinctum esse ignem sacrum, quod non totidem verbis asserit 2 Machab. auctor, colligi potuit ex eiusdem libri x. 3, ubi de templi purgatione post mortem Antiochi facta agitur: *de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium.* 12 *quod beatus Gregorius testatur*: v. Greg. M. *Hom. ad Evang.* xvii. 16, *Ep.* xi ad Brunichildam reginam et *Ep.* cx ad Theodericum et Theodibertum reges Francorum scriptam (Migne *P.L.* lxxvi. 1147, lxxvii. 953, 1040). 16 *Ozam* etc.: v. 2 Reg. vi. 6, 7. 17 *regnante Ozia* etc.: v. 2. Paralip. xxvi. 16 seqq., Isa. vi. 1. 19, 20 *onera tabernaculi* etc.: v. Num. vii. 5 seqq.

procurabit, quod cuiusque sapientis et timentis Deum conscientia consonat uerbis tuis. Inde est quod sententia eorum de te Domino auctore non semper optinet. Si enim ipsis creditum fuerit, tu quasi lesae maiestatis reus hostis publicus iudicaberis. Diceris utique publica euacuare iudicia et, dum professionis propriae zelator ecclesiasticam erigis libertatem, sapientiam subuertis principum et eos quasi stultos et contemptibiles reddere machinaris. Satius b
erit ut diadema detraheretur principis capiti quam principalis et egregiae partis rei publicae dispositio, quae in religione uersatur, illius subtrahatur arbitrio.

Non priuata cupit Romana quisquis in urbe
Pompeium transire parat.

Et forte arrogantius priuatorum uota transgreditur qui sub imagine libertatis principibus appetit dominari. Nam, si quis principum superstitioni huiusmodi adquiescat, insipiens est et ab illustrium regum uirtute degenerat. Dauid tamen, sicut Regum narrat historia, et omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis et cytharis et liris et timpanis et sistris et cimbalis, licet ei non defuerit eiusmodi increpator. Historia namque memorata prose- c
quitur: Et egressa Micol filia Saul in occursum Dauid ait: Quam gloriosus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorum suorum; et nudatus est quasi nudetur unus de scurris. Dixitque Dauid ad Micol: Viuit Dominus quia ludam ante Dominum qui elegit me potius quam patrem tuum et quam omnem domum eius et praecepit michi ut essem dux super populum Domini in Israel; et ludam et uilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis, et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior

3 obtinet SM 15 ymagine M 18 hystoria M 19 citharis SM 20 et timpanis *om.* M 21 Hystoria M 23 israhel A 30 occulis S

12 *Non priuata* etc.: Luc. *Phars.* ii. 564, 565. 17 *Dauid* etc.: v. 2 Reg. vi. 5. 22 *Et egressa* etc.: 2 Reg. vi. 20 seqq. 25, 26 *Viuit Dominus quia ludam*: Haec, quae in ed. Vulg. impressionibus desunt, in codicibus tamen nonnullis exstant (ut testatur Sabatier ad loc.), citat Greg. M. *Mor.* xxviii. 46 § 77 (Migne *P. L.* lxxvi. 444).

apparebo. Igitur Micol filiae Saul non est natus filius usque ad diem mortis suae. Dauid uero sedit rex in domo sua et dedit ei Dominus requiem undique ab uniuersis d inimicis suis. Videsne quam diligenter puniri docet historia hinc contemptum religionis, cum arrogantia tumoris inde deuotionem fidei et humilitatis cultum remunerat? Nam et Dauid quietem regni assequitur et Micol prauae increpationis merito sterilis obit et nullum incliti generis et felicis matrimonii relinquit fructum. Recte quidem, cum et Micol 'omnis aqua' uel 'ex omnibus' interpretetur. Siquidem multitudinis imperitae consilium et quae populare iudicium sequitur, fructus boni nec iocunditatem nec memoriam habet. Verumtamen, cum istos consiliarios magnatorum audieris, nequaquam suspicaberis Micol sine sobole decessisse. Omnes enim filios Micol esse miraberis 691 a et, si non carnem, spiritum ex traduce illius putabis processisse. Et quod istud facilius tibi persuadeas, hi qui diuinam euacuare nituntur ut suam statuant auctoritatem, sine liberis moriuntur aut eos relinquunt degeneres et ignauos. Proculdubio quisquis ecclesiasticam deprimit libertatem aut punitur in se aut punitur in sobole. Amittunt ergo filii etiam propria cum his quae fauore eorum paterna impietas occupauit.

Cap. 21. *De ypocritis qui ambitionis labem falsa religionis imagine nituntur occultare.*

Licet autem populi temeritas aut licentia potestatum praeceptis legittimis et diuina institutione reprimi possit, ambitio tamen domari non potest. Si enim in manifesto b non audet, clanculo serpit et fraudulenter ingreditur. Si fores ecclesiae muneribus non aperiat, si nec sua nec aliena

---

9 reliquit C 12 iocundatem CS 24 ypochritis B: ipocritis S *in indice*: ypotritis S *in rubr. cap. praef.* 25 ymagine M

---

2 *Dauid* etc.: v. 2 Reg. vii. 1. 10 *Micol 'omnis' aqua uel 'ex omnibus' interpretetur*: v. Hieron. *Lib. de Nom. Hebr.* (Migne *P. L.* xxiii. 814). 16 *ex traduce*: Ad quaestionem de animae humanae origine apud theologos notissimam respicit.

uiolentia reserantur, confugit ad artes fallaciae suae. Omnia, quae libertatem impugnant, quae decretorum statuta conuellunt, et quae religioni contraria sunt, tota libertate Spiritus detestatur. Synonem, ut simplices et credulos circumueniat, miraberis rediisse. Simulat et dissimulat et astutam gerit sub pectore uulpem; Stoico quouis liberior est, Catone rigidior. Est quoque interdum simplicior Paulo, doctore gentium sollicitior, feruentior Petro; et ei uiuere Christus est et mori lucrum; nec gloriatur in aliquo, nisi in cruce Christi, quam iugiter portat in corpore ut spiritus c saluus sit, dissolui dumtaxat cupiens et esse cum Christo. Mortificat ergo carnem cum uitiis et concupiscentiis et, non sicut ceteri hominum, cum hominibus degens uitam agit angelicam et in celestibus conuersatur. Ieiunant hi continue, sine intermissione orant, clare tamen et ut audiat hospes, asperis et sordidis uestibus induuntur et populum increpant. Arguunt clerum, de moribus corrigendis sollicitant principatus et potestates, testimonium sibi adquirentes iustitiae si uitae detrahant alienae. Vt uero fraus sub honestatis specie conualescat, laudabilium uirorum collegia expetunt, arduas subeunt professiones, ostentant difficilia et familiarius sibi propitii possibilia et quae humaniora sunt exequuntur. Se ergo Basilii, Benedicti, Augustini, d

4 Sinonem AM 6 Stoyco A 21 ardua M

3, 4 *libertate Spiritus*: v. 2 Cor. iii. 17. 4 *Synonem*: v. Verg. *Aen.* ii. 57 seqq. 6 *astutam* etc.: v. Pers. *Sat.* v. 117. *Stoico quouis liberior*: v. Pers. *Sat.* v. 85, 86. 7 *Catone rigidior*: cf. Luc. *Phars.* ii. 389. *simplicior Paulo*: v. 2 Cor. i. 12. 8 *doctore gentium*: i. e. S. Paulo; v. 1 Tim. ii. 7. *sollicitior*: v. 2 Cor. xi. 28, Col. ii. 1, 1 Thess. ii. 2. *uiuere* etc.: Philipp. i. 21. 9 *nec gloriatur* etc.: v. Gal. vi. 14, 17. 10, 11 *ut spiritus saluus sit*: 1 Cor. v. 5. 11 *dissolui* etc.: Philipp. i. 23. 12 *Mortificat* etc.: v. Gal. v. 24. 14 *in celestibus conuersatur*: v. Philipp. iii. 20. 15 *sine intermissione orant*: v. 1 Thess. v. 17. *clare* etc.: Pers. *Sat.* ii. 8. 23 *Basilii*: S. Basilius, dictus Magnus, episcopus Caesariensis, qui anno 329 natus et anno 379 mortuus est, primus monachis vitam communem agentibus regulam dedit, de qua cf. quae habet in fine Regulae suae S. Benedictus coenobitarum occidentalium patriarcha (ed. Woelffl. p. 69). Nec tantum in partibus orientalibus floruit ordo Basilianus, sed etiam in Italia monasteria nonnulla habuit, quorum adhuc exstat illud celeberrimum quod *Grotta ferrata* vulgo nuncupatur. *Benedicti*: quem Ecclesiae occidentalis monachi paene omnes ut patriarcham venerati sunt. *Augustini*: cuius instituta canones quos dicunt regulares sequi professi sunt.

aut, si hoc parum est, Apostolorum et Prophetarum fatentur successores; uestes Cartuariensium, Cisterciensium, Cluniacensium induunt, et qui dignantur esse canonici gloriantur in laneis tunicis et pellibus agninis. Veniunt enim in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; sed, ut ait Dominus, euidentissime cognoscuntur a fructibus suis. Non tamen a fraude istorum religionis uerae diminuitur gloria. Nam indubitanter omnibus constat quia nomina quae profitentur et quorum pollicentur officia honestissima et fidelissima sunt. Nam religio in his adeo uera, adeo probata, consistit ut nullius reprehensionis aculeos
692 a reformidet; siquidem Cartuarienses quasi auaritiae triumphatores praecipui ubique clarescunt; Cistercienses beati Benedicti, quem omnium iustorum spiritu plenum fuisse constat, praecepta et uestigia sequuntur ad unguem; Cluniacenses religionis formam multis prouinciis tradi-

---

2 cartusiensium S^2 (*ubi prima manus* cartuariensium *scripserat*) M (*e correctione, ut videtur*) 11 nullus A 12 cartusienses S^2 (*ubi prima manus* cartuarienses *scripserat*) M (*forsan e correctione*)

---

2 *Cartuariensium*: i. e. Cartusiensium, quorum ordinem fundavit S. Bruno anno 1084. Illos *Cartuarienses* appellatos esse nusquam alibi legimus; Chronicon tamen quoddam saec. xv Nannetense ap. Lobineau *Histoire de Bretagne* ii. p. 363 *Carturienses*, Chronicon alterum a Valesio (pp. 82 seq.) citatum *Catursienses* habet; sed aut Ioannem Saresberiensem ipsum aut amanuensem eius nomen illud ad exemplar nominis notioris Cantuariensium per incuriam scripsisse suspicor. Ex vocabulo ipso *chartreux* coniicere litteram *r* in syllaba altera nominis ordini Brunoniano impositi olim exstitisse non necesse est, quam post *rt* inserere a linguae Francogallicae indole non alienum esse satis constat; cf. *Carnutum*, *Chartres*. *Cisterciensium*: quorum ordinem fundavit a. 1098 S. Robertus, maxime ornavit et propagavit in saec. xii S. Bernardus abbas Clarevallensis. 2, 3 *Cluniacensium*: Monasterium ordinis S. Benedicti, monasteriorum haud paucorum parentem, apud Cluniacum instituit a. 910 Beatus Berno. Ordinis sive congregationis Cluniacensis monasteria ad normam Cluniaci aut fundata aut reformata complectentis in saec. xi sub S. Hugone abbate caput constitutum est; v. Pignot *Hist. de l'Ordre de Cluny* ii. p. 316. 4 *in laneis* etc.: cf. *Consuet. Canon. Regul. S. Victoris Paris.* ap. Martene *de Antiqu. Eccles. Ritibus* iii. p. 261 *Haec sunt autem uestimenta quae secundum consuetudinem uni canonico conceduntur . . . una tunica lanea . . . caputium unum pellibus agninis forratum* etc. *Veniunt* etc.: v. Matt. vii. 15, 16. 16 *Cluniacenses* etc.: v. Pignot *Hist. de l'Ordre de Cluny* ii. pp. 286 seqq.

derunt. Et canonicis sufficere debet ad plenissimam laudem quod regulam eorum oportet omnes clericos imitari. b Heremitae quoque Baptistam Saluatoris et filios prophetarum institutionis suae habent auctores. Fratres Templi Machabeorum exemplo ponunt animas suas pro fratribus suis. Xenodochi siue hospitalium procuratores Apostolorum sequuntur uestigia et ad perfectionis cumulum aspirantes in eo fidelissime audiunt Christum quod uiuunt innocenter et omnia quae habent pauperibus erogant. In his tamen omnibus fideles inueniuntur et reprobi, nec ob id religionis aut professionis ueritas deformatur. Quae enim professio est aut quae legitur umquam fuisse societas in quam macula non irrepserit? Angelum apostatam legimus, in primis fratribus parricidium, prophetam reprobum, apostolum proditorem, discipulos Christi perfidos, nec tamen corrumpitur puritas persistentium Angelorum aut minus sancta est societas inuicem diligentium fratrum aut prophetiae gratia est in electis culpabilis aut apostolatus in fidelibus contemptibilis aut disciplina Christi per uarios

---

7 secuntur CSM   17 est sancta A

2, 3 *Heremitae* etc.: v. Hieron. *Ep.* xxii. 36, lviii. 5, cxxv. 7 (Migne *P. L.* xxii. 421, 583, 1076). 4 *Fratres Templi*: Ordo *pauperum commilitonum Christi templique Salomonici* circa a. 1118 ab Hugone de Paganis fundatus est. 4, 5 *Machabeorum exemplo*: cf. S. Bern. *ad Mil. Templ.* c. 4 (Migne *P. L.* clxxxii. 927), Fretelli *Lib. Loc. SS. Terrae* prol. (Migne *P. L.* clv. 1039 seq.) Hadrianum iv in *Ep.* 157 (Migne *P. L.* clxxxviii. 1537 seq.). 5 *ponunt* etc.: v. 1 Ioann. iii. 16. Eadem verba citat *Reg. Mil. Templi* (c. 48 Holsten. *Cod. Reg. Mon. et Canon.* ed. 1759, ii. 438; c. 45 ed. Schürer, p. 146): Quod ad Machabaeorum exemplum attinet, cf. 1 Machab. ix. 10, *moriamur in uirtute propter fratres nostros.* 6 *Xenodochi* etc.: Anno 1104, ut videtur, in Hospitali S. Ioannis in Hierosolymis (cuius de origine cf. Heyd *Gesch. des Levantehandels* i. 117) fundatus est ordo militaris cuius primus magister Gerardus fuit, qui eiusdem hospitalis eo tempore gardianus seu custos exstitit: cf. Regulae a Raymundo de Podio, Gerardi successore, conditae (ap. Holsten. ii. 445) c. 1 *In primis iubeo quod omnes Fratres ad seruitium uenientes pauperum tria, quae promittunt Deo, teneant cum Dei auxilio, sc. castitatem et obedientiam et . . . sine proprio uiuere.* *Apostolorum* etc.: v. Act. App. ii. 44 seqq., iv. 32 seqq. 7 *ad perfectionis* etc.: v. Matt. xix. 21. 13 *in primis* etc.: v. Gen. iv. 8. 14 *prophetam reprobum*: v. 3 Reg. xiii. 14, 15 *apostolum proditorem*: i. e. Iudam Iscariotem; v. Luc. vi. 16. 15 *discipulos Christi perfidos*: v. Ioann. vi. 67.

c errores aberrantium est infamis. Sicut ergo angelus Sathanae transfigurat se in angelum lucis et pseudoapostoli ad auctoritatem apostolicam aspirabant potius quam ad uitam, sic et ypocritae ad supercilium Phariseorum confugiunt, dilatantes philacteria et magnificantes fimbrias, et quae in lege Dei scripta sunt, nolunt contingere digito, nisi ut uideantur ab hominibus a quibus honoris aut alterius remunerationis mercedem expectant. Inde est quod faciei pallorem ostentant, profunda ab usu trahunt suspiria, artificiosis et obsequentibus lacrimis subito inundantur, obstipo capite, luminibus interclausis, coma breui, capite fere raso, uoce demissa, labiis ab oratione mobilibus, incessu tranquillo et quasi gressu quadam proportione composito, pannosi, obsiti, sordes uestium et affectatam uenditant
d uilitatem, ut eo facilius ascendant quo se studiosius uidentur in locum nouissimum deiecisse, et qui sponte sua decrescunt, crescere compellantur inuiti. Hi sunt qui, si quid maculae inhesit Ecclesiae dum peregrinatur, publicis aspectibus detegunt, ut ipsi ab omni macula uideantur immunes. Hi sunt qui beneficia, quae necdum sanctis collata sunt, praedicant auferenda. Hi sunt qui potestatibus persuadent ut propter uitia personarum iure suo priuentur ecclesiae. Decimationes et primitias ecclesiis subtrahunt, et ecclesias ipsas accipiunt de manu laicorum episcopis inconsultis. Hi sunt qui, praedia auita subtrahentes indigenis, uicos et pagos redigunt in solitudinem et in suos usus uicina quaeque conuertunt, ecclesias diruunt aut in usus reuocant seculares.
693 a Quae domus orationis fuerat, aut efficitur stabulum pecoris aut opilionis aut lanificii officina. Et quidem maiora im-

---

2 pseudoapostoli *scripsi*: apostoli seudo CBA^{1}S: apostoli pseudo A^{2}M 4 hypocrite CA: hypochrite B 5 philateria M 6 quae] quod M scripta sunt] *forsan* scriptum est *olim habuit* M 13 compositi C^{2}BA^{1}M 29 lanificinii CB^1

1, 2 *angelus Sathanae* etc.: v. 2 Cor. xi. 13, 14, xii. 7. 5 *dilatantes* etc.: v. Matt. xxiii. 4, 5. 10, 11 *obstipo capite*: Pers. *Sat.* iii. 80. 15 *ascendant* etc.: v. Luc. xiv. 7. 23 *Decimationes* etc.: cf. Conc. Lateran. III sub Alexandro III a. 1179 habiti canonem ix (ap. Mansi *Conc. Nov. Coll.* xxii. pp. 222 seqq.). 28 *domus orationis*: Matt. xxi. 13.

pune faciunt et quasi cornibus geminae potestatis ecclesiam, in cuius sinu quiescunt et proteguntur umbra, uentilare non cessant. Ad ecclesiam namque Romanam confugiunt, quae pietatis mater religioni consueuit prouidere quietem. Implorant opem eius, protectionis impetrant clipeum, ne cuiusquam possint malignitate uexari et, ut se possint plenius exhibere et caritatis implere munus, ne decimas dent apostolico priuilegio muniuntur. Procedunt ulterius et, quo sibi plura impune liceant, a iurisdictione omnium ecclesiarum seipsos eximunt et efficiuntur Romanae ecclesiae filii speciales; ita tamen ut pro foro rei ubique conueniant, b sed tamen conueniri non possunt nisi Romae uel Ierosolimis. Deinde secularium potestatum implorant auxilium et eis diuinam gratiam pollicentur. Fiuntque mediatores inter Deum et homines et eos qui uenia indigent suis aggregant societatibus, confessiones excipiunt et, claues Ecclesiae usurpantes aut subripientes Petro, ligare praesumunt et soluere et Domino prohibente falcem mittunt in messem alienam. Potentiores tamen et ditiores fauore uel mercede recepta facilius exonerant et, peccatis alienis humeros subponentes, iubent abire in tunicas et uestes pullas quicquid illi se commisisse deplorant. Amplificant misericordiam Domini, qui neminem uult perire, quam sicut apertam et patentem penitentibus sic solis desperantibus praeclusam c esse pronuntiant. Indulgent interim hiis, qui criminibus ardentius et tenacius inuoluuntur, peccare in spe; dum tamen sibi in redemptionem eorum aliquid praerogent et

4 mater pietatis M 15 agregant CBS 17 surripientes AM
21 supponentes M 25 his AM

1 *geminae potestatis*: i. e. Ecclesiae Romanae et saecularium potestatum. 3 *Ad ecclesiam* etc.: De malis ex abusu dispensationis ortis cf. S. Bern. *de Consid.* iii. 4 (Migne *P. L.* clxxxii. 766 seqq.). 11 *ita tamen* etc.: cf. quae de fratribus Hospitalis pro Theobaldo archiepiscopo ad Ioscelinum episcopum Saresberiensem scribit Ioannes ipse in *Ep.* 95: *Si uero conueniantur ab alio, pontificalis auctoritas euanescit, cum asserant se forum non habere nisi Romanum uel Hierosolymitanum.* 14, 15 *mediatores* etc.: v. 1 Tim. ii. 5. 16 *claues* etc.: v. Matt. xvi. 19. 18 *Domino prohibente*: v. Deut. xxiii. 25. 21 *abire in tunicas*: v. Iuv. *Sat.* vi. 521. *uestes pullas*: Ad lugubres paenitentiam sollemnem agentium vestes respicit. 23 *qui neminem* etc.: v. Matt. xviii. 14, 1 Tim. ii. 4.

audacter promittunt ueniam eo quod, sicut aqua ignem, ita elemosina peccatum extinguit. Penitentia quoque numquam sera est, si tamen uera. Consentiunt ergo moribus iniquis et, popularem prouocantes affectionem assentationibus, obturant aures hominum ne increpationes audiant praelatorum. Ad haec rumusculos inquirunt, tumultibus gaudent, dissidentium secreta explorant et eadem nunc ad amicos perferunt, nunc ad hostes, utrisque grati, utrisque perfidi, magis tamen ad ista uidentur idonei quia ab imagine religionis
d minus habentur suspecti. Quid in palatio, quid in foro, quid in agris expediat, quid in castris, soli creduntur nosse, quia uniuersa haec prae ceteris uidentur curare qui istis iugiter immiscentur. Si conueniant patres in curia, ciues in foro, milites in expeditione, si denique concilium aut synodus conuocetur, praecipuam sedium partem praeoccupabit umbratilis ista religio. Claustrorum fracta credas repagula, exhausta tochia uel xenodochia, et a locis uenerabilibus examina conuiuentium euolasse. Adeo quidem se religionis species turbis et publicis aspectibus ingerit. Primas cathedras, recubitus primos, primas salutationes usurpant et, si eas non deferas, uehementissime indignantur.
694 a Si eis obloqueris, religionis inimicus et ueritatis diceris impugnator. Feras itaque patienter, si iniurias et damna intulerint qui licentiam omnium apostolica et regia auctoritate optinuisse uidentur; nam et hoc meritis eorum deberi creditur. Sane qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; nec ego apostolicae maiestati et regiae arbitror reluctandum. Miror tamen, ut fidelium pace loquar, quidnam sit quod decimas et iura aliena usurpare non erubescunt? Inquient forte: Religiosi sumus. Plane

---

4, 5 opturant A 9 ymagine M 15 sinodus A 17 thochia AS senodochia CBAS 21 differas M 23 dampna ASM 25 obtinuisse CBSM

---

1 *sicut aqua* etc.: v. Eccli iii. 33. 17 *tochia*: i. e. *ptochia*, quae domus erant pauperum hospitio deputatae; v. Du Cange sub voc. 20 *Primas* etc.: v. Matt. xxiii. 6, 7. 26 *qui resistit* etc.: Rom. xiii. 2.

decimas soluere religionis pars est, et eas a Deo populus
dumtaxat religiosus exigitur. At qui eas exigunt irreligiosi
sunt. Vos autem quis constituit iudices super eos? aut
qui estis ut exerceatis iudicium in seruos alienos? Vnus- b
quisque suo domino stat aut cadit. Stabit autem. Sumus,
inquiunt, tuti apostolico priuilegio, cuius beneficio de nutri-
mentis animalium et laboribus nostris decimas retinemus.
Nempe omnia apostolis licent; sed omnia ab apostolicis
fieri nequaquam expedit. Esto quod illi uobis hoc licenter
concesserint; uos an recte petieritis, uideatis. Nempe qui
petit ut quod debet non faciat iustitiae spontaneus non
obedit. Numquid de nutrimentis Abel Dominum non
respexit? Cain fruges obtulit; recte quidem, quia Domino
debebantur, sed in partitione inaequa, dum diuisioni aliquid
subtrahit, peccatum committit. Acceptantur prae illo
munera eius qui fetus animalium cum Domino partitur.
Et forte de animalibus redduntur rectius, quia sine cultura c
et cura nostra proueniunt; plus enim laboris est in frugibus
serendis et metendis. Non coguntur dare de suis. Quis
enim de laboribus alienis redditurus est rationem? Quid
multa? Multis et longis allegationibus uidentur adstruere
quoniam alios decimas dare non prohibent, dum ipsi ab
eis dandis immunes sint quia adeo religiosi sunt quod in
ea parte derogare possunt constitutioni diuinae et in eo
licenter minus grati sunt gratiae Dei quo eam amplioribus
beneficiis experiuntur; quae enim ex sola gratia pro-
ueniunt, ut sunt fena et sponte nascentia, non censentur
obnoxia religioni. Primo quidem, dum religio paupertate
gaudebat et in aliorum necessitates aut usus effundebat
uiscera inopiae suae, indulta sunt priuilegia professionibus d

8 apostolis omnia SM 13 Caim AM: Cahim S optulit A 19 serend' C: serendum M metend' C: metendum M 20 *post* Quid *add.* enim A

1, 2 *eas . . . populus . . . exigitur*: De hoc modo construendi vocabulum *exigor* cum accusativo rei exactae cf. Gell. xv. 14. 3 *Vos autem* etc.: v. Exod. ii. 14, Luc. xii. 14. 4 *qui estis* etc.: v. Rom. xiv. 4. 6 *apostolico priuilegio*: sc. Hadriani IV; v. Alexandri III ad archiepiscopum Terraconensem rescriptum in *Decretal.* III. xxx. c. 10 (ed. Friedberg ii. 559). 8 *apostolis* etc.: v. 1 Cor. vi. 12. 12 *Numquid* etc.: v. Gen. iv. 3 seqq.

quae, necessitate cessante et frigescente caritate, potius auaritiae quam religionis instrumenta creduntur. Ecce enim quia omnes hi priuilegiati quae sua sunt quaerunt, et Iesus, qui praedicatur in publico, aut omnino abest aut in abditis latet. Inde est quod, cum ad iniquum compendium auaritiae priuilegia trahi conspiceret beatus Adrianus, nolens ea omnino reuocare, licentiam eorum hac moderatione compescuit ut quae de laboribus usurpant, circa noualia dumtaxat interpretetur. Sic enim gaudere poterunt priuilegiis sine graui dispendio iuris alieni. Vnum
695 a tamen est quod tantus pater utcumque sustinuit; et, quia patrum canonibus refragatur, mirabile est in oculis nostris. Milites namque Templi sui fauore ecclesiarum dispositionem uendicant, occupant personatus et quodammodo sanguinem Christi fidelibus ministrare praesumunt quorum fere professio est humanum sanguinem fundere. Non equidem quod eos uiros sanguinum dicam qui pene soli inter homines legittima gerunt bella, cum et Dauid non propter bella quae legittime exercebat uir sanguinum dictus sit, sed propter Vriam, cuius sanguinem nocenter effudit. Vt enim canonibus cautum est, laicis quamuis religiosis nulla de

3 hii S

5 *Inde est* usque ad *nostris* (695 A): citat Pauli *M. G. H.*, *SS.*, xxvii. 49. 6, 7 *beatus Adrianus*: i. e. Hadrianus IV papa; v. Ep. 'Nobis in eminenti' (*Reg. Pontif. Rom.* 10444 Jaffé ii. p. 135; App. ad conc. Later. III. xiii. 10 ap. Mansi xxii. p. 330; Migne *P. L.* clxxxviii. 1586); cf. Alexandri III Ep. 'Fraternitatem tuam' (*Reg. Pontif. Rom.* 13873 Jaffé ii. p. 377; App. ad conc. Later. III. xiii. 3 ap. Mansi xxii. 327) et eiusdem papae Ep. 'Ex parte' (*Reg. Pontif. Rom.* 14117 Jaffé ii. 396; App. ad conc. Later. III. xiii. 5 ap. Mansi xxii. 328; *Decretal.* III. xxx. c. 10 ed. Friedberg ii. 559). Haec Hadriano IV iam mortuo et finito *Metalogico*, cuius libri in fine de eodem papa vitam nuper defuncto agitur (iv. 42; Migne *P. L.* cxcix. 945 seq.), addita esse videntur. Obiit Hadrianus Sept. 1. anno 1159. 11 *tantus pater*: cf. *Metal.* iv. 42 de eodem pontifice. 12 *patrum canonibus*: cf. Grat. *Decret.* II. xvi. 7 init. (ed. Friedberg i. 800). *mirabile est* etc.: Ps. cxvii. 23. 13 *sui*: i. e. Hadriani IV; cf. eiusdem *Ep.* 41 (Migne *P. L.* clxxxviii. 1410 seq.) de praebenda quadam Bellovacensi militibus Templi restituenda. 14 *personatus*: i. e. beneficia; v. Du Cange sub voc. *quodammodo*: scilicet per vicarios sacerdotes. 19 *uir sanguinum*: v. 2 Reg. xvi. 7. 20 *Vriam*: v. 2 Reg. xi. 21 *laicis* etc.: v. Synodi Rom. III habiti a. 502 canonem ap. Grat. *Decret.* I. xcvi. c. 1 et II. xvi. 7 c. 24 (ed. Friedberg i. 337, 807).

rebus ecclesiasticis legitur attributa facultas. Esset utique uerae religionis indicium, si ab illius rei dispositione temperarent quam sibi, Domino prohibente, tractare non licet. Sed nec de rapinis (non dico ecclesiarum sed nec b quorumcumque fidelium) munus hospitalitatis implendum arbitror, quia panem sacrilegum odit Deus et aspernatur oblationes quae offeruntur ex sanguine et, quotiens inuocatur a talibus, claudit aures suas ut non pateant ad preces eorum. De his, quae in fraudem iustitiae Dei committuntur a talibus, ad praesens nequaquam sermo est institutus; licet omnino iniquum sit quod amore pecuniae illecti ecclesias, quas episcopi clauserunt, aperiunt. Diuina suspensis celebrant, sepeliunt mortuos quos reicit Ecclesia et semel in anno faciunt ut toto anno erroneus populus ad uocem Ecclesiae obsurdescat; et qui coherceri non potest c emendari contempnit. Circumeunt ergo ecclesias, collegiorum suorum merita praeconantur, abolitiones criminum portant, et interdum praedicant euangelium nouum, adulterantes uerbum Dei, quod annuntiant non ad gratiam sed ad pretium uiuentes, ad uoluptatem non ad ueritatem, et tandem, cum in latibulis sero conueniunt, die de uirtute locuti clunem agitant errore et labore nocturno. Si sic itur ad Christum, fallax et uana est doctrina patrum quae artam et arduam monstrauit uiam homini tendenti ad uitam. Cum uero istis Ecclesia indignetur, nulli omnino aequius commouentur quam uiri uere religiosi in quorum iniuriam haec omnia refunduntur. Succenset populus, sed religiosae professiones aduersus hanc ypocrisis labem iustius d amaricantur. Non enim hoc fecisse dicuntur ypocritae sed Cistercienses aut Cluniacenses aut alii, quorum hi uentiloqui

1 atributa S 6 dominus M 16 contempnat C'S Circueunt AS 18 euuangelium CA 28 hypocrisis CBA

5 *hospitalitatis*: Ad Hospitalarios respicit. 6 *panem* etc.: cf. Isa. i. 14, 15; Malach. i. 7 seqq. 18, 19 *adulterantes* etc.: v. 2 Cor. ii. 17, iv. 2. 21 *de uirtute* etc.: Iuv. *Sat.* ii. 20, 21. 24 *artam* etc.: v. Matt. vii. 14. 30 *uentiloqui*: Hoc vocabulum, quod alibi scriptum non repperi, de hominibus uentosa loquentibus intellegendum est; cf. *uentisonax*, *uaniloquus*. Simili sensu *windbag* utuntur Angli recentiores.

et uentriloqui habitum induunt et uitam mentiuntur.
Nam claustrales qui plane uere religiosi sunt, dum pro-
fessionibus seruiunt, ab hac malitia immunes sunt. Nulla
uita fidelior, nulla simplicior, nulla felicior quam eorum qui
in claustris humiliter degunt, abiectione sua gaudentes,
obedientes praelatis suis in omni subiectione et reuerentia,
nec appetentes sub obedientiae nomine dominatum aut
fraudandi aut uagandi aut otiandi licentiam, uasa sua
possidentes in sanctificatione et honore, praestolantes in
silentio et patientia salutare Dei, a detractione et murmure
696 a alieni, excipientes ab ore Domini in quiete uerbum quod
saluare potest animas suas, grata miscentes cum Deo
colloquia, et quasi terrestres angeli sunt totius mundanae
perturbationis ignari. Si quid autem est quod eos con-
tristare uideatur, ad caritatem fraternam referendum est,
quia et in celis angeli nostris quodammodo lapsibus com-
patiuntur et super uno peccatore penitentiam agente
congaudent. Cum uero philosophos imitari nostro tempore
(quo uirtus exinanita est, et Astream relictis hominibus
ad celos constat rediisse) sit arduum, uita claustralium
uirtutem philosophorum incomparabiliter antecedit aut,
quod melius crediderim, rectissime et tutissime philoso-
phatur. Qui uero ad explendas necessitates eorum egre-
b diuntur humiliter et in eis fideliter uersantur, etsi non
securiorem, plane utiliorem exercent uitam, maxima
laude digni et reuerentia, nequaquam ad Epicureorum uel
ypocritarum factionem accedunt. Nam ypocritas Epicureis

18 phylosophos S 20 constet CBASM 21 phylosophorum S 22, 23 philosophat CB : phylosophatur S 25 post *exercent* add. *et* CBASM maximam CBA¹SM 27 hipochritarum C : hypocritarum BA hypocritas CBSM : hipocritas A

8 *uasa* etc.: v. 1 Thess. iv. 4. 9 *praestolantes* etc.: v. Thren. iii. 26. 11 *excipientes* etc.: v. Iac. i. 21. 16 *in celis* etc.: v. Luc. xv. 7. 19 *Astream* etc.: v. Ov. *Met.* i. 149, 150. 22, 23 *philosophatur*: cf. Hildebert. Turon. *Ep.* i. (Migne *P. L.* clxxi. 141), Abaelard. *Hist. Calam.* c. 7, *de S. Ioanne Bapt. Serm.*, *contra quemdam Canon. Reg.* (ed. Cousin. i. 14, 570, 689). Chrysostomi, qui saepe in scriptis suis genuinis de vita monastica ut de philosophia optima loquitur, homiliam spuriam citat in locis 2° et 3° Abaelardus. Cf. Zeller *Philos. der Griech.* i. 3. n. 2 ed. 1892; Ducange ed. 1886 s. vv. *philosophia, philosophari.*

rectissime aggregabis, qui philosophiam profitentur et propriae seruiunt uoluntati. Cum lites foueant, priuilegiis abutantur, seruiant cupiditati, caritatis officia nequaquam exerceant, propriam quaerant gloriam, nonne secundum carnem ambulant, licet se spirituales mentiantur? merito expectantes interitum carnis, participes futuri gehennae illius qui spiritus est et, quia inani gloria intumescens Altissimo conformari uoluit aut praeferri, deiectus et praecipitatus est in lacum dampnationis eternae? Sane c insani sunt qui hac uia incedunt et miserabiliores omnibus gentibus qui et praesentis uitae bonis priuantur et eternae, maxime cum ille, qui pro peccatoribus peccatum sustinuit fieri et familiarem se exhibuit publicanis et meretricibus, cum ypocritis pacem habere nequiuerit qui non indigebant iustitia eius. Quod planum est his qui altercationes quas cum Phariseis exercuit diligenter attendunt. Nituntur tamen Phariseorum exemplo locum tenere primum.

Cap. 22. *De eisdem; et de Ezechia, qui thesauros, quos ostentauit, amisit.*

Difficillimum aut impossibile asserunt sapientes in praesenti gaudere cum mundo et in eternum exultare cum Christo; et plane miserrimum est torqueri cum mundo d et in eternum cum diabolo flagellari. Si ergo et in hac uita tantum sperantes sunt ypocritae tristes, qui exterminant facies suas ut probi hominibus appareant, et quasi praecinentibus tubis iustitiae suae opera praeconantur, a Domino frustra retributionem expectant, quoniam in praesenti

1 agregabis CBS 9 damnationis C 14 hipochritis C: hypocritis B: hipocritis A 24 ypochrite C: hipocrite A: hypocrite BS

4, 5 *secundum carnem* etc.: v. Rom. viii. 4; 1 Cor. iii. 1. 7 *illius*: i. e. diaboli. 8 *Altissimo* etc.: v. Isa. xiv. 14, 15. 12 *peccatum*: v. 2 Cor. v. 21. 13 *familiarem* etc.: v. Matt. xi. 19; Luc. xv. 1 seqq. *publicanis et meretricibus*: v. Matt. xxi. 31, 32. 14 *non indigebant*: v. Luc. xv. 7. 15 *altercationes* etc.: v. Matt. xxiii. 13 seqq.; Marc. vii. 5 seqq. 17 *locum tenere primum*: v. Luc. xiv. 8. 23, 24 *in hac uita tantum sperantes*: 1 Cor. xv. 19. 24 *ypocritae tristes* etc.: v. Matt. vi. 16. 25, 26 *praecinentibus* etc.: v. Matt. vi. 2.

receperunt mercedem suam. De his enim qui uerbo et habitu tenus honorant Dominum ex sententia eius constat quoniam ipse elongatur ab eis eo quod cor eorum ab eo elongatum est, sed et ipsa opera eorum dispendium salutis afferunt et Babiloniorum principi Sathanae famulantur; omnia enim quae ostentationis gratia fiunt proficiscuntur
697 a in mortem. Regum narrat historia quod, cum Ezechias rex Ierusalem per manum Ysaiae filii Amos signum incolumitatis et salutis a Domino accepisset, umbra orologii retrorsum cedente decem gradibus (quod naturae uidetur aduersum, cum umbra procedere soleat, non redire), misit Barodach Baladam, filius Baladam, rex Babiloniorum, litteras et munera ad Ezechiam; audierat enim quod egrotasset Ezechias. Letatus est autem in aduentu eorum Ezechias et ostendit eis domum aromatum et aurum et argentum et pigmenta uaria, unguenta quoque et domum uasorum suorum et omnia quae habere poterat in thesauris suis. Non fuit quicquam quod non monstraret eis Ezechias in domo sua et in omni potestate sua. Venit autem Ysaias propheta ad regem et dixit ei: Quid dixerunt uiri isti aut
b unde uenerunt ad te? Cui ait rex: De terra longinqua uenerunt, de Babilone. At ille respondit: Quid uiderunt in domo tua? Ait Ezechias: Omnia quae sunt in domo mea uiderunt; nichil est quod non monstrauerim eis in thesauris meis. Dixit itaque Ysaias Ezechiae: Audi sermonem Domini. Ecce dies uenient et auferentur omnia quae sunt in domo tua, et quae condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babilonem; non remanebit quicquam, ait Dominus. Sed de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur et erunt eunuchi in palatio regis Babilonis. In superficie quidem historiae secundum Hebreos auctore Ieronimo ueritas liquet, cum Ananias Azarias
c Misael cum Daniele captiuati sunt in Babilonem ibique

8 iherusalem S 9 a *om.* M 12 baradach A 23 ecechias A 25 Dixitque M 29 egrediuntur M ex] de M

1 *De his* etc.: v. Isa. xxix. 13; Matt. xv. 8. 7 *Regum* etc.: v. 4 Reg. xx. 32 *auctore Ieronimo*: v. Hieron. *Comm. in Dan. i.* 3 (Migne *P. L.* xxv. 496).

castrati ut in regis palatio secundum morem gentium ministrarent; nisi forte repugnet quod pueri sine macula a rege iubentur introduci ut linguam discerent Caldeorum, et constet quod non modo thesauri regis Iudae in Babiloniam translati sunt sed magna pars uasorum templi Domini in Ierusalem asportata legatur et prophanata. Eleganter tamen, cum Dominus regi miraculum indulsisset, Babiloniorum dicuntur nuntii cum muneribus accessisse. Quia tunc praecipue quis sollicitatur a nuntiis confusionis, quando per admirabilem clementiam Dei uirtus eius clarius innotescit. Sed tunc imprudentis est exultare, quia hi non modo suspecti habendi sunt sed quasi hostes perniciosissimi d
studiosius deuitandi, quia timendi sunt etiam cum dona ferunt. Qui ergo aromata bonorum operum, uirtutis aurum, argentum eloquentiae, cogitationum pigmenta, unguenta misericordiae et utensilium suorum aptitudinem ostentat et decorem, et si qua in thesauris bonae conscientiae cautius et utilius reponuntur, audiat uerbum Domini sciatque pro certo quia omnia, quae militare uidebantur ad gloriam, confusionis stipendium et mortis acceptura sunt. Ipsaque etiam filiorum successio Babiloniorum castratur principi, quia ea quae alias meritum uirtutis habent et fructum, dum inanis gloriae causa fiunt, inutilia sunt actori. Iustus enim remunerator ypocritas spernit et solius ueritatis in bono cultum acceptat; cuius oculi nullo fuco nulla malitia 698 a
praestringi possunt, quia uidet in abditis et cordium profunda scrutatur. Species discernit a rebus

---

3 chaldeorum M 6 iherusalem S 23 auctori M 24 hipocritas A: hypocritas CBS spernit] aspernatur CS

---

2 *pueri* etc.: v. Dan. i. 3 seqq. 4 *thesauri* etc.: v. 4 Reg. xxiv. 13; Dan. i. 2, v. 2. 9 *confusionis*: Babylon enim a confusione nomen accepit; v. Gen. xi. 9. 13 *timendi* etc.: v. Verg. *Aen.* ii. 49. 14 *aromata* etc.: v. 4 Reg. xx. 13; Isa. xxxix. 2. *bonorum operum*: cf. pseudo-Bed. *Quaest. in* 4 *Reg.* c. 7 (Migne *P. L.* xciii. 449). 20 *stipendium mortis*: v. Rom. vi. 23. 24 *remunerator*: v. Heb. xi. 6. *solius ueritatis* etc.: cf. Ioann. iv. 23. 26 *uidet in abditis*: v. Matt. vi. 6, 18; ubi ad locum alterum lectionem *absdito* pro Vulg. *abscondito* e codice Harleiano referunt Wordsworth & White. *cordium* etc.: v. Ierem. xvii. 10; 1 Cor. ii. 10.

ne qua sub erato mendosum tinniat auro.

Vnde et ypocrisis nomen accepit, quae quidem Epicureorum indubitata species est.

Cap. 23. *Quod Cartuarienses, dum moderationis habenis auaritiam cohibent, et Magni Montis noua religio, dum omnia mundana contempnens et de crastino non cogitans repellit omnia, auaritiam excludit, ab ypocritarum nota et nomine longius absunt; et qui sint seculares aut religiosi; et quae regula actiuorum et quae otiosorum; et quis sit finis ypocriseos.*

Ypocritarum autem nomen et notam cautissime et fide- b lissime declinant Cartuarienses et Magni Montis noua professio in antiquae uirtutis culmine, Saluatore praeuio, solidata. Siquidem Cartuarienses cupiditati suae immo necessitati limites praefixerunt et moderationis habenis omnem auaritiam cohibent et interdum ipsi necessitati aliquid subtrahunt ne sub obtentu illius quippiam auaritia moliatur. Magni proculdubio uiri et inter praecipuos numerandi, cum non modo professiones sed iam senescente mundo in tanta multitudine labentium seculorum pauci processerint homines qui satietatis sibi aliquos praescripserint terminos. Necesse est semper deesse aliquid curtae rei, et ipse hiatus desiderii, aliquid ulterius iugiter affe-

1 errato C^1BM 2 hypocrisis CBS: hipocrisis A 4 cartusienses SM (*qui tamen forsan* cartuarienses *habuerunt*). 8 hipocritarum CAS: hipochritarum B 10 hypocriseos CA: hipocriseos BS (-seos *deest* B) 11 Ypochritarum B 12 cartusienses S^2M^2 14 cartusienses S^2M^2 17 optentu A 21 satietati C: sacietati A

1 *ne qua* etc.: Pers. *Sat.* v. 106. *sub erato*: *subaerato* Pers. 2 *Vnde et ypocrisis* etc.: i. e. ex *Epicureorum* nomine *hypocrisis* nomen suum accepit, quia hypocritae specie tantum boni sunt, re tamen Epicurei, id est voluptatis studiosi. 11 *nomen et notam*: v. Verg. *Aen.* iii. 444. 12, 13 *Magni Montis noua professio*: i. e. ordo a. S. Stephano Muretano a. 1076 apud Muretum fundatus, qui ab eiusdem successore a. 1124 ad locum Grandis seu Magni Montis (*Grandmont*) iuxta Lemeticum (*Limoges*) translatus est. 13 *Saluatore praeuio*: cf. infra 699 c. 22, 23 *semper deesse aliquid curtae rei*: v. Hor. *Carm.* iii. 24. 64 *Curtae nescio quid semper abest rei.* Nescio equidem quo auctore haec citaverit Ioannes, qui praeter Satiras et Epistolas nihil Horatii legisse videtur; cf. supra ad vi. 18 (617 B).

ctantis, imperfectionis signum est. Signum dico; defectum potius dixerim conscientiae manifestum. Quodam igitur c
modo eoque glorioso perfectus est qui praeuidet unde ualeat satiari; quod etsi neminem uel admodum paucos gentilium assecutos credam, huic tamen nonnullos institisse proposito certum habeo, cum et ethicus dicat: Certum uoto pete finem; sine quo in infinitum animi humani conatus protenditur et in id quod omnino nequeat apprehendi. Porro Magni Montis incolae uitam praearduam elegerunt et, non modo auaritiae sed ipsius naturae quodammodo domitores, omnia necessitatis imperia excluserunt, abiecerunt sollicitudinem crastini. Omnia mundi oblectamenta contempnere parum est apud eos; quacumque ad portas eorum quis pulset imagine, excluditur et confusus abscedit; in eas quippe d
solus Christus ingreditur, cuius innituntur gratiae, iactantes cogitatum suum in eum qui paruulos enutrit et dat iumentis escam pullisque coruorum; lilia uestit agri et omnibus sperantibus in se aut constitutionis suae obtemperantibus legi necessaria praestat ut nichil desit his qui se eius non subtraxerint uoluntati. Totam ergo sollicitudinem suam et omnem in eum proiciunt, cui de fidelibus cura est, adeoque prudentiae deuitant angustias ut uita eorum tota nonnullis temptatio uideatur; sancti siquidem patres genus temptationis diffiniunt, cum quis agendorum habenas diuino dumtaxat committit miraculo, humano nondum auxilio destitutus. Ceterum ego uitam placentem Deo arbitror cupiditatis ignaram, insistentem innocentiae et peruigilem in opere caritatis. Quid ergo in his aut in illis sibi palliata 699 a
ypocrisis uendicabit, cupiditate deducta? Regula namque uerissima est, quod de radice caritatis non oriuntur mala

6 eticus C^{1}S 8 aprehendi S 16 et *om.* M 19 his *om.* A 20 subtraxerunt M 22 prouidentie CA 29 hypocrisis CBS

6 *Certum* etc.: Hor. *Ep.* i. 2. 56. 11, 12 *sollicitudinem crastini*: v. Matt. vi. 34. 15 *iactantes* etc.: v. Ps. liv. 23. 16 *dat iumentis* etc.: v. Ps. cxlvi. 9. 17 *Lilia* etc.: v. Matt. vi. 28, 30. 20 *Totam* etc.: v. 1 Petr. v. 7. 23 *sancti siquidem* etc.: cf. Walafrid. Strab. *Gloss. in Matt.* iv. 6: *Nemo debet tentare Deum quando habet ex humana ratione quid faciat.*

et de cupiditatis planta nequaquam bona prouenient. Nec est quod displiceat Deo, ubi sincerae uoluntatis uictima immolatur; aut quod eum non offendat, si in qualibet pingui oblatione propriam ei quis subtraxerit uoluntatem. Ergo qui suam uoluntatem facere disponit, irritat Dominum; et qui sua postposita illius se subicit uoluntati, Altissimum placat. In eo siquidem solo uerae iustitiae summa consistit. Vnde illud in Euangelio: Iudicium meum, inquit Dominus, iustum est, quia non facio uoluntatem meam sed uoluntatem
b eius qui misit me. Moyses quoque in Leuitico: Omnis oblatio, quae offertur Domino, absque fermento fiet; nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. Superbiae namque fermentum offertur et mellis, cum quis neglecta humilitate et amaritudine mandatorum quippiam offert ad nutum propriae uoluntatis. Qui uero mandatis legittimis propriam subicit uoluntatem, quicquid offerat, tumorem fermenti et mellis a sacrificio prohibitam scilicet excludit dulcedinem. Isti itaque propriae uoluntatis immemores, quaerentes iugiter quomodo placeant ei cui se probauerunt, laudem, quae ab hominibus est, contempnentes, nec habentes nec uolentes habere diuitias, quam dicendi sunt habere cum ypocritis portionem? Quod tamen mira-
c beris, iam ad Cartuarienses diuertisse dictus est aliquis, ut a sanctorum consortio euocatus ascenderet, et postea conuersus retrorsum quid quaesierit operum testimonio declarasse. At ille iudicem suum habet, nec tamen umquam committere potuit ut sanctissimae professionis gloriam denigraret. De Magno Monte neminem adhuc assumptum audiui; sed utinam aut numquam assumatur aut talis qui nullo decoloret actu hominum singularis eminentiae uenustatem. Alii Basilium, alii Benedictum, hi Augustinum

---

8 euuangelio CA 10 Moises S 16 legitimis A 22 ypochritis C: hypocritis B: hypocritie S 23 cartusienses S[2]M[2]

---

8 *Iudicium* etc.: Ioann. v. 30. 10, 11 *Omnis oblatio* etc.: Lev. ii. 11. 20 *laudem* etc.: v. Rom. ii. 29. 22 *cum ypocritis portionem*: v. Matt. xxiv. 51.

at isti singularem magistrum habent Dominum Iesum Christum. Licet autem duas istas professiones, minus tamen quam meruerint, commendauerim, nichil (Deo teste) in suggillationem aliorum in professionibus suis recte incedentium protuli. Sancti sunt utique Cistercienses, [d] Cluniacenses sancti; sancti monachi et canonici regulares, et in his, sicut stella a stella differt in claritate, sunt alii aliis sanctiores; et quamuis professionem professio antecedat, in quauis earum forte reperientur qui possint sanctis superioribus adaequari. Plane uirginum primus gradus et singularis gloriae titulus est; in continentibus tamen et coniugatis forte sunt aliqui multis uirginibus praeferendi. Confessoribus martyres praeferendos catholica confitetur Ecclesia; et tamen nonnullos confessores aliquibus martyribus forte quod ad aliquid non uerebitur coaequare. Nec est quod se aliquis secularium mei scilicet similium iam dictis professionibus conferat, quia uix est ut quispiam [700 a] talis uel ignauo cenobitae possit aequari. Si quis enim in nobis a Septembris Idibus usque ad Pascha ieiunet omni die, nocturnis assit uigiliis, iugiter abstineat ab esu carnium, omnem Veneris immunditiam nesciat, horis competentibus numquam desit aut raro et hoc ex iusta causa, sobrietatis limites non excedat, cautam ponat silentii custodiam ori suo, et diurnos excessus deleat satisfactione cotidiana, et quod praecipitur incunctanter et sine mora expleat, et non modo uerborum sed et uerberum acrimoniam sufferat patienter ut coram tondente se obmutescat; quis non eum

4 suggillatione M 8 professionem] professione M 9 repperientur A 13 martires AS praeferendo M 14, 15 martiribus AS 20 esu] usu M

1 *isti*: sc. Grandimontani. *singularem* etc.: cf. supra 698 B *Saluatore praeuio.* In Vita S. Stephani, istius Ordinis fundatoris, (Migne *P. L.* cciv. 1021 seqq.) legimus illum a cardinalibus quibusdam interrogatum se nec canonicum nec monachum nec eremitam esse respondisse; quod dictum verisimile est de nullo magistro praeter Christum agnoscendo postea interpretatos esse Grandimontanos. 7 *stella* etc.: v. 1 Cor. xv. 41. 12 *forte sunt aliqui multis uirginibus praeferendi*: Haec verba notavit Parkerus in cod. C. 19, 20 *a Septembris Idibus usque ad Pascha ieiunet omni die*: sc. usque ad nonam, in quadragesima vero usque ad vesperam; v. S. Bened. *Reg.* c. 41. 23 *ponat* etc.: v. Ps. cxl. 3. 27 *coram tondente* etc.: v. Is. liii. 7.

quasi uirtutis egregiae et singularis meriti hominem admiretur et cum reuerentia praeconetur tamquam reuera b apostolicum uirum et expressum Christi imitatorem? Haec autem etiam ignaui ex necessitate tamen faciunt cenobitae. Nam in eo a studiosis differunt, quod illi ex dilectione exercent ea ad quae isti stimulo necessitatis urgentur et saepe inuiti. Sunt tamen in habitu communi quos seculares non audeo nominare, cum nichil seculare sit dicendum in talibus, nisi quod seculo nequam amoris federatur affectu. Sicut enim praeputium nichil est et circumcisio nichil, sed obseruatio mandatorum Dei; sic, ut religiosorum pace dicam, monachatus nichil est et canonicatus nichil, mandatorum obseruatione deducta. Haec igitur tandem prosunt, si quis legem obseruet. Si uero sine his quispiam obseruat c legem, eum nequaquam dixerim secularem. Verumtamen geramus morem religiosis; sint seculares interim quos uestis pulla ab aliis non discernit. Nulla enim iactura nominis nisi secularis sit et uita. Indignantur aliqui quod de religiosis ego habitu secularis et conuersatione peccator ista pronuntio, et, dum commendo cenobitas, me aliis detrahere criminantur. Aduersus hos non Cesarem sed Benedictum appello, qui sicut girouagos et sarabaitas arguit, sic manifeste commendat cenobitas. Auctor mihi Ieronimus est, licet eum nonnulli monachorum minus benigne audiant eo quod clericos quod ad aliquid uisus est praetulisse. Auctor est, inquam, quod uestis nequaquam religionis differentiam faciat, sed in omni habitu qui timet Deum et operatur d iustitiam acceptus est illi. Idem quoque ait: Vestes pullas aeque uita ut candidas. Ornatus ut sordes pari modo fugienda, quia alterum delicias alterum gloriam redolet. Non absque lineo amictu incedere sed pretium linearum uestium non habere laudabile est. Et manifeste uidetur

22 apello CBS girouagas CAM[1]

10 *praeputium* etc.: v. 1 Cor. vii. 19. 21 *Cesarem*: v. Act. App. xxv. 11. *Benedictum*: v. Bened. *Reg.* c. 1. 27 *in omni* etc.: v. Act. App. x. 35. 28 *Vestes* etc.: Hieron. *Ep.* lii (ad Nepotianum de vita clericorum et monachorum) c. 9 (Migne *P. L.* xxii. 535).

exprimere sectam temporis nostri, hominum scilicet qui
irregularem quandam regulam profitentur, quos an ex
uerbis eius possis agnoscere audi quid in continenti subiungat.
Alioquin, inquit, ridiculum et plenum dedecoris est referto
marsupio quod sudarium et orarium non habeas gloriari.
Sunt qui pauperibus parum tribuunt ut amplius accipiant
et sub praetextu elemosinae quaerunt diuitias; quae magis
uenatio appellanda est quam elemosina. Sic bestiae, sic 701 a
aues, sic capiuntur et pisces. Modica esca in hamo ponitur
ut in eo matronarum sacculi protrahantur. Est utique
melius non habere quod tribuas quam ut tribuas petere
impudenter. Non habent fratres Hospitalis uel alii quid
hic de me querantur. Qui enim haec loquitur, doctor
Ecclesiae est; et forte ad eos Ieronimus non respexit.
Ipsi, licet ego non nouerim, nouerunt regulam suam. Noui
tamen regulam ueritatis qua michi constat quia religio
munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est,
uisitare pupillos et uiduas in tribulatione eorum et immaculatum
se custodire ab hoc seculo. Haec autem politicorum
omnium est; et bene cum istis agitur, si eam fideliter
seruant. Porro in sacro otio Dei degentium regulam in
se propheta exprimit dicens: Prouidebam Dominum in b
conspectu meo semper, quoniam a dextris est michi ne
commouear; propter hoc delectatum est cor meum; et Maria,
exempta a turbis et in Euangelio sedens secus pedes Domini
ut audiret uerbum eius. At, ut de ypocritis sermo claudatur,
quid beatus Iob de his pronuntiet proferatur in medium.
Hoc, inquit, scio a principio, ex quo positus est homo super
terram, quod laus impiorum breuis sit et gaudium ypocritae
ad instar puncti. Si ascenderit usque in celum superbia

---

8 apellanda CBS 23 dextris *om.* S 24 commouear *om.* CBS delectatum] l. (*i. e.* letatum) A est *om.* CBS 25 euuangelio CA

---

4 *Alioquin* etc. (usque ad *impudenter*): Hieron. loc. supra cit. 16 *religio* etc.: Iac. i. 27. 19 *politicorum*: id est, ut videtur, eorum qui vitam civilem sive saecularem degunt. 22 *Prouidebam* etc.: Ps. xv. 8, 9. 24 *Maria*: sc. regulam in se exprimit. 25 *sedens* etc.: v. Luc. x. 39. 28 *Hoc scio* etc.: Iob xx. 4–7.

eius et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.

Cap. 24. *De inuidis et detractoribus.*

Ecce quam miser est finis ypocritarum qui (sacro testante c eloquio) perdentur ut sterquilinium quo nichil immundius est. Frustra ergo affectauerunt umbram bonorum operum; nam, si bona essent, reuera nequaquam perderentur. Vt desideria carnis implerent, quae aduersus spiritum concupiscit, multa sustinuerunt in fame et siti, in frigore et nuditate et similibus, quibus Christi pretiosum emi poterat margaritum. Non enim in sola immunditia uel gula consistunt opera carnis, cum Apostolus ad Galathas loquens ea in multis uitiis manifesta esse conuincat, ut sunt fornicatio, immunditia, auaritia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiae, contentiones, emulationes, irae, rixae, dissensiones, hereses, sectae, inuidiae, homicidia, ebrietates, commesationes, et similia, quae qui committunt, d regnum Dei non possidebunt. Siue ergo ad finem immunditiae et luxuriae siue ad inanis gloriae uel auaritiae exitum opera referantur, quia priuantur fine suo, mortem incurrunt. Vnde idem Apostolus: Non efficiamur, inquit, inanis gloriae cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Sane uitia, quibus falsa iustitia innotescit, prudenter et eleganter expressit, cum arrogantiae tumor facile prouocet unde sibi prouenire uictoriam opinatur, et liuor illis inuideat quos superiores putat esse uel pares. Quo quidem nichil crediderim esse miserius, licet nulla miseria minus moueat misericordiam (et hoc recte) quam calamitas eorum

1 tetitegerit A 17 comessationes B: commessationes S[1] 19 et] uel CS

5 *perdentur ut sterquilinium*: v. Iob xx. 7. 8 *desideria* etc.: v. Gal. v. 16, 17. 9 *in fame* etc.: v. 2 Cor. xi. 27. 10 *pretiosum* etc.: v. Matt. xiii. 46. 13 *manifesta* etc.: v. Gal. v. 19–21. 14 *auaritia*: in Vulg. deest. 16 *hereses, sectae*: duplex eiusdem vocabuli Graeci, αἱρέσεις scilicet, interpretatio; cf. Aug. *de Serm. Dom.* ii. 81 (Migne *P. L.* xxxiv. 1306). 21 *Non efficiamur* etc.: Gal. v. 26.

qui sponte beatitudinem abiecerunt. Quis enim compatiatur eis qui a felle malitiae malunt esse miseri quam 702 a beati? Patribus siquidem pridem placuit beatitudinem consistere in uirtute, et nullam sine caritate posse esse uirtutem, cuius utique fructus iocundissimus est, Apostolo testante qui operibus carnis haec opera Spiritus quae ad uitam proficiunt euidenter opponit; quae sunt pax, patientia, longanimitas, bonitas, gaudium, mansuetudo, continentia, castitas. Qui ergo hos uirtutis ramos a terra cordis sui succidunt et radicem caritatis, de qua oriuntur, exterminant, quanam uia ad beatitudinem pergunt? Plane nichil est quod magis caritatem impugnet quam uenenum inuidiae. Est autem inuidia, ut philosophis placuit, tristitia ex apparenti prosperitate alicuius initium ⟨habens⟩. Si enim de tiranni uel peruersi ciuis apparenti quis prosperitate tristatur, b nequaquam deturpatur inuidiae macula. Nam et bonis displicet, cum in perniciem multorum succedit his qui ad mala creduntur proniores. Si ergo liuor bonis affligitur alienis, planum est quod a caritate plurimum distat quae sua non quaerit sed proximorum. Caritas in bonis nichil suum, in malis nichil reputat alienum; malis compatitur alienis, bona sua diffundit in proximos; nam et animos unit ut idem uelint idemque nolint. Ait magnus pater Augustinus: Tolle inuidiam; meum tuum est et tuum meum. Et forte non erit aliquid meum uel tuum sed omnia nostra erunt. Ipsa enim est quae, quod sibi uult abesse,

---

7 *post* sunt *lacunam habet* S 14 habens *deest in codd.* 20 querat A *post* sed *add.* quae M Karitas CBASM

---

3 *Patribus* etc.: Ita passim docet Augustinus, apud quem tamen totidem verbis expressam sententiam haud inveni. 5 *Apostolo* etc.: v. Gal. v. 19–23. 11 *nichil est* etc.: cf. Aug. *de Catech. Rud.* 4 § 8 *caritati nihil aduersius quam inuidentia* (Migne *P. L.* xl. 315). 13 *Est autem inuidia* etc.: Hanc invidiae definitionem unde deduxerit Ioannes nescio; quam tamen planum est eiusdem Stoicorum sententiae interpretationem esse quam refert Diog. Laert. vii. 111 et hoc modo reddit Cicero *Tusc. Disp.* iv. 8 § 17 *Invidentiam esse dicunt aegritudinem susceptam propter alterius res secundas.* 24 *Tolle* etc.: v. Aug. *in Ioann. Tract.* xxii. 7 § 8 (Migne *P. L.* xxxv. 1646). 26 *Ipsa*: sc. invidia; cf. Hieron. *in Gal. v.* 21 (Migne *P. L.* xxvi. 417), Isid. *Diff.* ii. 40 § 165 (Migne *P. L.* lxxxiii. 96).

c idem proximo abesse desiderat et, si non absit, infeliciter cruciatur, et saepe in eo quod non desiderat, dum illud proximo uidet adesse, torquetur. Recte quidem, cum et ethicus dicat quia

iustius inuidia nichil est quae protinus ipsum
 auctorem rodit, excrucians animum.

Nec leue tormentum credas quo nullum grauius potuerunt Siculi excogitare tiranni. Pestem hanc, licet poetici nube figmenti, Naso depinxit eleganter quidem et uere:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto;
nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
pectora felle uirent, suffusa est lingua ueneno.
Risus abest, nisi quem uisi fecere dolores,
uixque tenet lacrimas quia nil lacrimabile cernit.
Nec fruitur sompno uigilantibus excita curis,
d sed uidet ingratos intabescitque uidendo
successus hominum, carpitque et carpitur una,
suppliciumque suum est.

Non est autem minus uera descriptio, licet rei incorporali corporis compositionem auctor adscribat, cum in eo figurae quae sarcofegia uel sarcographia dicitur uis consistat quod rebus incorporalibus corporis lineamenta licenter adtribuit. Hoc quidem potius adtendendum quod nulla uis beneficii aut naturae flammam restinguit inuidiae. Nam et Palladis uiribus et forma motam describit Inuidiam; et sororis felices thalamos soror stimulata ferre non potuit et ut

2 *post* illud *add.* in A 3 abesse A 15 somno C 21 sarcografia S 24 flamam CS

5 *iustius* etc.: Hos versiculos citat Hieron. loc. supra cit., ubi ait: *Pulchre quidam de neotericis, Graecum versum transferens, elegiaco metro de invidia lusit, dicens: Iustius* etc. 7 *tormentum* etc.: v. Hor. *Ep.* i. 2. 58, 59. 10 *Pallor* etc.: Ov. *Met.* ii. 775–782. 14 *uixque tenet* etc.: Hunc versum 796 post 773 legisse videtur Ioannes. 21 *sarcofegia uel sarcographia*: Haec vocabula hoc loco tantum exstare videntur; quid significent, satis explicat Ioannes ipse; cuius ex interpretatione facile colligi potest *sarcographiam* potius quam *sarcofegiam* scribi oportuisse. 25 *describit*: sc. Ovidius: v. *Met.* ii. 773, 774. *sororis* etc.: Ad fabulam Aglauri Hersae sorori a Mercurio amatae invidentis respicit; v. Ov. *Met.* ii. 708 seqq.

promissam numini uel germanae fidem seruaret, nullo pretio potuit inclinari.

Saepe mori uoluit ne quicquam tale uideret.

Ad parricidii facinus in fratrem patriarchas excitauit in- 703 a
uidia, ut nec impune reuelare licuerit gratiam quam Spiritus innocenti monstrabat in sompnis. Ergo seruitute dampnatur innocens frater, pater orbitate, et, ut dispositionem gratiae Dei euacuet, in se famem, seruitutis iugum, calamitatem exilii, calumpnias Egiptiorum, seuitiam Pharaonis a iusto iudice iniquitas impetrauit. Manus Ioseph in laboribus seruierunt, et successio eorum in luto et latere ipsisque paleis reputatur indigna. Videas multos eisdem liuoris urgeri stimulis, ut quos possunt obices opponant gratiae et dispositionem Altissimi nitantur impedire. Si forte quasi sompniando coniciunt alicuius prouectum, obstant, reluctantur, ut quasi fratrem Ismahelitis exponant; si non occidant, incrustant ipsam sinceritatem et, ut proprium b
praetexant scelus, innocentis tunicam ostendunt cruentatam. Hanc enim in multis uideo descriptionem, qui ad omnia felicioris aurae momenta uruntur, sibique uellent aduersari fortunam, dum alii grauius lederentur. Et, ut Esopo uel Auiano credas, uidebis qui sibi oculum alterum erui gaudeat, dum utroque priuetur proximus. Nec est qua uia declines inuidiam, nisi miserrimus fias. Celebre namque est ab antiquo prouerbio quia sola miseria nescit inuidiam, fortunaque hominis miserrima est cui non inuidetur.

---

6 monstrabit M[1] 9 egyptiorum B 15 somniando S 16 ismahelis B : hismaelitis A : ismaelitis S 17 occidunt AS

---

3 *Saepe mori* etc.: Ov. *Met.* ii. 812. 4 *parricidii* etc.: v. Gen. xxxvii cum capitulis sequentibus. 10 *Manus* etc.: v. Ps. lxxx. 7. *in laboribus*: sic *in cophino*, quod habet Psalmus, interpretatur Augustinus *Enarr. in Ps. lxxx* (Migne *P. L.* xxxvii. 1037) *Per cophinum significantur opera seruilia.* 11 *in luto et latere*: v. Exod. i. 14. 11, 12 *ipsisque paleis* etc.: v. Exod. v. 7. 17 *incrustant ipsam sinceritatem*: v. Hor. *Sat.* i. 3. 56. 18 *tunicam* etc.: v. Gen. xxxvii. 31 seqq. 22 *Auiano*: v. Avian. *Fab.* 22 de cupido et inuido (ed. Ellis p. 24 seqq.; Baehrens *Poet. Lat. Min.* v. 52 seq.). 25 *sola* etc.: Hoc proverbium ita, tacito auctore, citat Margalits in *Florilegio prouerbiorum: sola miseria caret inuidia.* 26 *fortunaque* etc.: cf. Ov. *ex Ponto* ii. 2. 31 *fortuna miserrima tuta est.*

Fertur Plato, cum ei condiscipuli inuiderent, Socratem
interrogasse qua ratione posset hominum declinare inui-
c diam. Cui Socrates: Esto, inquit, ut Tersites. Dum ergo
torquentur inuidi, alios miseriae suae uolunt esse participes,
undique quaerentes ut noceant, et ipsam innocentiam
quandam putant esse mortis imaginem. Vnde Maro, ut
ab uno discas omnes, notans inuidum ait:

Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

Quo nichil minus decet philosophum aut uirum auctoritate
uel moribus grauem. Vnde Socrates, non ille antiquus sed
quem auctorem gestorum Cassiodorus in Tripertita laudat
Historia: Quod, inquit, Iulianus tonsores et cocos a palatio
expulit, non modo imperatoris sed et philosophi opus egit;
ut autem detraheret atque dilaceraret, neque philosophi
neque principis fuit. Cum enim ex quacumque causa
d cessant opera, decurritur ad malitiam detrahendi. Haec
est utique indubitata proles inuidiae et caritatem abesse
manifesto indicio protestatur. Et nunc quidem bona aliena
peruertit, nunc minuit; mala aut fingit quae non sunt, aut
magnificat et extollit si qua sunt. Caritas non agit per-
peram; at haec sola peruersitate letatur. Cum Apostolus
uitia gentium multa enumeret, nouissime et quasi in
culmine malorum (siue profundo rectius dixerim) posuit
detractores, eosque tamquam singulari nota diuinae boni-
tatis hostes exprimens quasi solos Deo odibiles esse
pronuntiat. Verumtamen illos Deo odibiliores inter ceteros
esse crediderim, qui latenti odio, ut magis noceant eisque
704 a credatur fidelius, laudes praedicant alienas, amicitiam
simulant, subicientes tamen in calce sermonis uel modicum
quod praecedentibus titulis aduersetur:

12 hystoria A 20 Karitas CBAS 26 Verumptamen A

1 *Fertur Plato* etc.: Quo auctore hoc narret Ioannes, nescio. 7 *ab uno discas omnes*: v. Verg. *Aen.* ii. 65, 66. 8 *Et, si non* etc.: Verg. *Ecl.* iii. 15. 12 *Quod Iulianus* etc.: v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 1 (Migne *P. L.* lxix. 1032). 13 *non modo imperatoris sed et philosophi opus egit: opus philosophi, non tamen imperatoris egit* Cassiod. 20 *Caritas* etc.: 1 Cor. xiii. 4. 21 *Apostolus* etc.: v. Rom. i. 30.

Felix et nato, felix et coniuge Protheus;
et cui, si demas iugulati crimina Phoci,
omnia contigerant.

Numquid tanti parricidii labes omnes non modo fortunae dotes sed quamuis magnificae uirtutis titulos grandes non obliterat? Tale est illud oratoris: Iulium Fortunatum fateor uirum fortem et quem constat strenue egisse quam plurima; quo tamen pacto iudicium repetundarum apud iudices iustos euaserit mirarer quidem, si uis eloquii eius michi esset incognita. Hoc nonne uenenum est et quodammodo speciem boni operis et, ut ita dicam, uirtutis uitam extinguit? Et quidem de Gnatonicis, id est de b adulatoribus, multa superius dicta sunt; sed quos deteriores dixerim, Gnatonicos an detractores? Non satis liquet. Vtrumque tamen uitium apud antiquos inuenio morte multatum. Nam et Athenienses Thimagoram inter officia salutationis Dario regi more gentis illius adulantem capitali supplicio affecerunt; et Lacedemoniorum senatus Caristolum interimi iussit eo quod magnorum uirorum carpere facta maluit quam palam constantia uirili arguere; hoc enim apud bene compositos semper licuit ut quisque suo iudicio uteretur palamque reprehenderet quod nequaquam recte factum uideretur. Siquidem hanc reprehendendi licentiam caritate subnixam libertas approbat, et c tirannica dumtaxat rabies perhorrescit et impedit. Ceterum detractores et inuidos sic in curia uidebis abundare ac si in eam, quasi totius orbis sentinam, confluxerint. Non est cetus conuiuentium, nisi religiosissimus sit, quem liuoris stimulus non adtingat. Vbique tamen qui illustrioribus clarescunt meritis acrius inuidiae toxicato dente roduntur.

3 contingant S[1]: contingerant C[1]S[2] 16 mulctatum M 20 constantie CS 21 bene *om.* A bene apud C[1] 24 karitate S 26 habundare A[1]M

1 *Felix* etc.: Ov. *Met.* xi. 266–268. *Protheus*: *Peleus* Ov. 6 *illud oratoris*: Quae sequuntur nusquam alibi adhuc repperi; forsan ex Cic. *de Republica* desumpta sunt; cf. Hor. *Sat.* i. 4. 93 seqq. 13 *superius*: v. supra vi. 27, 30. 16 *Athenienses* etc.: v. Val. Max. vi. 3 ext. 2. 18 *Lacedemoniorum* etc.: Hoc nusquam narratum inveni. 27 *quasi totius orbis sentinam*: cf. Sall. *Cat.* 37 § 5.

Vrit enim fulgore suo qui praegrauat artes
infra se positas; extinctus amabitur idem.

Sed prae ceteris serui dominos, praelatos subditi insequuntur. Nam sicut seruorum, ita et subditorum genus plerumque querulum est et aut se iniuste premi aut indigne remunerari studia aut officia male administrari causatur. d Raroque inuenies qui in aliquo non detrahat praesidenti, etsi interdum omnia recte gerantur. Comicos relege, reuolue tragicos, familiam fere semper patrifamilias uidebis ingratam. At non modo in curia sed in scola, sed in claustro, sed in capitolio morem hunc, si tamen domestica uitia sunt moribus aggreganda, miraberis optinere. Venerabilis pater Gilebertus Herefordensis episcopus michi referre consueuit claustralium morem quem in se ipso se fatebatur expertum. Cum enim monasterium ingressus esset, feruens adhuc igne quem de nouo conceperat, magistratuum suorum ignauiam arguebat. Nec mora; promotus in modico, miseratione complicium motus est; 705 a nondum tamen pepercit maioribus. Paulo post ad priores ascendit; prioribusque compatiens, carpere non cessauit abbates. Factus est et ipse abbas; et, propitius in coabbates, episcoporum coepit uitia intueri. Tandem et ipse episcopus

3, 4 insecuntur S 12 obtinere CBSM 13 G. M

1 *Vrit* etc.: Hor. *Ep.* ii. 1. 13, 14. 11 *capitolio*: i. e. capitulo canonicorum; v. Du Cange sub voc. 13 *Gilebertus*: i. e. G. Foliot postea episcopus Londoniensis et S. Thomae Cantuariensis adversarius praecipuus, de quo cf. Ioannis nostri *Epp.* 140, 141, 175, 179, 183, 184, 228, 243, 289, 293, 295, 300, 302, 303. Ad eum respicere videtur etiam quod legitur in *Ep.* 304 ad Ioannem Pictaviensem episcopum de S. Thomae occisione: *Et quidem, ut creditur, necem ipsius traditores . . . sacerdotum principes formaverunt*; cf. G. G. Perry in *Dict. of Nat. Biog.* xix. 360 s. v. Foliot. 15 *monasterium*: sc. Cluniacense; v. epistolam Hugonis Cluniacensis abbatis ad Gilbertum ipsum ap. Robertson *Materials for Hist. of Becket* v. 30 seq.; cf. *Hist. Mon. Glouc.* ed. Hart i. 18. 19 *ad priores*: Prior apud Cluniacenses ipsos factus est, deinde Abbatis-villae, ut ait G. G. Perry in *Dict. of Nat. Biogr.*, quo tamen auctore nescio, illius enim nulla mentio est in Catalogo Priorum S. Petri Abbatis-villae quem monachi Congregationis S Mauri in *Gallia Christiana* (x. 1313) compilaverunt. 21 *abbas*: Factus est abbas Gloucestrensis seu Glovernensis a. 1139; v. *Hist. Mon. Glouc.* loc. supra cit. 22 *episcopus*: Ad sedem Herefordensem promotus est Gilbertus a. 1148; v. *Hist. Mon. Glouc.* loc. supra cit.

coepiscopis parcit. Nec tamen ipsum inuidiae uitio arbitror laborasse; sed uir prudens quod hominibus quodammodo ingenitum est eleganter expressit. Et forte hoc sibi praefatus pater imposuit ut sic laborantium turbae sponte consertus benignius audiretur. Sane Iulius Cesar audita Catonis morte tandem compassus est laboribus et erumpnis extincti, et egregium ciuem rebus humanis defleuit exemptum. Publice tamen confessus est quod et Cato uirtuti eius inuiderat et quod ipse Catonis gloriae inuidebat. Quae uero ad gratiam sine inuidia uia expeditissima sit senex docet in Andria, dum filium omnibus obsequi, neminem b ledere refert. Ait quoque sequendae beatitudinis pater Augustinus quia dentem caninum uel euitabit cautissima humilitas uel retundet solidissima ueritas; alia siquidem uirtute nemo detractionis declinat aculeos, liberae tamen reprehensionis medelam sana mens minime aspernatur, licet iure conuitia puniantur famosique libelli. Nam

si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
iudiciumque;

et aduersus conuitiatores pridem lex est accepta, chorusque de inepta licentia praesumentium et abutentium

turpiter obticuit sublato iure nocendi.

Cap. 25. *De libertatis amore et fauore; et de his qui libere dicta patienti animo maiores tulerint; et de differentia ledoriae et scomatis.* c

Libertas ergo de singulis pro arbitrio iudicat, et quae sanis uidet moribus obuiare, reprehendere non ueretur. Nichil autem gloriosius libertate praeter uirtutem, si tamen libertas recte a uirtute seiungitur. Omnibus enim recte sapientibus liquet quia libertas uera aliunde

14 retondet C[1] : recondet C[2]BAS 19 *post* iudiciumque *add.* est M
28 *post* autem *add.* est A

5 *Iulius Cesar* etc.: v. Val. Max. v. 1 § 10. 11 *Andria*: v. Ter. *And.* i. 1. 35 seqq. 13 *Augustinus*: Nihil huiusmodi apud Augustinum adhuc invenire potui. 18 *si mala* etc.: Hor. *Sat.* ii. 1. 82, 83. 22 *turpiter* etc.: Hor. *A. P.* 284.

non prouenit. Vnde, quia summum bonum in uita constat esse uirtutem et quae sola graue et odiosum seruitutis excutit iugum, pro uirtute, quae singularis uiuendi causa est, moriendum, si necessitas ingruit, philosophi
d censuerunt. At haec perfecte sine libertate non prouenit, libertatisque dispendium perfectam conuincit non adesse uirtutem. Ergo et pro uirtutum habitu quilibet liber est et, quatenus est liber, eatenus uirtutibus pollet; e contra uitia sola seruitutem inducunt hominemque personis et rebus indebito famulatu subiciunt; et, licet seruitus personae quandoque miserabilior pareat, uitiorum seruitus longe semper miserior est. Quid est itaque amabilius libertate? Quid fauorabilius ei qui uirtutis aliquam reuerentiam habet? Eam promouisse omnes egregios principes legimus; nec umquam calcasse libertatem nisi manifestos uirtutis hostes. Quae fauore libertatis sunt introducta nouerunt iurisperiti, et quae ob illius amorem magnifice gesta
706 a sunt historicorum testimonio percelebre est. Cato uenenum bibit, asciuit gladium, et, ne qua mora protenderet uitam ignobilem, iniecta manu dilatauit uulnus, sanguinem generosum effudit, ne regnantem uideret Cesarem. Brutus arma mouit ciuilia ut urbem eximeret seruituti; ipsaque sedes imperii miserabili maluit bello semper affligi quam dominum licet mitissimum sustinere. Transeo ad infirmiorem sexum. Coniuges Teuthonorum, ob amorem pudicitiae rogantes uictorem Marium ut dono mitterentur Vestae uirginibus, se quoque promittentes concubitus futuras expertes, cum minime audirentur, proxima nocte

---

4 ingruit necessitas M 11 appareat B[1] 25 theutonorum AM

---

6 *libertatisque* etc.: Vestigium esse videtur Hom. *Od.* xvii. 322, 323. 18, 19 *uenenum bibit*: Hoc de Catone non refertur. 19 *asciuit gladium* etc.: v. Flor. ii. 13 § 71 (iv. 2) *Cato . . . mortem sibi etiam acciuit . . . stricto gladio reuelatum pectus semel iterumque percussit. Ille passus, dum abscederent, rescidit plagas, secutaque ui sanguinis moribundus manus in ipso uolnere reliquit, quod ipse bis fecerat.* 21 *Brutus*: i. e. M. Iunius Brutus, qui Iulium Caesarem interfecit. 23 *sedes imperii*: sc. Roma. 25 *Coniuges Teuthonorum* etc.: v. Val. Max. vi. 1 ext. 3.

laqueis sibi spiritum eripuerunt eliso gutture ne seruirent aut pudicitiae dispendium paterentur. Si singula huiusmodi referre uoluero, tempus antequam exempla deficient. Libertatis itaque usus eximius est, eique soli displicet qui b
moribus seruilibus uiuit. Quae libere dicuntur aut fiunt, sicut timoris, ita et temeritatis expertia sunt et, dum recta uia inceditur, laudem merentur et gratiam. At cum sub imagine libertatis temeritas spiritus sui profudit uehementiam, reprehensionem incurrit, uulgi quidem auribus gratior quam sapientissimi cuiusque animo probabilior, utpote frequentius tuta uenia aliena quam prouidentia sua. Viri tamen optimi et sapientissimi est habenas laxare libertati et quaelibet dicta eius patienter excipere. Sed nec operibus se opponit, dum uirtutis iacturam non incurrat. Cum enim per se ipsam uirtus quaeque resplendeat, patientiae titulus gloriosiori fulgore clarescit. Priuernatium quidam, cum c
interrogaretur qualem pacem habituri essent captiui Priuernates, sibi impunitate donata, respondit consuli Romanorum: Si bonam dederitis, perpetuam; si malam, non diuturnam. Qua uoce libertatis non modo ueniam rebellionis obtinuerunt Priuernates sed etiam beneficium ciuitatis Romanae, quia sic in senatu loqui Priuernas ausus est. Philippus quidam aduersus ordinem senatorum libertatem exercuit, segnitiemque pro rostris exprobrans alio sibi senatu opus esse dixit; nec tamen senatoria grauitas moueri potuit, sicut nec prudentia Philippi consulis, cum ei a reo diceretur, cui lictoris praeceperat inici manum: Non es, inquit, mi Philippe, michi consul, quia nec ego tibi senator sum. Magni Pompeii inter ceteros in hac parte uirtus enituit. Cum enim Gneius Piso Mallium Crispum d
reum ageret eumque euidenter nocentem Pompeii gratia eripi uideret, iuuenili impetu ac studio ad accusationem prouectus multa et grauia crimina praepotenti defensori

---

4 Libertatis itaque] Libertatisque M

---

5 *Quae libere* etc.: Val. Max. lib. vi. cap. 2 inscribitur *Libere dicta aut facta.* 16 *Priuernatium* etc.: v. Val. Max. vi. 2 § 1. 23 *Philippus* etc.: v. Val. Max. vi. 2 § 2. 30 *Cum enim* etc.: v. Val. Max. vi. 2 § 4.

obiecit. Interrogatus deinde ab eo cur se predes quoque non accusaret: Da, inquit, et tu predes rei publicae te, si postulatus fueris, ciuile bellum non excitaturum, et ego etiam de tuo prius quam de Mallii capite in consilium iudices mittam. Ita eodem iudicio duos sustinuit reos accusatione Mallium, libertate Pompeium, et eorum alterum lege peregit alterum professione qua solum poterat. Gneius Lentulus Marcellinus consul, cum in contione de Magni
707 a Pompeii nimia potentia quereretur assensusque ei clara uoce populus esset: Acclamate, inquit, Quirites, acclamate, dum licet; iam enim uobis intumescente Pompeio id facere non licebit; impune tamen tunc eximii ciuis pulsata potentia est, hinc inuidiosa querela, hinc lamentatione miserabili. Eidem candida fascia crus alligatum habenti Fauonius: Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema; res eius regias exprobrans cauillatione panni exigui. Sed is neutra in parte mutato uultu utrumque cauit, ne aut hilari fronte libenter agnoscere potentiam aut tristi iram profiteri uideretur. Idem, cum Heluio Formiano
b libertini filio improperans quod redierat ab inferis ut Lucium Libonem amicum Pompeii accusaret: Ab inferis, inquit Heluius, in Libonem uenio accusator; sed, dum illic moratus sum, uidi quamplurimos in diuersa etate et sexu innocentes ibidem de te grauissime conquerentes, quos ipsos per hanc importabilem bonis potentiam tuam nequiter condempnaueris; et omnia Pompeii peruersa et reprehendenda audientibus cunctis exposuit. Itaque eodem tempore et fortissimum erat Pompeio maledicere et tutissimum. Vnde et Deiphilus tragedus inter agendum populo directa in Pompeium manu: Miseria, inquit, nostra Magnus est. Item Gaio Carbone consule iubente sibi obsides dari a Placentinis,

---

18 hylari M 26 condemnaueris S

---

7 *Gneius* etc.: v. Val. Max. vi. 2 § 6. 11–13 *facere non licebit; impune tamen tunc eximii ciuis pulsata potentia est*: *impune facere non licebit; pulsata tunc est eximii ciuis potentia* Val. Max. 14 *Eidem candida* etc.: v. Val. Max. vi. 2 § 7. 19 *Idem* etc.: v. Val. Max. vi. 2 § 8. 29 *Vnde et Deiphilus* etc.: v. Val. Max. vi. 2 § 9. *Deiphilus*: *Diphilus* Val. Max. 30, 31 *Item Gaio* etc.: v. Val. Max. vi. 2 § 10. *Gaio*: *Cn.* Val. Max.

Marcus Castricius, libertate inflammatus, nec minis nec uiribus cessit, immo consuli dicenti se habere gladios, respondit: Et ego annos. Seruius Galba, pro Pompeio obligatus, cum in foro conueniretur: Gai, inquit, Cesar, c pro Pompeio genero quondam tuo tertio eius consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor. Quid agam? An dependam? Palam atque aperte ei bonorum Pompeii uenditionem exprobrando ut a tribunali summoueretur meruerat; sed illud ipsa mansuetudine mitius pectus aes alienum Pompeii ex suo fisco solui iussit. Pisistratus Atheniensium tirannus, cum eum uxor hortaretur ut capitale supplicium sumeret de adolescente qui, filiae eius amore succensus, eam in uia publica obuiam fuerat osculatus, respondit: Si eos qui nos amant interficimus, quid faciemus his quibus odio sumus? Vox quidem ciue dignior quam tiranno, quae et filiae laudabiliter tulit d iniuriam et laudabilius suam. Idem, a Trasippo amico conuiciis in cena sine fine laceratus, et animum et uocem ab ira cohibuit et, licet eum Trasippus impetu temulentiae sputo in os eius eiecto resperserit, filios et familiam ab ultione retraxit, posteroque die supplicem et uoluntariam de se mortem exigentem data fide in pristinae gradum amicitiae recepit. Nobilissimis ciuibus fortunae tamen disparis a senatu Hispania prouincia delegabatur audiente Seruio Sulpicio humili uiro sed liberrimi spiritus. Cum ergo senatui etiam populus praestitisset assensum; Neutrum mitti michi placet, inquit Sulpicius, quoniam alter nichil habet, alteri nichil est satis; aeque malam licentis imperii magistram iudicans inopiam atque auaritiam. Romanum 708 a quoque consulem Brutum Lusitaniae imperatorem legatus

6 apellor CBS 9 *post* ipsa *add.* sua A 11 attheniensium S
12 adholescente A[1] 15 hiis S 27 michi placet mitti C[1]

3 *Seruius* etc.: v. Val. Max. vi. 2 § 11. 11 *Pisistratus* etc.: v. Val. Max. v. 1 ext. 2. 23 *Nobilissimis ciuibus* etc.: v. Val. Max. vi. 4 § 2; ubi tamen a Scipione Aemiliano de Servio Sulpicio Galba et Aurelio consulibus dictum esse narratur quod a Ioanne ipsi Servio Sulpicio datur. 29 *Romanum* etc.: v. Val. Max. vi. 4 ext. 1.

Cinniorum aduersus Romanum imperium arma tractantium uerbi grauitate mouisse potuerat, nisi Romanus esset, quoniam huic populo prae ceteris moderatio semper amica fuit. Cum enim Cinnii ad redemptionem libertatis inuitarentur, legatus ferrum sibi a maioribus, quo urbem tuerentur, relictum esse respondit, non aurum, quo ab imperatore auaro emerent libertatem. Paschelius Iunius, uir summa libertate multaque scientia et domi forisque clarus, sed in solo philosophandi studio, interrogatus quid sibi tantam daret quae uellet dicendi licentiam: Duo, respondit, quae homines horrent, senectutem et orbitatem. b Quid enim timebit senex orbus? Pirrus percunctatus est eos qui in conuiuio Tarentinorum parum honoratum sermonem de se habuerant, an quae audierat uera essent. Tum ex his unus: Nisi, inquit, uinum nobis defecisset, ista quae tibi relata sunt prae his quae dicturi eramus ludus ac iocus fuissent. Tam urbana crapulae excusatio tamque simplex confessio ueritatis iram tiranni conuertit in risum. Inserit se uiris liberi spiritus mulier, barbari sanguinis, quae a Philippo rege tumultui merens: Dampnata prouocarem, inquit, ad Philippum sed sobrium. Sic ergo excussit crapulam oscitanti et praesentis animi ebrium resipiscere causaque diligentius inspecta coegit iustiorem ferre sen- c tentiam. Siracusana quaedam sola cotidie tempore matutino uotis expetentibus a diis salutem grauissimi et importabilis tiranni Dionisii deuotissime exorabat. Quod ut is cognouit, non debitam sibi admiratus beniuolentiam, ad se uocatam cur aut quo suo merito hoc faceret interrogauit. Tum illa: Certa est ratio, inquit, propositi mei.

---

12 Purus CBS[1]M   13 taurentinorum CBA[1]   18 tyranni M
20 tumultu CB   21 phylippum M   27 is] his A

---

7 *Paschelius* etc.: Haec alibi narrata non repperi. 12 *Pirrus* etc.: v. Val. Max. v. 1 ext. 3. 19 *Inserit* etc.: v. Val. Max. vi. 2 ext. 1. 20 *a Philippo rege tumultui merens: Dampnata prouocarem*: Textus Val. Max. cuius corruptionem hic habemus huiusmodi videtur: *a Philippo rege temulento immerens damnata prouocaret*; v. Kempfii in ed. Teubneriana app. crit. 22 *praesentis*: sic nonnulli Val. Max. codices; lectio autem potior aestimanda est *praesentia*. 24 *Siracusana* etc.: v. Val. Max. vi. 2 ext. 2.

Puella enim, cum grauem tirannum haberemus, carere eo cupiebam. Quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupauit; eius quoque finiri dominationem magni estimabam. Tertium te superioribus importuniorem coepimus habere rectorem. Timens itaque ne, si et tu assumptus fueris, etiam tibi succedat deterior, caput meum pro tua salute deuoueo. Tam fascetam audaciam Dionisius etsi teterrimus punire tamen erubuit. Quid enim securum erit, si etiam d uirtutes, inter quas praecipuum fere locum libertas optinet, puniuntur? Romani ergo sicut aliis praestantiores ita et reprehensionis patientiores extiterunt; adeo quidem ut, dummodo in conuiuiis et locis minus sobriis caueatur, quisquis eam iustam tamen horret ac refugit, sobrietatis uideatur ignarus. Nam, etsi contumeliam habeat euidentem uel absconditam, patientia reprehensionis apud sapientes longe gloriosior est quam pena. Inde ledoriarum et scomatum etiam aduersus uiros summa potestate praeditos exercitium licentiosum magis quam licitum est. Est autem, ut in libro Saturnaliorum Eustachius docet, ledoria quae 709 a exprobrationem et directam contumeliam continet. Scoma quidem morsus est figuratus, quia saepe uel fraude uel urbanitate tegitur ut aliud sonet, aliud intelligas; nec tamen semper ad amaritudinem pergit, sed nonnumquam his in quos iacitur et dulce est. Quod genus maxime uel sapiens uel alias urbanus exercet, praecipue inter mensas et pocula, ubi facilis est ad iracundiam prouocatio. Nam, sicut in praecipiti stantem uel leuis tactus impellit, ita uino uel infusum uel aspersum paruus quoque dolor incitat in

1 tirrannum C 6 salute tua M 9 obtinet CSM

5 *assumptus*: potius *absumptus*; in cod. autem Val. Max. Bernensi prima manus (ut refert Kempfius in app. crit.) *adsumptus* scripsit; cf. Ducange ed. 1883 s. v. *assumere*. 16, 17 *ledoriarum et scomatum*: Ita loedoriam et scomma, Macrobio auctore, distinguit ut etiam in *Ep*. 251, ad Radulfum de Arundel monachum Cantuariensem, ubi de Thoma archiepiscopo ait: *In se poeticum scommatice poterat retorquere: Actaeon ego sum; dominum cognoscite uestrum; et in uenatores huiusmodi euangelicam loedoriam quam in Iudaeos Christus intorsit: Multa bona opera operatus sum uobis a Patre Deo; propter quod horum me uultis occidere?* 18 *Est autem* (usque ad *figurate*) etc.: v. Macrob. *Sat.* vii. 3 §§ 2–6.

furorem. Ergo cautius in conuiuio abstinendum scomate quod tectam intra se habet iniuriam. Tanto enim expressius herent dicta talia quam directae ledoriae, ut hami angulosi quam directi mucrones tenacius infiguntur, maxime
b quia dicta huiusmodi risum praesentibus mouent, quo uelut assensus genere confirmatur iniuria. Est autem ledoria huiusmodi: Oblitusne es quia salsamenta uendebas? Scoma autem, quod dictum est contumeliam esse celatam, tale est: Meminimus quando brachio te emungebas. Nam, cum res eadem utrobique dicta sit, illud tamen ledoria est quod aperte obiectum exprobratumque est; hoc scoma quod figurate. Sunt scomata minus aspera quae quasi edentatae beluae sunt morsus. Vt Tullius in consulem qui uno tantum die consulatum peregit: Solent, inquit, esse flamines diales; modo consules diales habemus; et in eundem: Vigilantissimus est consul noster Canius qui in consulatu suo sompnum non uidit; eidem exprobranti sibi quod ad
710 a eum consulem non uenisset: Veniebam, inquit, sed nox me comprehendit. At de usu ledoriae uel scomatis et ciuilitate dicetur in sequentibus; nunc ostendisse sufficiat quia arguere licitum est quod aequum est esse correctum. Vnum tantum de scomatibus Alexandri quasi in calce libelli huius superioribus adnectam. Cum ei rex Darius, uno et altero praelio uirtutem eius expertus, partem regni Tauro monte tenus et filiam in matrimonium, cum decies centum milibus talentis polliceretur, eique Parmenion uir magnus inter Alexandrinos dixisset se, si Alexander esset, usurum hac conditione, respondit: Et ego, si Parmenion essem, eadem uterer; tacite quidem consiliarii timiditatem arguens uoce duabus uictoriis respondente, dignaque cui tertia, sicut
b euenit, tribueretur. Liberum ergo fuit et semper licitum

2 tectum CB 5 uelud S 17 *post* eidem *add.* que SM 23 annectam M

12 *Sunt scomata* etc.: v. Macrob. *Sat.* vii. 3 § 10. 16 *Canius*: Tacito consulis nomine Ciceronis dictum refert Macrobius in loc. supra cit.; quem tamen Caninium fuisse dicit idem *Sat.* ii. 3 § 6. 20 *dicetur in sequentibus*: v. infra viii. 10. 23 *Cum ei rex* etc.: v. Val. Max. vi. 4 ext. 3.

libertati parcendo personis dicere de uitiis; quoniam et ius est quo licet ueras expromere uoces et quod etiam seruis aduersus dominos, dum uera loquuntur, Decembrem indulget libertatem. Tunc ergo, non impetrata uenia, quae ipso iure competit, linguas acuunt, et quicquid eos toto anno urit impune redarguunt, palam detegentes et crimina, dum tamen expletis Saturnalibus citra ueniam nequaquam ad accusationem dominorum patronorumue prosiliant. Vtor ergo libertate Decembri, et iussis tuis obtemperans, quod me et te urit beneficio iuris communi fidenter arguo, non necesse ratus ueniam impetrare in his quae publicae seruiunt utilitati et tuae sunt placita uoluntati.

EXPLICIT LIBER VII.

9 Decembris CBASM optemperans A 13 Explicit Liber Septimus AM

2 *expromere uoces*: Verg. *Aen.* ii. 280. 8, 9 *Vtor ergo libertate Decembri*: v. Hor. *Sat.* ii. 7. 4, 5. 9 *tuis*: sc. Thomae cancellarii.

INCIPIT LIBER OCTAVVS POLICRATICI.

PROLOGVS.

709 c Solent qui mare enauigant illis habere gratiam et referre quorum beneficio pericula euaserunt. Accenduntur ignes, clamores excitantur, eriguntur et signa quibus Cillea uorago, turbo Caribdis, saxa latentia, tractus et tenacitas Sirtium a nauigantibus queant salubriter declinari. Sic et iis, qui ea imminere denuntiant quibus salus periclitatur humana, rectissime gratia debetur ex merito; et qui eam merentibus non rependit, ingratus beneficii dignus est salutis dispendium sustinere. Nemo autem est qui salutem uitiis nesciat impediri eaque ex amore proximorum notari ad fugam publice interest. Vita
d siquidem humana quouis freto procellosior est, nec possunt uitari discrimina nisi suis denuntientur indiciis. Ad hanc uero operam publicae utilitatis et tuae iussionis stimulis urgeor, licet in me nichil agnoscam quod attentionem prouocet auditorum, homo undique immunitus et imminutus, cui nec uita ad conscientiam nec ad doctrinam scientia nec opera suppetunt ad exemplum, unde in me a plurimis
710 c conclamatur ut taceam, dicentibus quod nec etiam uirtutis speciosa laus est in ore peccatoris. Hoc ii soli faciunt quibus uitia placent, currentes in mortem nemine reuocante, aut qui saluantur inuiti. Nam quibus bona placent, non

---

1 Incipiunt capitula Libri VIII (Octaui M) CBSM *et post capitula* Expliciunt capitula CB : Expliciunt Capitula libri Octaui M : Incipit Liber VIII. Prolgus C : Incipit prologus libri VIII BS[1] (prologus *eras.* S[2]) : Incipit Prologus (Prolgus A) Libri Octaui AM 6 scillea M 7 circium A 8 hiis S 17 atentionem A 18 et imminutus *om.* S[2]M[2] 22 hii SM

---

6 *Cillea* : i. e. *Scyllaea.* 16 *tuae* : sc. Thomae cancellarii. 21 *nec etiam* etc. : v. Eccli xv. 9.

a quo sed quid dicatur attendunt et, ex causis dicendi dicta pensantes, gratum habent quicquid undecumque elicitum proficit ad uirtutem. Non ergo quis sed quid quaue de causa scribam diligens lector attendat et, ubi male dicta inuenerit, sincerus iudex et nec inuidiae nec odii nec alterius affectionis motu concussus testimonium de malo perhibeat et, ubi bene dixero, non me caedat. Michi tamen pro minimo est si innocentiae meae gratis detrahitur a peruersis quos emendari uellem, si me tamen benignitatis tuae d fauor exceperit. Quicquid autem a praesentibus patiar, spero, auctore Deo et caritate, qua urgeor ad scribendum, michi praestante fiduciam, quod labori meo gratia non deerit posterorum. Odio siquidem uel amore in partem alterutram praesentium plerumque iudicia prolabuntur. Nichil equidem praesenti operi ex proposito inseretur quod non 711 a sit ratione uel praecedentium scriptorum auctoritate subnixum. In quibus tamen quid sequendum sit lectoris relinquetur arbitrio, ut procul a nomine meo faciam uitium et notam mentiendi. Sed haec hactenus. Nunc transeamus in Epicureorum castra, et quod ibi pro certo fuerit exploratum in medium proferatur. Nam ad eorum sectam indubitanter pertinere noscuntur qui in omnibus propriae seruiunt uoluntati.

Cap. I. *Quod Gnatonica subest Trasonianae; et de septem principalibus uitiis et sequela eorum secundum beatum Gregorium; et quod inanis gloria nobilem habet ortum.*

In tota ergo Epicureorum familia insignis est Traso et, licet non exierit primus, aut omnium primus habendus est aut non minimus inter primos. Ei namque, licet ineptus b sit, tota Gnatonicorum factio famulatur. Et forte comicus

1 dicenti M 24 vii S 29 aut] ut A²

6 *testimonium* etc.: v. Ioann. xviii. 23. 7 *Michi tamen* etc.: v. 1 Cor. iv. 3. 19, 20 *transeamus in Epicureorum castra*: v. Sen. *Ep.* 2 § 5. 28 *Traso*: in *Eunucho* Terentii; de quo cf. supra vi. 3. 31 *Gnatonicorum*: i. e. parasitorum, qualis apud Thrasonem est Gnatho in *Eunucho*; cf. supra iii. 4, vi. 27, 30.

ideo Gnatonem introduxit seruum militis gloriosi ut eleganter innueret quoniam et in uita hominum et in assertione morum subest Gnatonica Trasonianae. Altera tamen pendet ex altera adeo quidem ut inuicem sine se esse non possint. Nam et Gnatonis opera inutilis est, si non sit miles gloriosus; et forte Trasonis arrogantia conquiescet, si non eam fallacia Gnatonis exceperit. Comici forte contempnis Eunuchum, sed in Eunucho fere omnium uitam expressit. Et eo quidem elegantius omnes arguit quo cautius fictitio argumento sine lesione personarum uitia denudauit. Si nobiliorem quaeris auctorem, multi c procedunt cenodoxiae repressores. Est autem cenodoxia, ut patribus placuit, gloria inanis quae mentem inflat et aures et nichil aliud emolumenti de soliditate uirtutis mortalibus affert. Cum autem superbia sit totius peccati initium, hanc de se primam sobolem gignit. Ab hac enim uirulenta radice superbiae septem principalia uitia oriuntur quae quidem principalia dicuntur respectu minorum quae ex his uelut ydrae capitibus multipliciter pullulant. Quorum ut nomina et figurae fidelius teneantur, qualiter hanc pestiferam arborem beatissimus papa Gregorius depingit in Moralibus, si uacat, paulisper attende. Primos d ergo ramos huius plantae sic distinguit ut sit primus inanis gloria, secundus inuidia, tertius ira, quartus tristitia, auaritia quintus, sextus uentris ingluuies, luxuria septimus. Unde et Saluator, quia nos his superbiae uitiis captiuos doluit, ad spirituale liberationis praelium septiformis gratiae Spiritu plenus uenit. Cum uero uitiorum quinque spiritualia sint, duo carnalia, unumquodque eorum tanta sibi cognatione iungitur ut non nisi de altero generetur.

8 eunucum S eunuco S 12 chenodoxiae M: chenodoxia M 13 inanis gloria M 19 uelud CBS idre CBS 24 tristicia quartus AS 25 quintus auaritia M 26 hiis S 28 v CS

12 *cenodoxiae*: De spiritu cenodoxiae, *quam nos uanam siue inanem gloriam possumus appellare*, tractat Cassianus in libro *de Coenobiorum Institutis* undecimo (Migne *P. L.* xlix. 397 seqq.). 16 *Ab hac* etc. usque ad *excitatur* (712 D): v. Greg. *Moral.* xxxix. 87–89 (Migne *P. L.* lxxvi. 621).

Habentque rami singuli de se ramusculos procedentes tanta quidem amplitudine dilatatos ut mundum fere totum in maligno positum pene operiant. Nam de inani gloria inobedientia, iactantia, ypocrisis, contentiones, pertinaciae, discordiae, et nouitatum praesumptiones oriuntur. De 712 a invidia odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira rixae, tumor mentis, contumeliae, clamor, indignatio, blasphemiae proferuntur. De tristitia malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa praecepta, uagatio mentis erga illicita prodeunt. De auaritia proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, uiolentiae, et contra misericordiam obdurationes cordis egrediuntur. De uentris ingluuie inepta letitia, scurrilitas, immunditia, multiloquia, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. De luxuria cecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, praecipitatio, amor sui, odium Dei, affectus praesentis seculi, horror autem uel desperatio futuri generantur. Sed quomodo ab b inuicem principalia prodeant idem doctor exponit. Prima namque superbiae soboles, dum oppressam mentem corruperit, mox inuidiam gignit, quia nimirum, dum uani nominis potentiam appetit ne quis alius hanc adipisci ualeat, intabescit. Inuidia quoque iram generat, quia quanto interno liuoris uulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur; et quia quasi dolens membrum tangitur, iccirco oppositae actionis manus uelut grauius pressa sentitur. Ex ira quoque tristitia oritur, quia turbata mens quo inordinate se concutit, eo ad dicendum mala confundit; et, cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nichil hanc nisi ex perturbatione subsequens meror pascit. Tristitia quoque ad auaritiam c diriuatur quia, dum confusum cor bonum letitiae in semetipso intus amiserit, unde consolari debeat foris quaerit;

---

4 hipocrisis CA : hipochrisis B : hypocrisis S   10 erga] circa C
18 generatur CBASM   27 uelud CBS   32 deriuatur A

19, 20 *Prima . . . superbiae soboles*: i. e. *inanis gloria*.

et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat quanto gaudium non habet ad quod intrinsecus recurrat. Et quidem singula eorum suae perniciei afferunt fructum, cum inanis gloria Deum, inuidia proximum, ira auferat et seipsum; tristitia solatii fit ignara; auaritia, dum per exteriora uagatur, edacitatis suae maceratur ieiunio. Vt uero maciei suae indigentiam expleat, prolabitur ad duo carnis uitia quae sequuntur. In quibus liquet quod de uentris ingluuie luxuria nascitur, dum in ipsa distributione membrorum uentri genitalia uideantur esse subnexa. Vnde
d dum unum inordinate reficitur, aliud proculdubio ad contumelias excitatur. Haec quidem Gregorius, imo per Gregorium Spiritus sanctus. Ex quo constat ei qui ad salutem tendit primam superbiae sobolem extinguendam, quae, si paulisper subcreuerit, omnium uitiorum frutices de se, ut praedictum est, gignit. Nam, etsi sit apud aliquem quandoque praecipua, nequaquam possibile est ut sit sola. Si enim quempiam inanis gloria stimulat, necesse est ut per abrupta uitiorum praeceps ruat. Hoc est autem quod nobile censetur uitium, adeoque humanae fragilitatis demulcet ingenium ut uix sit uel a praeclaris mentibus alienum. Nam et ortum nobilem habet, suique dispendii processum nescit antequam a fastigio corruat quod optauit.
713 a Nam et de se inuicem uitia oriuntur, at inanis gloria etiam in uirtute originis suae figit radicem. In quo enim quisque prae ceteris pollet, in eo, nisi assit moderatrix gratia, facilius intumescit.

---

10 uedeantur S

2, 3 *Et quidem* etc. (usque ad *sequuntur*): Non ex Gregorio haec desumpta sunt, qui tantum habet: *Post haec duo carnalia uitia, id est uentris ingluuies et luxuria, supersunt.* 19 *Hoc est autem* etc.: v. Boeth. *Consol. Philos.* ii. pros. vii *Atqui hoc unum est quod praestantes quidem natura mentes sed nondum ad extremam manum uirtutum perfectione perductae allicere possit, gloriae scilicet cupido et optimorum in rem publicam fama meritorum.* Cf. Ioannis nostri versiculus *Enth.* 875 (984 B) *Haec est praestantes quae deserit ultima mentes*, cui simillimum est illud Miltonicum (*Lycid.* 71), *That last infirmity of noble mind.*

Cap. 2. *Quod rarus est contemptor gloriae; et de tribus locis a quibus laudis materia trahitur; et quae sit laus uera, quae perfecta, quae neutra; et de moderatione largitionum.*

Vix tamen est qui uanae gloriae non insistat, et eam quae ab hominibus est non concupiscat laudem. Ad hanc alii uirtute, alii uirtutis imagine, alii naturae aut fortunae beneficio proficiscuntur. Ex his enim tribus locis placuit oratoribus laudis esse materiam. Nam ab animo aut corpore aut ab extrapositis peti debet. Porro animi bona aut corporis aut naturaliter insita sunt aut studio com- b parata aut causaliter et casualiter accesserunt. At in his certi sunt gradus pro dignitate eorum in quibus consistunt et a quibus petuntur. Primus siquidem commendationis gradus est qui ab animi dote prouenit. Secundus et medius qui corporis ualitudinem approbat et uenustatem. Tertius idemque nouissimus qui exteriorum continet laudem; quod et Apuleium docuisse superius retuli. Et laus quidem animi uera est saepeque perfecta, si tamen ei tenaciter bona, quae in ipso commendantur, inheserint adeo quidem ut sint inseparabilia. Certum est enim quia inuito auferri non possunt; alias quidem uera fortasse sed perfecta esse non potest. Corporis autem uerisimilis est commendatio c sed perfecta numquam; nam bona eius queunt semper auferri inuito; natura enim eius et debilitari potest iugiter et corrumpi. Aduentitiorum uero perfunctoria gratia est, et nec ueram nec perfectam habent laudem, imo nec uerisimilem. Sufficiat eis si uel probabilem imitentur; siquidem in utramque partem flectuntur facile et, nisi possidentium iuuentur usu, non ad laudem sunt quam ad

---

7 ymagine M 27 habent laudem perfectam A[1]: perfectam laudem habent A[2]

5, 6 *eam quae ab hominibus* etc.: v. Rom. ii. 29. 9 *Nam ab animo* etc.: v. Quintil. *Inst. Or.* iii. 7 § 12. 18 *Apuleium*: v. *De Deo Socr.* cc. 21–24. *superius*: v. supra vi. 28. *Et laus* etc.: v. Quintil. *Inst. Or.* iii. 7 § 15.

uituperium proniora. Nam diuitiae et potentia et gratia,
cum plurimum uirium dent, in utramque partem certissi-
mum faciunt experimentum morum, fitque possessor ab eis
quandoque melior interdum peior. Ceterum opera ipsa
d mentis aut corporis, etsi simpliciter bona uel absolute mala
sint, uituperationem interdum aut laudem contrahunt pro
arbitrio iudicantis. Vnde et interesse plurimum putat
Aristotiles ubi quidque laudetur aut uituperetur. Nam
plurimum refert qui sint audientium mores, quae publice
recepta persuasio; docetque in Rethoricis ut illa maxime
quae probant esse in eo qui laudabitur publice credant, aut
in eo contra quem dicitur ea quae omnes oderunt, eritque
quotiens fieri poterit singulorum docenda utilitas (quod
enim expedit, omnes approbant, etsi honestum aliud aliis
uideatur). Studia litterarum minus honoris merentur
Lacedemoniae quam Athenis; forte plus patientia, fortitudo.
His rapto uiuere honestum, aliis cura legum; frugalitas
714 a apud Sibaritas fortassis odio foret, ueteribus Romanis
summum luxuria crimen. Eius quoque qui laudatur
habenda est ratio, cum operibus necessariis gratuita recte
facta laudem praeripiant et pro ratione personarum res
plerumque habeatur uel honesta uel turpis. Si ergo recta
uia, id est, uirtute, sibi quis laudem conciliat, suo laudis
innititur fundamento; si uero aliunde gloriam quaerat,
plane desipit, nec ad eam quam uidetur affectare pertinget.
At inter ipsa uirtutis opera censentur gratiae amplioris
quae de liberalitatis aut magnanimitatis fonte proueniunt.
Ea enim fauore populari clarius efferuntur et uidentur esse
praecipua, quae magis ardua sunt uel quae pluribus prosunt.
In his tamen longe liberalitas antecellit, quae et animi
b indignationem mitigat, detrahentium linguas obtundit,

---

1 potentiae M 12 eaque M 13 ducenda M 18 sibarritas M 26 gratiae] gloriae M[1]

---

7 *interesse* etc.: v. Quintil. *Inst. Or.* iii. 7 § 23. 12, 13 *eritque quotiens* etc.: v. Quintil. *Inst. Or.* iii. 7 § 24. 13–15 *quod enim expedit* etc.: Verba uncis inclusa Quintiliani loco addidit Ioannes.

cohibet etiam manus hostiles et a facie hominum operit multitudinem peccatorum. Qui ergo linguas hominum aut captant aut metuunt, effundunt patrimonia sua, mittunt in uulgus missilia, conuiuia extruunt, pusillis et maioribus adulantur, et plerique, porcum potius agentes quam hominem, comesationibus et ebrietatibus insistunt, mimos et histriones fouent, nequissimas artes remunerant, admittunt nebulones, maledicorum excitant linguas ad implendam procacitatis suae malitiam, dum silentium eorum aut uirulenta dicacitas male merito donatur praemio. Sunt qui in his maximum et uere solum diuitiarum reputant usum, si multiplicent ollas carnium, conuiscerationes exerceant cotidianas c si nec modum conuiuii nec numerum nouerint conuiuarum nec aliquam habeant regendae familiae rationem. Quam si forte uideris conuenisse, forum conuocatum credes, non prandentium aut cenantium turbam. Hoc tamen apud ditissimos, licet et manus inferior in eo pro modulo suo praepotentium uestigia imitetur. Quisquis enim famae petitor est, uires suas excedit, et non quid possit sed quid aliis placeat attendit, et illud festinat implere. Sed esto ut ad famam potius quam ad conscientiam quis liberalitatem exerceat, quia nulli uirtuti praecludenda est uia, mimos tamen et professiones obscenas fouere beneficiis illicitum est et infame. Refert Valerius quod ciuitas Massiliensium tantae grauitatis custos extiterit d ut nullum aditum mimis daret in scena quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continerent actus, ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam faceret. Numquid ergo honestum est illos a Christianis, imo et clericis, audiri in cena qui nec a gentilibus audiebantur in scena? Lacedemonii libros Archilochi e ciuitate sua exportari iusserunt, quod eorum parum uerecundam ac

---

4 exstruunt M 6 commessationibus BA : commesationibus CS 26 cena C^2BA^{1}M 28 inmitandi S 31 cena C^2BA^{1}M

1, 2 *operit multitudinem peccatorum*: 1 Petr. iv. 8. 12 *conuiscerationes*: v. infra ad c. 7 (732 A). 24 *Refert Valerius* etc.: v. Val. Max. ii. 6 § 7. 31 *Lacedemonii* etc.: Val. Max. vi. 3 ext. 1.

pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret quam ingeniis prodesset. Itaque maximum poetam aut certe summo proximum, quia domum sibi inuisam obscenis maledictis lacerauerat carminum, exilio multarunt. Simili
715 a fere sententia condempnata est lasciuia carminum in Nasone. Numquid licitum est audiri in poculis quod ieiuna sobrietas non audebat audire? Eadem ciuitas omnibus qui per aliquam religionis simulationem alimenta inhertiae quaerebant clausas habebat portas, mendacem et fucosam superstitionem submouendam esse existimans. Ii tamen qui superstitionis sibi conscii sunt praecipuam partem uendicant apud eos qui laudis amore macerantur. Porro sicut auarum a largo, ita et prodigum quadam contrarietate differre censuerunt qui duo unius opinati sunt esse contraria, quantitate alterum, alterum qualitate; siquidem magnanimitati timiditas aduersatur qualitate mali, dum audenda metuit; et audacia quantitate, dum plus quam audenda praesumit. Prodigalitas itaque eroganda et non
b eroganda profundit in eas res quae nullam sunt omnino aut breuem habiturae memoriam. Hanc autem effusionem, auctore Cicerone, commendasse dictus est Teofrastus in libro quem De Diuitiis scripsit. In quo multa praeclare, illud absurde quod multus in laudanda magnificentia et apparatione popularium munerum taliumque sumptuum facultatem fructum diuitiarum putat. Quanto Aristotiles grauius et uerius has pecuniarum reprehendit effusiones, praesertim cum neque necessitati subueniant nec augeant dignitatem, ipsaque illa delectatio delinitae multitudinis ad breue exiguumque tempus sit, eaque a leuissimo quoque,

---

11 Hi C^{2}BM: Hii S 17 mala C^{2}BA^{1}M 18 quantitatem CBAS^2 22 cicerone auctore M theofrastus AM 25 apparitione C^{1}M

5, 6 *Simili fere sententia* etc.: i. e. relegatione ad Tomos; v. Ov. *Trist.* ii. 211, 212; Sid. Apoll. *Carm.* xxiii. 158 seqq. 8 *Eadem ciuitas*: sc. quae libros Archilochi exportari iussit; v. Val. Max. ii. 6 § 7. 15 *qui duo* etc.: v. Boeth. ad Arist. *Categ.* c. 11. 13 b, 36 seqq. (*in Categ. Arist.* iv; Migne *P. L.* lxiv. 281). 20 *profundit* etc. (usque ad *probari*): v. Cic. *de Off.* ii. 16 §§ 55–57.

in quo tamen ipso una cum satietate memoria quoque moritur uoluptatis. Bene etiam colligit haec pueris et c mulierculis et seruis et seruorum simillimis liberis grata esse, graui uero homini et ea quae fiunt certo iudicio ponderanti nullo modo posse probari. Valerius Maximus, sed et Cicero, refert quod in Alexandro, qui largitione beniuolentiam Macedonum sectabatur, hanc profusionem pecuniae Philippus arguerit; et epistolae quidem uerba sunt haec: Quod te malum rationis in istam spem induxit ut eos tibi fideles putes quos pecunia corrupisses? An tu ideo agis ut Macedones non te regem suum sed ministrum et praebitorem putent? Quod quidem regi sordidum esse non ambigis et corruptelam quam largitionem potius dici; fit enim deterior qui accipit atque ad idem semper expectandum paratior. Quid autem est stultius quam quod d facias libenter curare ut id diutius facere non possis? Largitiones immoderatas rapinae sequentur; cum enim dando egere coeperis, bonis alienis manus cogeris inferre. Itaque, cum beniuolentiae comparandae causa sis prodigus, non tanta studia assequeris eorum quibus dederis quanta eorum odia quibus ademeris. Quamobrem nec ita claudenda est res familiaris ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda ut omnibus pateat; sed utrimque modus adhibeatur isque referatur ad facultates. Et quidem eleganter siue Philippus siue alius popularis huius profusionis immoderationem cohibuit, quae quidem gloriam uidetur afferre, sed more meretricio, cum res defecerint, 716 a euanescit. Nam gratiae quam non uirtus sed fortuna conciliat amor meretricis rectissime comparatur.

---

8 phylippus M 27 ferre A

---

5 *Valerius Maximus*: v. Val. Max. vii. 2 ext. 10. 6 *Cicero*: v. Cic. *de Off.* ii. 15 §§ 53–55. Ciceronis locum usque ad *facultates* sequitur Ioannes, sed abbreviat. 29 *meretricis*: qualis erat Thais Terentiana, de qua in capitulo sequenti.

Cap. 3. *Quod omnis professio suos Trasones habet; et de personis quae ad similitudinem Eunuchi Terentiani sint apud inaniter gloriantes; et quod uana gloria meretricis more loculos sequitur.*

Est, ut diximus, in quauis professione inuenire militem gloriosum qui obsequiis et muneribus suam Thaidem, id est nomen celebre et quasi famae gratiam captat. Sed ei nec Gnato ut decipiat, nec Phedria qui laudem praeripiat, nec qui dona corrumpat adolescens aut seruus Parmeno qui desipientem irrideat, deest. Apud Eunuchum comici audi Gnatonem et an ipsum in familia gloriantium uideas b diligenter attende.

Est (inquit) genus hominum qui esse primos se omnium rerum uelint
nec sunt; hos consector; hisce ego non comparo me ut rideant;
sed his ultro arrideo et eorum ingenia admiror simul.
Quicquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque;
negat quis, nego: ait, aio; postremo imperaui egomet michi
omnia assentari; is quaestus nunc est multo uberrimus.

Talemne uidisti alicubi? Immo nec quempiam illorum qui felices esse uidentur sine huiusmodi mancipio agnouisti, adeoque scitum hominem ubique reperies qui homines ex c stultis, ut ait Parmeno, prorsus insanos faciet. Vide et quid sentiat de se Traso.

Istud (inquit) est datum profecto ut grata michi sint quae facio omnia. Vel rex semper maximas michi agebat gratias quicquid feceram, aliis non ita. Me semper habebat

---

2 qui CBASM enuchi S *in rubr. cap. praef.* terentiane CBASM 4 sequatur S *in rubr. cap. praef.* 9 adholescens A[1] 27 de se sentiat M

---

5 *diximus*: v. supra vi. 3 (594 B, C). 8 *nec Gnato* etc.: Ad personas dramatis Terentiani cui nomen est *Eunuchus* respicit Ioannes noster. 13 *Est genus* etc.: Ter. *Eun.* ii. 2. 17–22. 14 *uelint*: *uolunt* Ter. 15 *comparo*: *paro* Ter. 25 *homines* etc.: v. Ter. *Eun.* ii. 2. 23. 28 *Istud* etc.: v. Ter. *Eun.* iii. 1. 5–43. 30 *ita*: *item* Ter.

in oculis; omnem credebat exercitum, consilia; et, ubi eum satietas hominum aut negotii si quando odium ceperat, requiescere ubi uolebat, ut illam expueret miseriam ex animo, tamen me conuiuam solum abducebat sibi. Inuidere omnes michi; mordere clanculum, ego floci pendebam, illi inuidere misere. Ego alios palam reprehendebam, alios mordaciter irridebam ut risu emorerentur omnes qui d
aderant; denique metuebant omnes iam me. Profecto magnus est hic in oculis suis, et non est ei similis in tota comedia. Dignus est ergo qui intromittatur ad Thaidem, excluso Phedria qui in ea non minus insanit. Dolet exclusus, a seruo docetur sobrio ut recedat a meretrice bonoque sit animo quia, si ad ignem accesserit, calescet plus satis, nec patiatur contumelias meretricum quae una falsa lacrimula, quam oculos misere terendo uix ui expresserunt, restinguent amantis bilem, et ultro accusantes id agent ut ultroneum supplicium praestet; nam sapienter amare nemo facilius potest quam ratione insanire. Hic ergo 717 a
Phedriae et Thaidis ea conditione interest uerbis ut quod uerum audierit taceat et contineat optime; sin falsum aut uanum aut fictum, continuo palam effundat; plenus rimarum est, hac atque illac effluit. Vtrumque arguit, irridet utrumque, quoniam alterum fallere, alterum uidet irreuocabiliter insanire. Ait ergo exclusus et gemens prae dolore:

O Thais, utinam esset michi
pars aequa amoris tecum ac pariter fieret,
ut aut hoc tibi doleret
aut ego istuc abs te factum nichili penderem!

Thais ad haec:

Ne crucia te obsecro, anime mi, Phaedria.
Non pol, quo quemquam plus amem aut plus diligam, b
eo feci; sed ita erat res: faciendum fuit.

---

5 flocci AM 6 reprehendebam palam A[1] 10 intromittitur M 14, 15 lacrimula falsa A[1] 17 suplicium S 20 sin] Sint M 20, 21 uanum aut falsum A[1] 21 effundit CBASM 30 Ad haec thais M

---

3 *ut*: *ubi* Ter. 9 *magnus* etc.: cf. 1 Reg. xv. 17; Iob i. 8. 10 *Dignus est ergo* etc.: In sequentibus argumentum fabulae Terentianae exponit. *Dolet* etc.: v. Ter. *Eun.* i. 2. 1 seqq. 26 *O Thais* etc.: Ter. *Eun.* i. 2. 11–14. 31 *Ne crucia* etc.: ibid. i. 2. 15–17.

Plane:

> Credo (inquit Parmeno) misera prae amore exclusit hunc foras.

Quid multa? Id agit fallacia meretricis ut unus amantum alteri priores partes cedat per aliquot dies, dum deterius rebus amissis emungatur admissus. Mos est enim gerendus Thaidi, quae profusiores et perditiores admittit. Interim quid donare queant aut mittere exclusi deliberent; nam potentissimus est apud eam qui nouissima mittit. Vbi uero priorem emunxerit, redit alter, exclusoque priore
c delegat ei mestam doloris sui prouinciam. Insanit ergo miles et in impetu doloris potius uel moriendum esse decernit quam in se contumeliam tam insignem accipiat. Familiam conuocat, disponit bellum, et prostibulum collectis uiribus expugnare decernit. Progreditur, mente et ore reuoluit iniuriam. Loquitur grandia, minis feruet; sed, cum ad conflictum accedit, memor amoris pristini praeceptum recolit militare, quo ex auctoritate Scipionis liquet quia omnia prius experiri quam armis sapientem decet. Thaidem ergo suam ex pacto sic conuenit iure non uiribus agens:

> Primum, Thais, hoc michi responde, cum tibi do istam uirginem,
> d dixtin hos dies michi soli dare te? Thais: Quid tum postea?

Concedere uidetur quae non negat. Thraso:

> At michi ante oculos coram amatorem adduxti tuum.

Et illa:

> Quid cum eo litigas?

2 inquit credo A[1] 9 potissimus SM

2 *Credo* etc.: Ter. *Eun.* i. 2. 18. 19 *omnia* etc.: ibid. iv. 7. 19; quod unde didicerit Ioannes *ex auctoritate Scipionis* dictum esse, omnino nescio; cf. tamen Donat. *Vit. Ter.* c. 4 de fama adiutum esse Terentium in scriptis a Scipione Africano minore. 22 *Primum* etc.: ibid. iv. 7. 22 seqq. (*Thais, primum*). 27 *At*: *Rogitas? quae* Ter. 29 *Quid cum eo litigas*: Ter. *Quid cum illo agas* seu *agis*; Fleckeisen in ed. Teubneriana habet *Quin cum illo nunc agis*; Umpfenbach *Quid cum illoc agas.* Notandum est Umpfenbachium ad hunc locum Ioannis nostri lectionem contulisse.

Ecce quia amicae patrocinio nec uerba miscere cum riuali licitum est:

Cum eo (inquit) te michi clam subduxisti.

Et illa:

Lubuit (inquit). Pamphilam ergo redde huc, nisi mauis eripi.

Aequum et iustum uidetur petere, cum repeti possit quod 718 a
ob causam datum est, si ea secuta non fuerit. Quid multa? Ad clamorem meretricis contribules conuicaneique conueniunt, turba fit, conuiciatur miles, petenti uiribus et iure resistitur, denuntiaturque furcifero omnium ineptissimo ut linguam manusque contineat quia, si quippiam turbae fecerit aut moliminis, sibi loci diei tortorisque memoria inustione signorum promittitur in eum protendenda. Interrogantem se Thais quaerere iubet qui respondeat sibi. Miles, opera et re perdita, cogitur redire inglorius. Et hunc fructum reportant miseri amatores; eo tamen addito quod alius rebus quas illi perdiderunt abutitur. Et, quo magis doleant, qui eas meretrici subripuit sibi successisse
non putat, nisi stultitiam et infortunia amantium suosque b
successus in auditu omnium praeconetur et publicet. Audi Cheream occultum datae Pamphilae corruptorem, quid meretrice decepta loquatur egrediens.

Numquis hic est? Nemo est. Numquis hic me sequitur? Nemo homo est.
Iamne erumpere hoc licet michi gaudium? Pro Iupiter
nunc est profecto interfici cum me possum perpeti,
ne hoc gaudium contaminet uita aegritudine aliqua.
Sed neminem hic curiosum interuenire nunc michi,
qui me sequatur quique iam rogitando obtundat, cruciet, enecet,

---

5 Libuit M 12 turpe P 13 aut moliminis fecerit A[1] 14 eum] euum S 19 surripuit M 26 proh M iuppiter M 30 rogando A

---

3 *te michi clam subduxisti*: *clam te subduxti mihi* Ter. 5 *Pamphilam* etc.: verba Thrasonis. *redde huc*: *huc redde* Ter. *nisi mauis*: *nisi ui mauis* Ter. 24 *Numquis hic est* etc.: ibid. iii. 5. 1–8. *hic* 2°: *hinc* Ter. 27 *me possum perpeti*: *perpeti me possum* Ter. 29 *neminem hic*: *neminemne* Ter. 30 *quique iam*: *quoquo eam* Ter. 31 *cruciet*: deest apud Ter. et sine dubio vocabuli *obtundat* glossa est.

quid gestiam aut quid letus sim, quo pergam, unde emergam, ubi siem
uestitum hunc nactus, quid michi quaeram, sanus sim an insaniam?

c Interrogatus haec omnia: Immo ego, inquit, te obsecro, Antipho, ut audias omnia, audias diem festum, iocundum euentum, suauem fortunam, in euum omnibus historiam memorandam; et sui quoque furoris subtexuit dolos. In summa totius argumenti eo ad praesens uniuersa haec arbitror posse referri, ut constet pro certo quia amicitiae prostitutae fides haberi non debet. Nam quae uenit a sinceritate animi, fidelis certa et fixa est; quae ab archa uel loculis, fluida incerta erronea, et deficiente uiatico emarcescit.

Cum fortuna manet, uultum seruatis amici;
cum cecidit, turpi uertitis ora fuga.

Omnis enim res quae in commercium uenit ab uno transit
d ad alium, et ditiorem et auidiorem comitatur emptorem. At foro isto nichil iniquius est, quo rem semel emisse non proderit, nisi semper ematur; et ubi quisque rem ab alio uenditam uendicat, nisi et ipsi de pretio satisfiat. Quis enim popularem fauorem uendidit? Si publice habendus est, ematur ab uniuersis. Singulis enim non licet publica bona distrahere. In prouerbii quoque consuetudinem uenit quia incauta largitio non habet fundum. Praeterea, quem popularis fauor ad munera extulit, si forte Trasonis more emptam celebritatem exigit, contumeliis affectum, honore spoliatum Thais altera fama et quauis Thaide minus fida a praeempto honoris gradu arcet deprimit et repellit.
719 a Insultat riualis, sobrius correptor exultat, Gnato uix submurmurat, dum tamen spes est, aut silet omnino, si desperat, et ad alios transit, quia ei consilium est semper felicioribus adherere.

7 hystoriam M 12 arca CABS 22 uendiderit M

4. *an*: *anne* Ter. 15 *Cum fortuna* etc.: Petron. *Sat.* 80. 24 *In prouerbii* etc.: v. Cic. *de Off.* ii. 15 § 55. 30 *sobrius correptor*: qualis in *Eunucho* Phaedriae erat Parmeno; cf. supra 716 D.

Cap. 4. *Quod nullum uitium peius auaritia, nec amari posse qui suspectus est auaritiae; et de duplici fonte liberalitatis, et uter sit potior; et de Considio et Gillia.*

Nec tamen, etsi prodigalitas uideatur in culpa, locum arbitror auaritiae relinquendum. Nullum enim uitium deterius est, nullum detestabilius, praesertim in his qui principatum aut magistratum aliquem in re publica gerunt. Non enim res ipsa sed etiam opinio eius uitanda est; et omnino impossibile est ut fidelis uideatur alicui aut amore dignus qui ex merito apud graues et circumspectos uiros b auaritiae suspicionem incurrit. Cum uero laus et fauor humanus quasi a duplici fonte proueniant, operae scilicet et pecuniae, facilior est haec praesertim locupleti, sed illa lautior et splendidior et dignior uiro forti et claro. Nam qui uirtutis opera et industria liberales erunt, quo pluribus profuerint, eo plures ad benefaciendum habebunt adiutores. Deinde benefaciendi consuetudine paratiores erunt et tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Si tamen archa suppeteret, nichil gloriosius est ea liberalitate quae consistit in donis; maxime cum et Socrates, ut dicitur, interrogatus quaenam esset substantia beatitudinis: Dignis donare, respondit. Ego quidem Socraticam diffinitionem sic interpretandam arbitror ut dignitas in accipientium c necessitate credatur esse uel meritis. Illis enim qui praemeruerunt donare iustum est, et eis qui indigent subuenire pium; ita tamen ut id respiciatur in singulis quod in facie sapientis sine rubore et nota ualeat denudari; siquidem imitari debemus eum qui solem suum facit oriri super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos. Si enim pauperem histrionem uideamus aut mimum, non debemus

2 dupplici A 17 benfaciendum S 20 subpeteret A 23 socraticam quidem A[1]

21 *Socrates* etc.: Idem Socratis dictum refert Walterus Burley *de Vita et Moribus Philosophorum* (ed. Colon. 1472 fol. 26), nec, ut alia huiusmodi, ex *Policratico* se desumpsisse fatetur. De sententia cf. Publ. Syr. *Sent.* B. 12 (ed. Meyer p. 21) *Beneficium dando accepit qui digno dedit.* 29 *qui solem suum* etc.: Matt. v. 45. 30 *Si enim* etc.: cf. supra i. 8 (406 c, d).

utique fouere malitiam, sed correpta et, si fieri potest, emendata, fraternae caritatis iure oportet sustentari naturam. Expedit quidem omni petenti tribuere uel affectum
d mentis uel solatium caritatis. Interdum tamen increpare pigrum, meretricem uel histrionem confundere salubrius est quam quod exigunt elargiri. Quid moror? Quicquid caritas erogat, remuneratur a Domino; quod dispensat uanitas, euanescit. In Quinto Considio saluberrimi exempli nec sine paruo ipsius fructu liberalitas referente Valerio adnotata est; qui, Cathelinae furore ita consternata re publica ut ne a locupletibus quidem debitae pecuniae (propter cumulum pretii possessionum diminuti) solui creditoribus possent, cum centies atque quinquagies sextertii summam in fenore haberet, neque de sorte quemquam debitorum suorum neque de usura a suis passus est conueniri, quantumque in ipso fuit amaritudinem publicae confusionis
720 a priuata tranquillitate mitigauit, oportune mirificeque testatus se nummorum suorum, non ciuilis sanguinis, esse feneratorem. Nam qui nunc praecipue negotiationi delectantur, cum pecuniam domum cruentam retulerunt, quam improbando exultant gaudio cognoscent, si diligenter senatus consultum, quo Considio gratiae actae sunt, legere non fastidierint. Subnectit huic Agrigentinum Gilliam, quem propemodum ipsius liberalitatis praecordia constat habuisse. Erat opibus excellens, sed multo etiam animo quam diuitiis locupletior, semperque in eroganda potius

---

2 karitatis M 3 quidem] enim A *uel ef-* affectum A : effectum S 7 karitatis M[1] *Cyr.*: karitas SM[2] 10 annotata M chateline CB 15 sui CBASM 16 in *habet* A *marg.* : *om.* CBA[1]SM amaritudine CBA

---

3 *omni petenti tribuere*: v. Luc. vi. 30. 8 *In Quinto Considio* etc.: Val. Max. iv. 8 § 3. 12 *cumulum*: ita codices Ioannis; *tumulum* habent (ut testatur C. Kempf in ed. Teubnerianae app. crit.) codices Valerii antiquissimi, quibuscum congruit Noster etiam in *negotiationi* pro *nundinatione* (l. 19) legendo; *tumultum* rectius legunt Valerii ceteri codices et editores. *pretii possessionum diminuti*: *pretiis possessionum deminutis* Val. Max.; genetivum scripsit Ioannes ut *cumulum* intellegeret. 15 *conueniri*: *appellari* Val. Max. 23 *Subnectit* (usque ad *custodiam*) etc.: Val. Max. iv. 8 ext. 2 (*Subnectam* etc.). 23 *Gilliam*: cf. *Enthet.* 1663 (1000 D).

quam in corripienda pecunia occupatus, adeo ut domus eius quasi quaedam munificentiae officina crederetur. Illic enim publicis usibus apta monumenta extruebantur, illinc grata b publicis oculis spectacula edebantur, illinc epularum magnifici apparatus labentique annonae subsidia oriebantur. Et cum haec uniuersis, priuatim alimenta inopia laborantibus, dotes uirginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur; hospites quoque, tum urbanis penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissime excepti, uariis muneribus ornati dimittebantur. Quodam uero tempore quingentos simul Gelensium equites ui tempestatis in possessiones suas compulsos aluit ac uestiuit. Quid multa? Non mortalem aliquem sed propitiae fortunae benignum esse diceres sinum. Ergo quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat, pro cuius salute et incrementis tum Agrigentina ciuitas tum etiam c uicinae regiones ⟨uotis excubabant⟩. Cum loca ex contraria parte sint archas habentia inexorabilibus claustris obseratas; nonne praestantiorem aliquanto existimes illam impensam quam hanc custodiam? Denique quicquid sapientia disponit, approbatur; quod temeritas praesumit, uerae laudis fructum nequaquam assequitur.

Cap. 5. *De duobus naturalibus affectibus, scilicet amore iusti et amore commodi; et de sequela eorum, amore scilicet libertatis et amore dominandi; et de comparatione Cesaris et Catonis; de Alexandro, Aristotile, Augusto, et Platone; et de his qui uia deuia ad gloriam pergunt.*

Duos quidem affectus in homine ab initio extitisse sacrae Scripturae designat auctoritas, appetitum scilicet iusti et

---

2 quasi *om.* A *in textu; habet in marg.* 3 exstruebantur M 8 quassatus M 17 uotis excubabant *quae in codd. desunt ex Val. Max. supplevi.* 24 comodi CB 26 cathonis S *in rubr. cap. praef.* Aristole M 27 *de* om. C hiis S *in rubr. cap. praef.* 30 apetitum S

---

2 *Illic*: *illinc* Val. Max. 17 *Cum loca ex contraria parte sint archas habentia*: *Conloca ex contraria parte arcas* Val. Max. 29 *Duos* etc.: cf. Aug. de *Gen. ad Litt.* xi. 14, 15 (Migne *P. L.* xxxiv. 436, 437).

commodi appetitum. Quorum alter in uoluntate, alter in
d necessitate consistit; et quanto appetitus iusti qui in uoluntate est amplius crescit, tanto melior est et dignus beatitudine ampliori. Nam nimis uelle quod iustum est nemo potest, nisi forte quis queat esse iustus nimium aut beatus. Porro, si appetitus commodi mensuram necessitatis excedat, uergit ad culpam et cupiditatis conscius sibi uitiorum parit originem. Alter ergo istorum, quoniam militat caritati, quaerit quae Dei sunt; alter in propria utilitate uersatur, postponens quae Dei sunt aut proximorum. Ab hoc duplici fonte mores oriuntur. Recti quidem, si faciat quis alii quod sibi uult fieri et ab eo abstineat alii inferendo quod sibi nollet ab alio irrogari; distorti uero, si quis alium ledat uel non prosit, cum possit,
721 a quae quidem utrimque multipliciter fiunt. A priore quidem amor libertatis, amor patriae, et tandem extraneorum amor. Nam libertatem non amare non potest qui se ipsum et patriam amat et in gradu suo extraneum quicumque sincera caritate diligit proximum; siquidem in eo consistit caritas ordinata. Ab altero uero cupiditas dominationis procedit et laudis et gloriae, et adeo inualescit ut ex opinione multorum res tamen parum consideratae examinantium uirtutibus connumeretur. Nam qui rectum sapiunt, hoc uitiis maioribus aggregant, licet ei ab imperitis, qui tamen sapientum censentur nomine, uirtutes subesse uideantur. Vnde et ueteres primique Romani, prout eorum docet et commendat historia, laudis auidi, pecuniae liberales erant.
b Ingentem gloriam appetebant, diuitiis spretis, et honestatem utilitati quantaelibet praeferebant. Hanc quidem gloriam ardentissime dilexerunt, eo totam referentes uitam et

---

1 apetitum S 9 karitati M 19 karitate M karitas M 20 altera M

19, 20 *caritas ordinata*: Caritatem ordinatam sic definit Abaelardus *Probl. Hel. Solut.* 23 (ed. Cousin i. p. 272) *Haec est ordinata caritas ut unumquemque, prout melior et dignior est, ob hoc amplius diligamus*: vide etiam Abael. *in Ep. ad Rom. xiii.* 8 (ed. Cousin ii. p. 325); cf. Aug. *de Doctr. Christiana* i. 27 (Migne *P. L.* xxxiv. 29). 26 *Vnde et ueteres* etc. usque ad *opulentiam* (721 D): v. Aug. *de C. D.* v. 12.

mortem. Ceteras cupiditates huius unius ingente cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam suam, quoniam seruire uidebatur inglorium, dominari uero atque imperare gloriosum, prius omni studio liberam deinde dominam esse concupierunt; prius enim pro libertate, deinde pro dominio certatum est. Fuerunt tamen quibus iustitia, quantum gentili dabatur, sufficiebat, cupiditate deducta. Aliis nichil satis erat, sed sub imagine magnanimitatis uel impossibilia praesumentes laudem maximam consequebantur et gloriam. Longe igitur uirtus Catonis ueritati uidetur propinquior c fuisse quam Cesaris. Quod ex ipsa sententia eius facillime liquebit. Nolite, inquit, existimare maiores nostros armis rem publicam ex parua magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus nunc; quippe sociorum atque ciuium, praeterea armorum et equorum maior copia nobis quam illis est. Sed alia fuere quae illos uiros magnos fecerunt quae nobis nulla sunt; domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque auaritiam, publice egestatem, priuatim opulentiam. Laudamus diuitias, sequimur inertiam. Inter bonos et malos discrimen nullum. Omnia uirtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum ubi uos separatim sibi d quisque consilia capitis, ubi domi uoluptatibus hic pecuniae aut gratiae seruitis. Eo fit ut impetus fiat in uacuam rem publicam. Paucorum igitur uirtus ad gloriam honorem imperium, uera uia, id est ipsa uirtute nitentium, etiam a Catone laudata est. Hinc erat domi industria, quam commemorat Cato, ut erarium esset opulentum, tenues res priuatae. Vnde corruptis moribus uitium e contrario posuit, publice egestatem, priuatim opulentiam. Ipse Tullius hoc dissimulare non potuit in eisdem libris quos De

---

7 sufficiebant M 8 ymagine M 10 uidetur ueritati M 20 priuatam CABS 29 cato commemorat M

---

12 *Nolite* etc.: ex Sall. *Cat.* c. 52 §§ 19–23 citat Augustinus. 31, 32 *Ipse Tullius* etc. usque ad *improbantur* (722 A): v. Aug. *de C. D.* v. 13.

Re publica scripsit, ubi loquitur de instituendo principe ciuitatis, quem dicit alendum esse gloria et consequenter
722 a commemorat maiores suos multa mira atque praeclara gloriae cupiditate fecisse. Huic ergo uitio non solum non resistebant uerum etiam id excitandum et accendendum esse censebant putantes hoc rei publicae expedire. In libris quoque Philosophiae idem Tullius hanc intulit uniuersalem generalemque sententiam: Honos alit artes, et gloria accenduntur omnes ad studia, iacentque ea semper quae apud quosque improbantur. Huic igitur cupiditati melius est resistere sine dubitatione quam cedere; ut enim ait beatus Augustinus in libro De Ciuitate Dei, tanto quisque est Deo similior, quanto et ab hac immunditia mundior. Quae in hac uita etsi non funditus eradicatur ex corde, quia bene proficientes animos temptare non cessat, saltem cupiditas gloriae superetur dilectione iustitiae.
b Nam sanius uidet qui et amorem laudis uitium esse cognoscit. Nec solius id Augustini, sed etiam gentilium sententia est gloriam hanc nichil aliud esse quam uentosi quodammodo spiritus tumorem fumo simillimum. Nam et fumus oculorum obtundit aciem, et quo magis ascendit, citius deficit; et quo magis deicitur, amplius solidatur; cum enim ad excelsa peruenerit, euanescit. Recte quidem eo quod a principe totius uanitatis traxit originem. Nimio sui capiuntur amore qui, dum nubes et inania captant et nescio quid in inani solidum apprehendere moliuntur, obliuiscuntur sui, cum tamen nichil aliud quam se oculis
c contueantur iniquis. Nolunt enim apprehendere quod sunt, et illud ad emendationem uero iudicio intueri, sed

---

2 esse alendum A[1] 7 phylosophia M 9 omnes accenduntur A[1] 10 igitur] ergo M 18 solus CBASM 22 *post* deicitur *add.* eo M[2] 26 aprehendere S 28 aprehendere S

---

8 *Honos* etc.: ex Cic. *Tusc. Disp.* i. 2 § 4 citat Augustinus. 10 *Huic igitur* etc. usque ad *iustitiae*: v. Aug. *de C. D.* v. 14. 19 *gloriam* etc.: cf. Verg. *Aen.* xi. 708; Hor. *Ep.* ii. 1. 177; Stat. *Theb.* x. 711, 712. 21 *oculorum obtundit aciem*: sic de lente Plin. *Nat. Hist.* xxii. 70. 23 *Recte*: sc. fumo comparatur gloria. 25 *nubes et inania captant*: v. Hor. *A. P.* 230.

phantasticas dumtaxat uanae opinionis secuntur umbras. Siquidem alios spernunt prae se et aspirant ad impossibilia, de fallaci rerum praesumentes imagine. Sic Narcisus in fabulis, dum uana sui imagine capitur, abit in florem et, dum seipsum imprudenter aspicit, flos sine fructu pueriliter euanescit. Multorum quoque fuit opinio, et eorum qui in ueteri philosophia prae ceteris floruerunt, Alexandrum ⟨et⟩ Aristotilem a numinibus esse progenitos, eo quod in omnibus propriam quaerebant gloriam. Platonem quoque propter diuinam quodammodo qua eminuit sapientiam et Augustum propter potentiam fortunamque tranquillam a diis traxisse d originem tradiderunt. Et quidem in contrarium rectius collegissent eos aut diuini non esse generis aut deorum filios esse degeneres, nisi quia dii gentium demonia sunt, et incubi demones uanitatis et malitiae suae certa indicia, si quem tamen gignunt, relinquunt in sobole. Nam et uerus Dei Filius, Deus homo, propriam non quaerit gloriam in omnibus quae gloriose fiunt ab eo, sed Patris; eoque illustratur gloria ampliori quod ad eum, ex quo sunt omnia, bonorum operum gloriam refert. Sic et uere sapiens omnis, uere potens, et uere bonus, ad unicum omnium bonorum fontem sua omnia laudabilia refert, summam scilicet creatricem et indiuiduam Trinitatem. Alexandri pectus laudis insatiabile qui Anacarso comiti suo ex auctoritate Democriti 723 a praeceptoris innumerabiles mundos esse referenti: Heu me, inquit, miserum, quod nec uno quidem adhuc potitus sum! Plane miser dignusque miseria, cuius uirtutes omnes absorbuerat laudis insatiata et insatiabilis fames una.

4 capitur imagine A[1]   ymagine M   7 phylosophia M   et *supplevi*: *deest in codd.*   19 gloria] gratia M

3 *Narcisus*: Fabulam Narcissi narrat Ovidius *Met.* iii. 339 seqq. 5 *sine fructu*: v. Auson. *Epigr.* 99. 7 *Alexandrum*: v. Iust. xi. 11; Solin. ix. 18. 8 *Aristotilem*: v. supra ad vii. 6 (648 A). 9 *propriam quaerebant gloriam*: v. Ioann. vii. 18. Cupiditatem gloriae in Alexandro et Aristotele notat Val. Max. viii. 14 ext. 2, 3. *Platonem*: v. Apul. *de Dogm. Plat.* i. 1. 15 *incubi demones*: cf. supra ad vii. 6 (648 A). 16, 17 *Nam et uerus* etc.: v. Ioann. viii. 50. Cum hoc loco cf. Bacon. *de Augm. Sci.* iii. 4 init. 19 *ex quo sunt omnia*: v. 1 Cor. viii. 6. 23 *Trinitatem*: cf. Abael. *Introd. ad Theol.* i. (ed. Cousin, i. 12, 13), *Theol. Christ.* iv. (i. 550, 551). *Alexandri* etc.: Val. Max. viii. 14 ext. 2. 24 *Anacarso*: *Anaxarcho* Val. Max.

Insultant ei tragediae antiquorum eo quod angusta homini possessio fuit quae deorum omnium domicilio sufficit. Sed tamen, licet appetitus gloriae semper uideatur in culpa, error eorum perniciosior est qui uel sceleribus innotescere magni duxerunt. Pausanias, cum Hermoclea percunctatus esset quonam modo subito clarus posset euadere, atque is respondisset, si occidisset aliquem uirum illustrem, futurum
b ut in gloriam eius ipsum redundaret, continuo Philippum interemit, et quidem quod petierat assecutus est. Nam et se parricidio notum posteris reddidit et celebri supplicio patibuli, cui affixus est, corona aurea, quam Mirtalis, quae et Olimpias dicta est, capiti eius pendentis imposuit, nullum dante solatium. In uindictam tamen pudicitiae per iniuriam prostitutae, Philippo non puniente sed deridente iniuriam, potest auctore Trogo aliquatenus crimen sacrilegii excusari. Inuentus est qui Dianae Ephesinae templum uellet incendere ut pulcherrimo opere consumpto nomen eius per totum terrarum orbem diffunderetur, furoremque suum detexit impositus eculeo; et, nisi Theoponti magnae facundiae ingenium eum suis comprehendisset historiis,
c bene consuluerant Ephesii decreto communi statuentes ut teterrimi hominis memoria aboleretur silentio. Simili quidem uidentur gloriam affectare immo maiori insania qui non Ephesinae Dianae templum religiosis moribus excidendum sed templum Spiritus sancti, homines totos, animas scilicet et corpora, ut per hoc hominibus innotescant,

---

6 is] his A 8 *post* eius *add.* id C[1]S phylippum M 14 phylippo M 19 theopompi SM 21 consulerant M 22 deterrimi A 23 affectare gloriam A[1]

---

1 *Insultant* etc.: v. Val. Max. loc. cit., qui tamen de *tragoediis antiquorum* nihil habet. 2 *possessio*: Notandum est vocabulum *gloriae*, quod post *possessio* exhibent Val. Max. codices, delent autem editores, apud Ioannem deesse. 5 *Pausanias* etc.: Val. Max. viii. 14 ext. 4. 9, 10 *Nam et se* etc.: v. Val. Max. loc. cit., Iustin. ix. 7 § 10. 11 *Mirtalis*: v. Iustin. ix. 7 § 13. 13 *In uindictam* etc.: v. Iustin. ix. 6. 16 *Inuentus est* etc.: v. Val. Max. viii. 14 ext. 5. *Ephesinae*: *Ephesiae* Val. Max. 19 *Theoponti*: *Theopompi* Val. Max. 25 *templum Spiritus sancti*: 1 Cor. vi. 19.

luxuriae uastant incendiis. Nam ab eo laudem appetunt, et plerumque assequuntur honorem unde aequius fuerat ignominiam sustinere et penam.

Cap. 6. *De luxuria et libidine et quinquepertito mortis introitu, et quorum sensuum sit uoluptas perniciosior, et triplici genere conuiuarum secundum Portunianum, et pernicie gulae; et de conuiuio Didonis et Euandri apud Virgilium.*

Eatenus iam sermo processit ut aut uirtutem aut publicam fere opinionem oporteat impugnari. Imminet enim d iam colluctatio aduersus carnem et sanguinem, et fores uidemur liberalitati praecludere et iocunditatem auferre de uita, cum geminae uias luxuriae, Epicureis reclamantibus, coartamus. Est enim blandum, ut ait Valerius, luxuria malum quam accusare aliquanto facilius est quam uitare. Nam et uolumen, quod propheta uorare praecipitur, in ore quidem dulcescit ut mel, sed amaricatur uenter cum ipsa dulcedo uerborum digerenda est in usum operum. Est autem libido cognata et coniuncta luxuriae, cuius sequela immunditia, finis indubitatus confusio est. Praecedat ergo sermone quae origine et causa prior est. Licet autem per quinque sensuum portas lenocinia luxus aeque introeant, 724 a uoluptas aurium ad munditiam magis uidetur accedere, et quae ex gustu uel tactu prouenit sordidior est, et olfaciendi et uidendi delectatio medium locum tenet. Nam neque satis interdum habet munditiae nec ad sordes perniciosissi-

2 assequntur A: assecuntur SM 6 conuiuiorum CS *in indice*: conuiuorum BS *in rubrica cap. praef.* 12 precludere liberalitati A[1] 23 munditiam] inuidiam M

11 *colluctatio aduersus carnem et sanguinem*: Eph. vi. 12. 13 *geminae uias luxuriae*: i. e. luxuriae proprie dictae et libidinis; v. Val. Max. loc. infra cit. 14 *blandum* etc.: Val. Max. ix. l. init. 16 *Nam et uolumen* etc.: v. Apoc. x. 9, 10; cf. Bed. ad loc. (Migne *P. L.* xciii. 161) *Cum perceperis, oblectaberis diuini eloquii dulcedine, sed amaritudinem senties, cum praedicare et operari coeperis quod intellexeris.* 21, 22 *per quinque sensuum* etc.: v. Hieron. *adv. Iovin.* ii. 8 (Migne *P. L.* xxiii. 297).

mas usque prolabitur. Siquidem mors per oculorum fenestras ingreditur, cum quispiam delectatur circensibus, certamine athletarum, histrionum mobilitate, mulierum formis, splendore gemmarum, uestium, metallorum, aliorumque quibus libertas animae captiuatur. Rursus, si auditus uario organorum cantu uocumque flexionibus mulceatur ad carmina poetarum, comediarum et tragediarum actus, mimorum urbanitates et strophas, et quicquid huiusmodi per b aurem incedit, uirilitatem mentis effeminat. Odoris autem suauitas et diuersa thimiamata et amomum, muscus, peregrini muris pellicula, quod dissolutis moribus faciant nemo nisi dissolutus negat. Nam peregrinos odores non nisi dissolutis et amatoribus conuenire comicus et Cocus docent. Porro ciborum auiditas auaritiae mater est, et animum quasi quibusdam compedibus degrauatum tenet in terra. Ergo propter breuem gulae uoluptatem terrae lustrantur et maria; et ut mulsum uinum pretiosusque cibus fauces pertranseat, totius uitae opere desudatur. Ipsi quoque muri Ierusalem, etsi uideantur in petra solidati, tandem ruunt et complanantur aequati solo, Nabuzardan cocorum principe c imperante. Tactus autem alienorum corporum et feminarum ardentior appetitus uicinus insaniae est. Quicquid sensus quilibet moliatur, ludus ac iocus est prae hiis quae affert, ut uerbis comici utar, huius rabies. Hinc enim cupimus, irascimur, gestimus, emulamur, solliciti sumus, et expleta uoluptate per quandam penitudinem rursus accendimur, quaerimusque facere quod cum fecerimus iterum

3 alletarum CBSM hystrionum M 23 his M 24 *post* huius *add.* ut CBAS

1 *Siquidem mors* etc. usque ad *agit* (724 D): v. Hieron. loc. supra cit. 12 *Nam peregrinos* etc. usque ad *docent*: haud ex Hieronymo. 13 *comicus*: v. Ter. *Ad.* i. 2. 37 *scortatur, potat, olet unguenta.* *Cocus*: i. e. Martialis; v. *Epigr.* ii. 12; cf. supra ad vii. 12 (665 B). 18 *Ipsi* etc. usque ad *imperante*: haud ex Hieronymo; v. 4 Reg. xxv. 8 seqq. 20 *cocorum principe*: ita verti potest voc. Hebr. *Rab-tabbachim, princeps* eorum qui trucidant, scilicet *militum*; et ita apud medii aevi auctores vulgo vocatur Nabuzardan; cf. Matt. Par. *Chron. mai.* ed. Luard iii. 483; cf. Hieron. *Quaest. Hebr. in Gen. xxxvii.* 36, Aug. *Quaest. in Heptateuch.* i. 127 (Migne *P. L.* xxiii. 995, xxxiv. 582). 22 *Quicquid* etc. usque ad *rabies*: haud ex Hieronymo. 24 *comici*: v. Ter. *Eun.* ii. 3. 8, 9.

peniteamus. Ergo, cum per has portas quasi quidam cunei perturbationum ad arcem nostrae mentis intrauerint, ut ait beatus Ieronimus, ubi erit libertas, ubi fortitudo eius, ubi de Deo cogitatio, maxime cum recordatio tactus depingat sibi etiam praeteritas uoluptates et rememoratione uitiorum cogat animam compati et quodammodo exercere quod non agit? Forte hinc est quod, cum Apostolus uitiis omnibus d censuerit reluctandum, aduersus fornicationem non congressum sed fugam indicens: Fugite, inquit, fornicationem. Nam haec fere, dum exercetur, Domini immemor est; et praeterita, dum ad memoriam redit, pestiferas excitat uoluptates. Vt de ceteris taceam quos simplicitas egit in culpam, philosophus acutissimus et litteratissimus Christianus et feruentissimus in fide Origenes, sicut Ecclesiastica refert Historia, seipsum castrauit, fornicationem efficacissime fugiens, immo et omnem quae fingi posset praecauens suspicionem, ut exinde sine nota cum uirginibus habitaret. Quod autem mirabilius est, leguntur quidam philosophorum 725 a sibi etiam oculos effodisse, ne exteriorum illecebris caperentur. Vtique admirando boni et honesti feruebant zelo, etsi recti scientiam non haberent. Scitum est et scitu dignum Aristotilis dictum, quo uoluptatum initia obliuioni mandanda asseruit et solos exitus recordandos; fessas enim penitentiaeque plenas, quo minus auide repetantur, subicit animis, et quod in eis iocundum est, ne redeant, iubet abscondi. Dicat Apostolus quod uoluerit, quia fornicationem fugere et gulae seruire aut omnino impossibile aut difficillimum est; nam et illa pars gulae quae corpori uires adimit nequaquam mechiae expers est. Venerem Bachus plerum-

13 phylosophus M 18 phylosophorum M 19 occulos A

5 *rememoratione*: *recordatione* Hieron. 9, 10 *Fugite fornicationem*: 1 Cor. vi. 18. 13 *philosophus* etc.: de Origene cf. Abael. *Hist. Calam.* 14; *Epp.* v. (ad Heloissam), vii. (ad Heloissam), *Serm.* xxxi. *in Nat. S. Steph.* (ed. Cousin i. pp. 32, 100, 150, 555). 14, 15 *sicut Ecclesiastica refert Historia*: v. Euseb. *Eccl. Hist.* vi. 8, quam a Rufino Latine versam (ed. Cacciari vi. 6, p. 331) legit Ioannes noster. 18 *leguntur quidam* etc.: v. Hieron. *adv. Iovin.* ii. 9 (Migne *P. L.* xxiii. 298). 22 *Aristotilis dictum* etc.: v. Val. Max. vii. 2 ext. 11. 26 *Dicat Apostolus quod uoluerit*: i. e. *Nobis, si gulae nimium indulgere soleamus, frustra dixerit Apostolus Fugite fornicationem, quia* etc. 27 *gulae seruire*: cf. Hor. *Sat.* ii. 7. 111.

que expugnat et tamen in sacello uoluptatis nemine recla-
b mante conueniunt. Si Bachus optinuerit, Venerem non uoluptatem extinguit. Aut nulla ebrietas aut tanta sit ut tibi uires eripiat; si qua est inter utramque, nocet. Vtrobique a Deo receditur, sed qua magis aberretur non facile dixerim; sed iam alterum erroris nomine non censetur, quia auaritiae propellit notam et ingenuae liberalitatis habere uidetur imaginem. Cum enim liberalitatis effectus nunc a loco, nunc a tempore, nunc a quantitate, nunc a personis, nunc ab usu et assiduitate exercendi laudetur, illa praecipue commendabilis creditur quae in alimentis et hiis quibus natura indiget aut uita ciuilis ornatur clarius enitescit. Ergo qui omnes admittit ad mensam, exactissimae liberalitatis est; plane quidem, eoque liberalior quo plures ad-
c mittit; sed hoc calculo paucissimi colliguntur. Proximus est qui, etsi non omnes admittat, eos quos introducit sic cibat, sic potat, sic in tricliniis fulcit et locat discumbentes in sedilibus, ut nichil uel excogitari lautius possit. Multiplicantur fercula, cibi alii aliis farciuntur, condiuntur haec illis et in iniuriam naturae innatum relinquere et alienum coguntur afferre saporem, conficiuntur et salsamenta. Garo nichil uilius est, nisi complurium polliceatur effectus et indicia specierum. Egregium tamen est in huiusmodi quod mimis et histrionibus et rumigerulis placet; haec enim non ad ueritatem sed ad opinionem omnia fiunt. Cocorum sollicitudo feruet, arte multiplici eliciuntur iura, quid quo die geri oporteat et cotidianis ministrari conui-
d uiis domesticus dictator nocte dieque deliberat. Vndecumque conquirit irritamenta gulae et unde palati uires excitet hebetati, nichil arbitrans expeditum, nisi cum intemperan-

6 censenter C[1] 8 ymaginem M 11 his M 12 enitescit] elucescit M 17 dicumbentes M 27 cottidianis A[1]

2 *Si Bachus* etc.: cf. Macrob. *Sat.* vii. 6 § 8; Shakespeare *Macb.* ii. 3. 33. 8 *Cum enim* etc.: Quae sequuntur usque ad 725 D ex Macrobii *Saturnaliorum* parte quae hodie non exstat desumpta esse suspicor; v. infra ad c. 7 (731 D). 27 *geri* etc.: cf. Cic. *de Fin.* iii. 20 § 68 *gerere et administrare rem publicam.* 29 *irritamenta gulae*: Sall. *Iug.* 89 § 7.

tiae fuerit satisfactum. Sunt et qui poculis fercula subruant, et quasi Homerici auctoritate decreti incentiuum ingenii et fomitem uirtutis et quendam hilaritatis fontem opinantur, si se omnino mero siceraue proluerint. Pheacum ergo more consurgunt, et qui in exhauriendis poculis perditior est potior iudicatur. Dici solet quia aleator quanto in arte doctior, tanto nequior; et plane qui bibacior est alios malitia et iniquitate transcendit. Immolauit Israel, apostatans a Salutari suo, filios et filias suas demoniis; et isti, dum ingurgitatione uini aut sicerae spiritum depri- 726 a
munt, extinguunt scintillulam rationis, se totos immunditiae prostituunt et bachantium spiritui deuouent, quidnam possunt familiarius immolare? Ceterum sunt qui ista contempnant, quoniam haec uulgarium et (ut ita dicam) plebeiorum conuiuiorum uidetur esse professio (siquidem alia philosophica, alia ciuilia, alia dicuntur esse plebeia). In iis laudi plerumque ducitur, si sic tua prodigas semel ut trimenstruo toto esuriens conuiua impudens mensas circumeas alienas. Hoc quidem saepe prodigalitatis, interdum et auaritiae nota est; nam, ut dici solet, auarus cum incipit, modum excedit. Poteris uidere quamplurimos qui fere anno toto parsimoniae student, et ad purgandam auaritiae labem epulones conuocant et parasitos et collegium b
nugatorum, qui alienae nidore culinae capiuntur, et quos magis honorare uoluerint maioribus oneratos minoribus poculis ingurgitant et distendunt, et, donec rapidam orexim excutiant, aliquid amicitiae aut festiuitati credunt esse subtractum. At hoc ab omni urbanitate adeo procul est ut

3 hylaritatis M 9 *post* filios *add.* suos A 17 hiis BAS 18, 19 circueas AS 24 quos] quo A

2 *Homerici auctoritate decreti*: Certe haec Macrobium sapiunt; cf. Ian. *Proleg. in Macrob.* c. 3 (i. p. xlii). 4 *Pheacum*: De Phaeacibus v. Hom. *Od.* vii. 98, 99, viii. 248, 249. 6 *aleator* etc.: Publ. Syr. *Sent.* A 33 (ed. Meyer p. 19). 7 *bibacior*: *bibax* est voc. ἅπ. λεγ. a Gellio iii. 12 § 2 ex Nigidii Commentariis citatum. 8 *Immolauit* etc.: v. Deut. xxxii. 15, 17; Ps. cv. 37. 15 *siquidem* etc.: Ad Macrobium (si recte suspicor) redit. 18 *trimenstruo*: Hoc vocabulum nusquam apud auctores antiquos invenerunt lexicographi, nec nisi ex Glossario quodam citant. 24 *nidore* etc.: v. Iuv. *Sat.* v. 162. 25 *maioribus*: sc. *poculis.* 26 *rapidam orexim*: v. Iuv. *Sat.* vi. 428 (*rabidam*).

barbariei uitiis familiarius sit quam uitae ciuili; siquidem conuiuiorum ciuilium ratio media est, ut etiam sobrietatem exhilaret et in satietate opulentia crapulam uitet. Nam et abundantiam cibi et potus habet et, quasi copiae cornu dispensans, omnia sic parcit ut effundat, sic effundit ut parcat, et quam habet penes se rationem non negligit quidem, sed, ut ait Portunianus, fides rationem non ostentat c impensae. Nichil enim molestius est quam si triclinii praesul in conuiuio sedere uideatur ad calculum. Vnde non satis michi uidentur esse ciuiles quidam de liberalitate inepta gloriantium qui singulis noctibus cum seruis suis calculum ponunt et quod effuderunt usu uel abusu diurno quasi nocturnis lacrimis deflent. Suboriuntur lites, accedunt minae, arguuntur aut furti aut insipientiae serui et quasi re male administrata eiciuntur et torquentur interdum, quandoque quod effundere iussi sunt refundere compelluntur; et conscii turbantur omnes, dum dominus pecuniam quae euasit suspiriis et dolore prosequitur. Saepe etiam euenit ut qui ad requisita naturae ingressus est, d ibidem, quo uerecundia humanum fugit aspectum, cum ministris exactissimam sumptuum habeat rationem; recte quidem, quia nullus locus tractandis sordibus eis magis uidetur accommodus. Sane non quod sordidum dixerim, si diligens paterfamilias id agit ut ei ratio constet impensae; si tamen hoc gradus aut dignitas personae non adimit. Sed in eo uitam terere et tota mente uersari et sic quidem ut alius sit et alius uideatur, nequaquam arbitror a sordibus alienum. Et quidem conuiuiorum ciuilium teste Portuniano regula est ut his plurimum pro more condegentium

---

4 habundantiam A[1]SM 7 fides *om.* S 15 amministrata M 20 fugit humanum aspectum AM 23 acommodus C[1]: accomodus AS[1]M: acomodus S[2] 27 a sordibus arbitror A[1]

---

7 *Portunianus*: i. e. (ut vidit Schaarschmidtius *Ioh. Sares.* p. 91 n. 2) Postumianus, qui in Macrobii *Saturnalibus* Decio adolescenti narrat quae in convivio apud Vettium Praetextatum olim habito dicta erant. Haec omnia igitur ex Macrobio desumpta esse non dubium est. 9 *sedere ad calculum*: cum hac vocabulorum coniunctione cf. Vulg. Act. App. iii. 10 *ad eleemosynam sedebat.* 28, 29 *Portuniano*: v. supra. 29 *condegentium*: Hoc vocabulum, quo Macrobius (ut

liceat, sobrietate hilari non soluta; nam conuiuentibus sic
morem geri oportet ut licentia letior nequaquam in turpi-
tudinem luxuriae proruat. Illa siquidem, quasi omnium
gentium hostis teterrima et acerbissima, uitanda est. Dio- 727 a
genes tirannos et subuersiones urbium bellaque uel hostilia
uel ciuilia non pro simplici uictu olerum pomorumque sed
pro carnibus et epularum delitiis asserit excitari. Rectius
quidem bellorum hostilium uel ciuilium matrem et altricem
luxuriam, quae non in sola gula placanda consistit, posuisset;
sed totum intellexit in parte, dum illam quae in cibo et
potu et Venere et cultu splendido constat ad gulae speciem
coartauit. Nam in his praecipue luxuria eminet et per-
niciosius nocet, quorum meditatio et iuge exercitium est ut
epulentur cotidie splendide. Haec enim intemperantia
bonos mores subuertit et totius hominis saluti praeiudicat
et, nisi coherceatur, prorsus humani corporis fabricam soluit.
Auctor est Hypocrates, crassa et obesa corpora cum b
crescendi modum impleuerint, necessariam esse sanguinis
demptionem, ut habeant in quae rursus crescere possint;
alioquin plenitudinis distentae satietas in paralisim et
pessima genera morborum erumpit. Impossibile enim est
in uno statu corporum permanere naturam, sed motu suo
crescere uel decrescere necesse est et, nisi crescendi capax
sit animal, omnino subsistere nequit. Ferunt et Galienum

1 hylari M 7 epularumque AP excitare CBA[1]S[1]M 9 potuisset M 14 cottidie A[1] 17 Actor CBSM ut hypocrates (hipocrates S) crassa C[1]S[1]: hypocrates (hipocrates A: ypocrates M) ut crassa C[2]AS[2]M 21 morborum genera A[1] est enim M

uidetur) usus est, non nisi ex Gargilii Martialis tertii post Christum saeculi scriptoris libro *de arboribus pomiferis* (Mai *Class. Auct.* I. p. 398) citat Lex. Forc.-de Vit. 4, 5 *Diogenes* etc.: v. Hieron. *adv. Iovin.* ii. 11 (Migne *P. L.* xxiii. 300). 13, 14 *ut epulentur* etc.: v. Luc. xvi. 19. 17 *Auctor est* etc.: v. Hieron. loc. supra cit. 24 *Galienum* etc.: Quo auctore hoc Galeni dictum referat, adhuc nescio: cf. librum alterum *de dynamidiis* Galeno attributum inter opera spuria quae continet ed. Galeni Ven. 1586 tom. antepenult. 20 b *Aduersus autem omnes impetus morborum duo sunt remedia certissima; primum est ut decimo quoque die a cibo et potu abstineas, deinde postero die laueris, ciboque firmo utaris; si sic feceris, oportet ut nihil uitii omnino accidat, perpetuaque sanitate utaris.*

decimae semper diei abstinentiam loco efficacissimae et saluberrimae medicinalis curae indixisse, nec facile posse, nisi corruptioris naturae fuerit, morbis grauioribus subiacere qui decima quaque die ab omni cibo abstinet aut simplicis- c sima dieta transigit uitam. Sunt adhuc qui sextam feriam in ieiunio sine cibo transigant uel eo utantur minimo; quod quidem et religioni et incolumitati, sicut experti loquuntur, certissime seruit. Refert Pompeius Trogus quod teterrimus Siciliae tirannus Dionisius, dum gulae et edacitati deditus erat, oculorum lumen amiserit. Nichil enim est quod certiorem aut citiorem inducat caliginem iugi ingluuie; quia, ut ait Portunianus, edacitas cibos terit sed oculos uorat. Galienus auctore Ieronimo doctissimus interpres Hypocratis dicit in exortatione medicinae athletas, quorum uita et ars sagina est, nec uiuere posse nec diu esse sanos, animasque d eorum ita nimio sanguine et adipibus quasi luto inuolutas nichil tenue, nichil celeste, sed semper de carnibus et ructu cogitare et uentris ingluuie. Legimus etiam quosdam morbo articulari et podagrae humoribus laborantes proscriptione bonorum ad simplicem mensam et pauperes cibos redactos conualuisse; caruerant enim sollicitudine dispensandae domus et epularum largitate, quae et corpus frangunt et animam. Irridet Oratius appetitum ciborum qui consumpti relinquunt penitentiam:

Sperne uoluptates; nocet empta dolore uoluptas.

---

3 corruptionis S 7 *prius* et *om.* M locuntur M 10 est enim A 13 *post* Ieronimo *add.* et M ypocratis CBSM 14 allethas CBASM ars et A[1] 15 sanos esse A 23 horatius A

---

8 *Pompeius Trogus* etc.: Hoc neque apud Iustinum neque alibi de Dionysio narratum inveni; forsan aut male intellexit aut male meminit Ioannes noster quod ex Trogo Pompeio de Dionysio iuniore refert Iustinus (xxi. 5 § 6) *in macello perstare*; *quod emere non poterat, oculis deuorare.* 12 *ut ait Portunianus*: Nihil huiusmodi exstat in Macrobii *Saturnalium* exemplaribus quae hodie habemus; unde hoc quoque ex loco nescio quo istius operis amisso desumptum esse videtur. 13 *Galienus*: i. e. Galenus, ut supra. *auctore Ieronimo*: v. Hieron. *adv. Iovin.* ii. 11 (Migne *P. L.* xxiii. 300). 18 *Legimus* etc. usque ad *digestio* (728 A): Hieron. *adv. Iovin.* ii. 12. 25 *Sperne* etc.: Hor. *Ep.* i. 2. 55.

Et, cum in amenissimo agro in morsum uoluptuosorum hominum se crassum pinguemque describeret, lusit his uerbis:

Me pinguem et nitidum bene curata cute uises, 728 a
cum ridere uoles Epicuri de grege porcum.

Sed et ex uilissimis cibis uitanda satietas est. Nichil enim ita obruit animum ut plenus uenter et exestuans et huc illucque se uertens et in ructus uel in crepitus uentorum efflatione respirans. Quale illud ieiunium aut qualis illa refectio post ieiunium, cum pridianis epulis distendimur et guttur nostrum mediatorium efficitur latrinarum? Dumque uolumus prolixioris inediae famem quaerere, tantum uoramus quantum uix alterius diei nox digerat. Itaque non tam ieiunium appellandum est quam crapula ac fetens et molesta digestio. Haec quidem Ieronimus. Et, licet ieiunii b faciat mentionem, etiam religione deducta frugalitatis maximas et saluberrimas commendat utilitates. Hoc autem eleganter et uere ait Portunianus, neminem ciuiliter conuiuari nisi qui sibi in cibo et potu frugalitatis et modestiae praescribit formam. Immoderatio cibi et potus dispensatricem omnium officiorum temperantiam abigit. Ea impellente fit homo ad audiendum tardus, uelox ad loquendum et uelox ad iram; fit ad libidinem pronus et ad quaeuis flagitia praeceps. Qui modestiam deserit, ad plebeiam conuiuandi consuetudinem facillime prolabitur a ciuili. Innuit hoc Maro, Homericae perfectionis fidelissimus imitator, qui, dum a rege Pheacum Vlixem exceptum recolit, Eneam naufragum in conuiuium Didonis introducit, et Pheacum et c Affrorum luxuriam in uno conuiuio eleganter expressit:

Postquam prima quies epulis mensaeque remotae,
crateras magnos statuunt et uina coronant.

2 uerbis] uersibus M 8 illa *om.* S 13 apellandum S 18 in cibo sibi M molestiae M

2 *uerbis*: *uersibus* Hieron. 3 *Me pinguem* etc.: Hor. *Ep.* i. 4. 15, 16. 17 *neminem* etc.: Haec non dubitandum est quin ex Macrobio desumpta sint, quae tamen in exemplaribus nostris non exstant. 21 *ad audiendum tardus* etc.: v. Iac. i. 19. 25 *Maro, Homericae perfectionis fidelissimus imitator*: v. Macrob. *de Somn. Scip.* i. 7 § 7 *Homericae per omnia perfectionis imitator Maro.* 27, 28 *Pheacum et Affrorum*: cf. Macrob. *Sat.* v. 2 §§ 10, 11; vii. 1 § 14. 29 *Postquam prima* etc.: Verg. *Aen.* i. 723–741, 743–749.

Fit strepitus tectis, uocemque per ampla uolutant
atria; dependent ligni laquearibus aureis
incensi, et noctem flammis funalia uincunt.
Hic regina grauem gemmis auroque poposcit
impleuitque mero pateram, quam Belus et omnes
a Belo soliti; tunc facta silentia tectis:
Iupiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur),
hunc letum Tiriisque diem Troiaque profectis
esse uelis nostrosque huius meminisse minores.
Assit letitiae Bachus dator et bona Iuno;
et uos o cetum Tirii celebrate fauentes.
Dixit et immensum laticum libauit honorem
primaque libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiae dedit increpitans; ille impiger hausit
d spumantem pateram et pleno se proluit auro;
post alii proceres. Cythara crinitus Iopas
personat aurata docuit quae maximus Athlas;
unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignis,
Arturum Pliadasque, Hiadas geminosque Triones;
quid tantum Occeano properent se tinguere soles
hiberni, uel quae tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausu Tirii, Troesque sequuntur.
Nec non et uario noctem sermone trahebat
infelix Dido longumque bibebat amorem.

Videsne delicati instituta conuiuii processum, et exitum? Superflua siquidem praecessisse et luxum epularum grauem fuisse indicat quod praemisit:

729 a Postquam prima quies epulis.

Qui alibi, parcioris mensae sobrietatem notans et quae solis necessariis gaudet, ait:

Postquam exempta fames epulis.

Verum, quia cibus homines efficit tacitos, potus loquaces, strepitum et cetera luxus insignia, quae de licentia bibendi proueniunt, prudenter adiunxit. In ipsa quoque agapetarum consuetudine planum est inuenire superstitionem qua

2 lichini A *marg.* 7 Iuppiter M locuntur SM 12 in mensam M 13 atigit CS 16 Cithara BAS yopas M 19 arcturum A 22 secuntur M 26 si *om.* M 32 tacitos efficit M 35 qua] quia M

31 *Postquam exempta* etc.: Verg. *Aen.* i. 216. 34, 35 *agapetarum*: Hoc vocabulum ap. Hieron. *Ep.* xxii (ad Eustochium) c. 14 (Migne *P. L.* xxii. 402) invenitur de virginibus quae cum monachis

numinis sollicitatur gratia et quasi religiosis precibus inuitatur, qui luxu et immunditia, piis mentibus inimica, procul abigitur; siquidem aut Deus sobrius non est aut ei ebrietas displicet. Sine mensura bibitur ad mensuram; et is ceteris b praeualet qui aut gula aut dolo strauit aut uicit compotores.

Inuenies illic qui Nestoris ebibat annos,
quot sit per calices facta Sibilla senex.

Potus quidem animum a curis redimit, soluit mentem, conceptam letitiam dissimulare non potest; prorumpit in cantica et ab eis ab libidinem uergit. Cythara crinitus Iopas non stulticinia uel bucolica personat amatorum sed ea quae ciuilis conuentus uenustatem deceant et philosophici maiestatem. Vtinam in Christianorum cetibus rememorentur illa quae in luxurioso Didonis conuiuio crinitus et incompositus Iopas personuit. Vtinam bucolica uel stulticinia amatorum conquiescant in domo sapientis, et ea in auditu omnium resonent quae aut prosint aut sine turpitudine et c corruptione demulceant. Et quidem eleganter innuit in cantico citharedi poeta doctissimus ueterum grauitatem, qui in cetu ciuili nichil admittebant nisi quod naturae aut morum instructione polleret. Plausum conuiuii uarius sermo prosequitur, eoque Veneris munia procurante mens ebria longum insolubilem et pestiferum bibit amorem, quem diffinit philosophus esse concupiscentiam coeundi.

---

4 is] hiis A 5 compotatores C²S² 10 Cithara CAS yopas M 11 stultissima M 13 christianis M cetibus] legibus M 15 yopas M 24 phylosophus M

---

specie religionis conversabantur; hoc loco tamen pro *agaparum* poni videtur, id est, conviviorum apud Christianos veteres habitorum. Quem auctorem sequatur Ioannes, equidem nescio; cf. Tert. *de Ieiun.* xvii, Aug. *Epp.* xxii, xxix (Migne *P.L.* ii. 977 seq., xxxiii. 90 seqq., 114 seqq.), Grat. *Decr.* I. xlii (Friedberg i. 151, 152). 4 *bibitur ad mensuram*: v. Ov. *Fast.* iii. 532 *ad numerumque bibunt.* 6 *Inuenies* etc.: Ov. *Fast.* iii. 533, 534. 7 *quot*: *quae* Ov. *senex*: *suos* Ov. 10 *Cythara crinitus Iopas*: Verg. *Aen.* i. 740; cf. Macrob. *Sat.* vii. 1 § 14. 24 *diffinit philosophus* etc.: v. Ar. *Top.* vi. 7. 146 a. 9 ὁ ἔρως ἐπιθυμία συνουσίας ἐστίν; quod tamen vertit Boethius (Migne *P.L.* lxiv. 979) *amor concupiscentia conventionis est.* Forsan alia usus est Ioannes interpretatione a Graeco quodam *natione Severitano* facta, quam *Metal.* iii. 5 (902 C, D) nuper in lucem prodiisse legimus. Sic *Metal.* ii. 20 (885 D) novam *Analyticorum* interpretationem cum Boethiana confert. Cf. Schaarschmidt. *Iohann. Saresb.* p. 121.

Campanam luxuriam urbi fuisse perutilem historicorum testimonio celebre est; inuictum enim armis Hannibalem illecebris suis complexa Romano militi uincendum tradidit. Illa uigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus
d largis, habundanti uino unguentorum fragrantia, Veneris usu lasciuiore ad sompnum et delitias euocauit. Ac tum demum fracta et contusa Punica feritas est, cum Seplasia et Albana castra esse coeperunt. Quid ergo uitiis hiis fedius et dampnosius quibus uirtus atteritur, uictoriae relanguescunt, sopita gloria in infamiam uertitur animique pariter et corporis uires adeo expugnantur ut nescias ab hostibusne an ab illis capi perniciosius habendum sit? Vrbs Volumnensium, opulenta diuitiis, ornata moribus et legibus ordinata, caput Etruriae habebatur. Sed postquam luxuria prolapsa est, in profundum iniuriarum et turpitudinis decidit, ut seruorum se insolentissimae dominationi subiceret, qui
730 a primi admodum pauci senatorium ordinem intrare ausi, mox uniuersam rem publicam occupauerunt, testamenta ad arbitrium suum scribi iubebant, conuiuia cetusque ingenuorum fieri uetabant, ducebant filias dominorum. Postremo lege sanxerunt ut strupra sua in uiduis pariter atque in nuptis impunita essent, ac ne qua uirgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non ante aliquis ex numero ipsorum delibasset. Esopus tragedus furiosae luxuriae depingit iuuenem, quem constat aceto liquefactos grandis summae uniones potionibus aspergere solitum, ut amplissimum patrimonium posset una sorbitiuncula deglutire. Metellus Pius ab his qui res memorabiles scribunt arguitur quod se aris et thure patie-

---

4 acerimum CBS[2] 5 abundanti A[2] 6 somnum C 8 hiis ergo S : his ergo M hiis uitiis B 8, 9 damnosius C 10 -que pariter *om.* M 12, 13 uolumensium C[1]BM : uolumiensium C[2] 14 Etruriae *ex Val. Max. textu restitui*: et curie CBASM 17 senatorum M 19 iubebant] uidebant M 23 ipsorum] impiorum M

---

1 *Campanam luxuriam* etc.: v. Val. Max. ix. 1. ext. 1. 12 *Vrbs* etc.: v. Val. Max. ix. 1. ext. 2. 12, 13 *Volumnensium*: *Volsiniensium* Val. Max. 24 *Esopus* etc.: v. Val. Max. ix. 1. 2. 27 *sorbitiuncula*: Hoc vocabulum, quod recentioris Latinitatis est, Val. Max. non habet. *Metellus Pius* etc.: v. Val. Max. ix. 1. 5. 27, 28 *ab his qui res memorabiles scribunt*: i. e. a Valerio Maximo, cuius libri inscribuntur *factorum et dictorum memorabilium.*

batur ab hospitibus excipi letoque intuebatur animo Atthalicis auleis in aduentu suo contectos parietes, et immanibus b epulis ludos apparatissimos sinebat interponi, et in ueste palmata conuiuia celebrabat, dimissasque lacunaribus uelud celesti capite recipiebat coronas. Et ubi ista? Non in Grecia neque in Asia, quarum luxuria uel ipsam seueritatem corrumpere solet, sed in horrida et bellicosa prouincia et quae Romanorum exercituum oculos Lusitanis telis praestringere consueuit. Xerses opum regiarum ostentatione eximia eo usque luxuria gaudebat ut edicto praemium ei proponeret qui nouum uoluptatis genus repperisset, qua et deliciis dum nimis capitur, cum amplissimi ruina imperii apud Salaminam uix una naue euasit. Sed, quia luxuriosum muliebris intemperantiae conuiuium apud Maronem accepisti, frugalioris mensae sobrietatem et continentiorem c cetum Enea apud Euandrum officio humanitatis excepto inuenies. Siquidem confederantur uiri, rex pacis dexteram dat, humanitatis uerba officiosissimus hospes praeloquitur.

Haec ubi dicta, dapes iubet et sublata reponi
pocula, gramineoque uiros locat ipse sedili.
Praecipuumque thoro et uillosi pelle leonis
accipit Eneam solioque inuitat acerno.
Tum lecti iuuenes certatim araeque sacerdos
uiscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
dona laboratae Cereris, Bachumque ministrant.
Vescitur Eneas, simul et Troiana iuuentus,
perpetui tergo bouis et lustralibus extis.

Ibi cuncta sunt aurea et uniuersa suo nitore praefulgent; hic sedile gramineum, acernum solium, et (quae uirum fortem deceat) spoliati leonis pellis uillosa. Hic lecti iuuenes d necessaria, ibi famulae superflua et perniciosa ministrant. Ibi uix tandem ab epulis quies indulgetur; hic eximitur

---

12 amplissima M 18 officiosissimus uerba M[1]

---

9 *Xerses* etc.: v. Val. Max. ix. 1. ext. 3. 11 *qua*: sc. *uoluptate*; *quanta* (sc *ruina*) Val. Max. 13 *apud Salaminam uix una naue*: non habet Val. Max. 19 *Haec ubi dicta* etc.: Verg. *Aen.* viii. 175–183. 28 *Ibi*: i. e. in Didonis convivio. 29 *hic*: i. e. in Evandri convivio.

fames et edendi epulis frugalibus comprimitur ardor. Ibi crinitus Iopas luxuriantium letificat cetum; hic arae sacerdos refectionem sobriam consecrat religioni. Hic post mensam seria tractantur et ad erigendam rem publicam erigitur uirile robur; ibi ut luxuriae faueant fusis precibus inuitantur et numina. Latae sunt ergo, sicut in Saturnaliorum libro legitur, ad luxuriam reprimendam leges plurimae, quarum perfunctoriam mentionem in calce ciuilis conuiuii ponere nec tediosum erit nec omnino inutile.

731 a Cap. 7. *De cibariis et sumptuariis legibus ueterum ad intemperantiam cohercendam; et differentia earum secundum Portunianum; et de intemperantia Antonii et frugalitate Iulii Cesaris, de Augusto et Nerone et G. Caligula et Vitellio et Metello.*

Prima ergo omnium ad populum lex Orchia peruenit, praescribens summam et numerum conuiuarum; uerumtamen immoderationem sumptuum nequaquam cohibuit quin unicuique liceret pro arbitrio bona sua inter paucos consumere. Secuta est ergo lex Fannia, quae etiam sumptibus modum fecit. Scriptaque est ⟨lex quae Fanniam secuta est⟩ in omnes, ut non solum ciues urbani sed omnes ubique Ithaliae lege sumptuaria tene-
b rentur; nam in eo Didiae legis uis consistit. At istis adiecta est et Licinia, quae numero conuiuarum et quantitati sumptuum et cautioni locorum dierum et temporum praescripsit regulam; ne cotidianis liceret exultare conuiuiis, dies certos praefiniens quibus permissum est conuiuari. Ergo etiam sobrii etate seculi praescripto legum cohercetur expensa cenarum. Siquidem ab initio coepit radix luxuriae pullulare; unde et uetus uerbum est: Leges

---

2 yopas CBSM 4 publicam *om.* M 9 nec tediosum erit ponere M 11 eorum C²S *in rubr. cap. praef.* 12 anthonii S *in rubr. cap. praef.* 13 iullii S *in rubr. cap. praef.* 14 Nitellio S *in rubr. cap. praef.*, M 16, 17 uerumptamen A 17 suptuum A 19 sequuta AM faunia C¹S 19, 20 lex quae Fanniam secuta est *suppleui.* 26 cottidianis A¹

6, 7 *sicut in Saturnaliorum libro legitur*: v. Macrob. *Sat.* iii. 17. 15 *Prima ergo* etc.: v. Macrob. *Sat.* iii. 17 §§ 2–13.

bonae ex malis moribus procreantur. Lex quoque Cornelia sumptuaria est adiecta prioribus, in qua non conuiuiorum magnificentia prohibita est nec gulae modus factus, sed minora pretia rebus imposita. Sed quibus rebus? Quam exquisitis et pene incognitis generibus deliciarum? Quos illic pisces quasque offulas nominat, et tamen pretia illis minora constituit! Ausim dicere, ut uilitas edulium animos c
hominum ad parandas obsoniorum copias incitaret et gulae seruire etiam qui paruis essent facultatibus possent. Ergo adprime luxuriosus et prodigus uideri potest cui haec tanta in epulis uel gratuita ponantur. Praeterea Lucius Silla, Lepidus consul, Anius Restio leges traduntur tulisse cibarias; sic enim sumptuarias leges Cato appellat. Differunt tamen quod cibariae gulam iugulant, sumptuariae altrimodam, ut ait Portunianus, luxuriam cohibent. Hoc autem magnae libertatis laudibus effert quod, cum multae leges de cenis et sumptibus ferrentur ad populum, castigantissimae illius uigor diu optinuit quae nil obscenum habet quia nil probat occultum. Praecepit enim ut patentibus ianuis pransitaretur et d
cenitaretur, ut sic oculis ciuium testibus factis luxuriae modus fieret. Hoc autem ideo tuto probat Portunianus, quia apud populum castigatum et posterioris respectu aureum laudi erat frugalitas, et paupertas non poterat esse contemptui uel rubori; nec uerendum erat ut ad cenam alienam quispiam incitatus impudenter irrueret. Superuenire enim fabulis non euocatos haud equidem turpe

13 apellat CBS 15 portuanianus M 18 optinuit diu A[1] 24 uerendum] uerecundum M 25 inuitatus A 26 fabulis^{epulis} A haut CBAS

13 *Differunt tamen* etc.: Plane etiam haec ex Macrobii *Saturnalibus* desumpta sunt, haud tamen in exemplaribus nostris inveniuntur; v. *Classical Review* xi. p. 441. 14 *altrimodam*: Hoc vocabulum in Lexicis deest; *altrimoda luxuria* est eorum qui *altero modo* quam gulosi, sicut *multimoda* eorum qui *multis modis* luxuriantur. Aut duo luxuriae genera supra distinxerat Macrobius; aut *alter* hic idem quod *alius* significat. 19 *Praecepit enim* etc.: v. Macrob. *Sat.* iii. 17 § 1. 21 *Hoc autem ideo* etc.: Etiam hoc apud Macrobium hodie non legimus; v. *Classical Review* loc. supra cit. 25 *incitatus*: Ita ex auctoritate maioris codicum partis scripsi. Olim (*Classical Review* loc. supra cit.) *haud inuitatus* pro *inuitatus* posui; qua coniectura opus non est. 25, 26 *Superuenire* etc.: Macrob. *Sat.* i. 7 § 10.

existimatur; uerum sponte irruere in conuiuium aliis praeparatum nec Homero sine nota uel in fratre memoratum est. Ceterum leges illae ualuipatae seu ualuifragae, licet Portuniani iudicio optimae fuerint, obstinatione tamen luxuriae et
732 a uitiorum inuicta concordia nullo abrogante irritae factae sunt. Antonius, etsi nulli sumptuariae legi paruerit, legem tamen de cohibendis sumptibus tulit, homo quidem temerarius sed manu inualidus et luxuriae deditus usquequaque. Sumptuumque merito Magno Pompeio successit ex decreto Gaii Cesaris, de quo triumphatore orbis uilis adulator et homo uitiis sordidus triumphauit; captus est tamen Cesar uirtutis imagine, eo quod profusione pecuniae et conuiscerationibus et latronum et histrionum stipatu magnificus uulgariter uidebatur. Ergo bene agitur cum principibus popularibus qui ex necessitate coguntur ad custodiam famae uilissimis nebulonibus adulari; nam in re publica nemo tirannorum Cesare magis accessit ad principem; licet enim rem publi-
b cam oppressisset, populus tamen Romanus omnia quae ipse decreuerat approbauit, forte ueritus seditionem et ciuilis belli reciduam passionem. Opinio tamen praeualuit ut, quia summa uirtute, id est clementia, praeditus fuerat, statuta eius quasi ex maxima parte benigniora populus approbaret. Vnde in laude eius Cicero ait: Nulla de uirtutibus tuis nec admirabilior nec gratior misericordia est.

3 ualingfrage A 8 sumtuum CB 9 magno merito C[1]B[1] 12 ymagine M 13 hystrionum M 18 opressisset S 22 maxima] magna M

2 *Homero*: v. *Il.* ii. 408, Plat. *Symp.* 174 C. 3 *ualuipatae seu ualuifragae*: Quid significent vocabula ista, quae nec norunt Lexicographi nec exhibet locus Macrobii quem citat Ioannes noster, ex praecedentibus planum est: *leges enim ualuipatae seu ualuifragae* sunt quae ualuas, id est ianuas, patefaciunt et frangunt, ut privatorum hominum luxuriam cohibeant. 4 *optimae* etc.: v. Macrob. *Sat.* iii. 17 § 13. 6 *Antonius* etc.: v. Macrob. *Sat.* iii. 17 § 14. 7 *homo quidem* etc.: Haec de Antonio et Iulio Caesare, quae nec apud Macrobium leguntur nec stilo Macrobiano scripta mihi videntur, unde desumpserit Ioannes, adhuc nescio. 12 *conuiscerationibus*: Vocabulum istud, quod non refert Lex. Forc.-de Vit., pro *uiscerationibus* ponitur; cf. Cic. *de Off.* ii. 16 § 55 *prodigi qui epulis et uiscerationibus et gladiatorum muneribus, ludorum uenationumque apparatu pecunias profundunt.* 17 *ad principem*: De differentia principis et tyranni v. supra iv. 1. 23 *Vnde in laude* etc.: v. Aug. *de C. D.* ix. 5 (ex Cic. *pro Lig.* 12 § 37).

Pium ergo animum egregiae uirtutis imagine facile supplantauit Antonius. Hic enim, cum quicquid mari aut terra aut etiam celo gigneretur ad satiandam ingluuiem suam natum existimans faucibus ac dentibus suis subderet, eaque re captus de Romano imperio facere uellet Egiptium regnum, Cleopatra uxor, quae uinci a Romanis nec luxuria dignaretur, c sponsione prouocauit insumere se posse in unam cenam sextertium centies. Id mirum Antonio uisum, nec moratus sponsione contendit. Dignus culina Numatius Plancus qui tam honesti certaminis arbiter electus est. Altera die Cleopatra, pertentans Antonium, pollucibilem sane parauit cenam, sed quam non miraretur Antonius, quippe qui omnia quae apponebantur ex cotidianis opibus agnosceret. Tunc regina arridens phialam poposcit, cui nonnichil aceti acris infudit, dimisitque festinabunda illuc unionem ex altera aure demptum, et eundem mature dissolutum (uti natura est eius lapidis) absorbuit. Et quamuis eo facto sponsione uicisset, quippe cum ipsa margarita centies sextertium d sine contentione eualuisset, manum tamen ad alterius auris unionem similiter admouit, nisi Numatius Plancus, iudex seuerissimus, superatum Antonium mature pronuntiasset. Ipse autem unio, cuius fuerit magnitudinis inde colligi poterat quod qui superfuit, postea uicta regina et capta Egipto Romam delatus dissectusque est, et factae ex una margarita duae impositaeque simulacro Veneris ut monstruosae magnitudinis in templo quod Panteon appellatur. Sed his et similibus demeruit intemperantissimus et flagitiosissimus non populi Romani sed uirtutum publicus hostis ne edictum quod triumuiratus tempore de sumptibus posuit legis nomen habeat aut uigorem. Locum autem 733 a immo et necessitatem legibus fuisse cibariis uel ex eo constat quod cibariorum deligendorum regulam luxuria adin-

1 ymagine M 1, 2 subplantauit S 5 egyptium BM 9 nummatius B 13 qui *om.* M aponebantur CBS cottidianis A[1] 17 facta M 24 egypto BA: aegypto M 25 simulachro M 26, 27 apellatur CS 32 diligendorum C[1]B[1]S: delegendorum M

2 *quicquid mari* etc. usque ad *appellatur* (732 D): Macrob. *Sat.* iii. 17 §§ 15–17. 9 *Numatius*: *Munatius* Macrob.

uenit. Testatur hoc Marcus Varro qui enumeratis quae in quibus Italiae partibus optima ad uictum gignantur, pisci Tiberino his uerbis tribuit palmam in libro undecimo Rerum Humanarum: Ad uictum optima fert ager Campanus frumentum, Falernus uinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis. Haec Varro. Sed inter eos praecipuum locum lupus tenuit, et quidem is qui inter duos pontes captus esset. Id ostendunt cum multi alii tum etiam Gaius Titius, uir etatis Lucinianae, in oratione qua legem Phanniam suasit; cuius uerba ideo ponenda sunt,
b quia non solum de lupo inter duos pontes capto erunt testimonio, sed etiam mores quibus tunc plerique uiuebant facile publicabunt. Describens enim homines prodigos in forum ad iudicandum ebrios commeantes quaeque soleant inter se sermocinari, sic ait: Ludunt alea studiose, delibuti unguentis, scortis stipati. Vbi horae decem sunt, iubent puerum uocari ut comitium eat percunctatum quid in foro gestum sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quot tribus iusserint, quot uetuerint. Inde ad comitium uadunt, ne litem suam faciant; dum eunt, nulla est in angiportu amphora quam non impleant, quippe qui uesicam plenam uini habent. Veniunt in comitium tristes, iubent dicere quorum negotium
c est. Narrant. Iudex testes poscit, ipsus it minctum. Vbi redit, ait se omnia audiuisse. Tabulas poscit, litteras inspicit, uix prae uino sustinet palpebras. Eunti in consilium ibi haec oratio: Quid michi negotii est cum istis nugatoribus potius quam potemus mulsum mixtum cum uino Greco? Edimus turdum pinguem bonumque piscem lupum germanum qui inter pontes captus fuit. Haec Titius. Sed et Plinius sui temporis eleganter tetigit gulam. Cum enim scriberet de pisce ancipensere, qui licet rarus esset,

2 ithaliae M 3 xi CB: xi° SM 4 optimum M 5 cassinus M 7 is] his A 15 sermonizari M 16 x M 18 qui *bis*] quid M 23 mictum S^{2}M 27 cum *om.* SM

1 *Marcus Varro* etc. usque ad *Titius* (733 c): Macrob. *Sat.* iii. 16 §§ 12–16. *enumeratis*: *enumerans* Macrob. 9 *Lucinianae*: *Lucilianae* Macrob. 30 *Sed et Plinius* etc.: v. Macrob. *Sat.* iii. 16 §§ 5–7. 31 *ancipensere*: i. e. accipensere; cf. Macrob. cod. Bamberg. in ed. Teubner. app. crit.

pretium eius uiluerat, post praemissa subiecit: Nullo in honore nunc est; quod equidem miror, cum sit rarus inuentu. Sed non diu stetit haec parsimonia. Nam temporibus Seueri principis Samonicus Serenus, uir seculo suo doctus, d
subiciens uerba Plinii: Non est dubium, ait, piscem hunc nullo in honore Traiani temporibus extitisse; uerum ab eo dici apud antiquos fuisse in pretio. Ego autem testimoniis palam facio uel eo magis quod gratiam eius uideo ad epulas quasi postliminio rediisse, quippe qui indignatione nostra, cum intersim conuiuio sacro, animaduertam hunc piscem a coronatis ministris cum tibicine introferri. Longum erit si omnia quae leges cibarias induxerunt uel a cibariis legibus nata sunt uoluero enarrare; cum nec luxus morum sermone ualeat comprehendi et sint plurima seculo nostro incognita quae illi uel uerbis exprimere uel exercere moribus potuerunt. Sicut enim

> Grecia capta ferum uictorem cepit et artes
> intulit agresti Latio,

sic omnium gentium mores boni et mali Romanum uictorem 734 a
persecuti sunt. Siquidem numina, immo demonia, gentium superstitiosius quam religiosius aduocabant, magnamque sibi uisi sunt assequi religionem quia nullam respuerant falsitatem. Deos tutelares non tam pio quam impio cultu omnibus subtrahebant, ut omnes in una urbe collecti in illius custodia iugiter uigilarent. Sic et quae ubique locorum placuisse audierant in urbem traiecerunt, ut esset unde possent gratiam omnium in se et gloriam prouocare. Simile aliquid fecisse uisus est rex Anglorum Willelmus primus,

---

9 dignatione SM nostra] uestra S²M 12 cibariis a M

1, 2 *Nullo in honore* etc.: Haec citat Macrob. ex Plin. *Hist. Nat.* ix. 17. 2 *rarus*: sic Plin.; *perrarus* Macrob. 9 *indignatione nostra*: i. e. *indignatione, tantam luxuriam cum videam, commotus.* Constat tamen Macrobium ex Sammonici Sereni libro scripsisse *dignatione uestra*, i. e. *uobis* (sc. imperatore et pontifice maximo Septimio Severo) *me inuitare dignantibus.* Notandum est Macrob. cod. Paris. *nostram* pro *uestra* exhibere: v. Eyssenhardt app. crit. 11 *Longum erit* etc.: cf. Macrob. *Sat.* iii. 17 §§ 1, 12. 17 *Grecia capta* etc.: Hor. *Ep.* ii. 1. 156, 157. 23 *Deos tutelares* etc.: cf. Macrob. *Sat.* iii. 9 § 2. 27 *Simile* etc. usque ad *infundere*: citat Pauli, *M. G. H., SS.*, xxvii. p. 49.

b cuius uirtuti Normannia Cenomannis et tandem maior Britannia cessit. Assumpto namque regni diademate et pace composita legatos misit ad exteras nationes ut a praeclaris omnium domibus quicquid eis magnificum aut mirificum uideretur afferrent. Defluxit ergo in insulam opulentam et quae fere sola bonis suis est in orbe contenta quicquid magnificentiae, immo luxuriae, potuit inueniri. Laudabile quidem fuit magni uiri propositum qui uirtutes omnium orbi suo uolebat infundere. Sed meo arbitratu laudabilius extitisset, si in gentem quam armis uicerat et quam luxuriae praeuicerat magnitudo legem temperantiae promulgasset. Sane fructuosius esset eam roborare uerbo et opere quam lasciuiendi ab auctoritate multorum magno-
c rumque propagare audaciam. Secus egisse Gaium Cesarem pace urbi reformata refert Portunianus, qui, sumptuariae legis insistens uestigio, domum ciuilem potius quam imperatoriam in mensa prima tribus solempnibus pulmentis siue ferculis statuit esse contentam, dum tamen bellaria parentetica pro necessitate aut dignitate personarum et aut exercenda liberalitate aut solemnitate diei primis mensis licuerit immiscere. Solemnia quidem pulmenta sunt quae in omnes pertranseunt et a Grecis catholica, hoc est uniuersalia, nominantur. Parentetica uero quae ex causa necessitatis aut urbanitatis in praeceptam aliqua ratione ueniunt partem; sic dicta eo quod solempnibus, id est uniuersalibus,
d particulariter soleant interponi. Nec enim pulmenta in

4 *post* praeclaris *add.* aut M 6 fere sola que C[1]: que bonis suis sola fere B[1]: que bonis suis fere sola B[2] 17 sollennibus A: sollempnibus S: solennibus M 20 sollempnitate AS 20, 21 licuerit mensis A 21 Sollennia A: sollempnia S 25 solennibus CBM: sollennibus A: sollempnibus S

6 *quae fere* etc.: cf. (cum R. Pauli) versus quos legimus in *Dial. de Scaccario* i. 11 *Insula nostra suis contenta bonis* etc. et alios in *Neues Archiv* iv. p. 25 citatos *Anglia, terrarum decus et flos finitimarum, Est contenta sui fertilitate boni.* 14 *Secus egisse* etc. usque ad *interponi*: Haec non dubito quin ex Macrobii capitulis hodie amissis desumpta sint; v. *Classical Review* xi. p. 441. *Gaium Cesarem*: De Iulii Caesaris legibus sumptuariis non nihil habent Dio Cass. xliii. 25, Cic. *ad Fam.* ix. 15 § 5, *ad Att.* xiii. 7, Suet. *Iul.* 43. 17 *tribus* etc.: cf. Suet. *Aug.* 74. 23 *Parentetica* etc.: Hos vocabulorum *parenthetica* et *catholica* sensus non nisi ex hoc Ioannis loco referunt Lexica.

olere aut legumine dumtaxat constare certum est cum ex multis tum ex eo quod patriarcha Ysaac de uenatione filii sibi pulmentum fieri imperauit. Significant autem bellaria omne genus mensae secundae quoniam ibi solent apponi quae pulchriora sunt et delicatiora. Vtitur autem hoc nomine Marcus Varro: Bellaria, inquit, ea maxime mellita sunt quae mellita non sunt. Quod forte eo referri potest quod utenti gratiora sunt ea quae necessitas appetit quam quae irritatio gulae inuenit. Sed forte pusilli uidetur animi qui ad hunc modum primae mensae luxuriam cohibet aut qui facit in talibus legis sumptuariae mentionem; nec tamen Cesare maior est aut magnificentior quisquam eorum qui morum rerumque iactura exercent gulam. Luxuriae 735 a obsecuntur, seruiunt uanitati, et nequitiam aut negligentiam suam nituntur liberalitatis imagine consolari. Quis Cesare Augusto frugalior, qui in summo fastigii culmine secundario pane et pisciculis quos uulgo spinaticos uel ripiliones uocant contentus erat et non nisi necessitate urgente comedebat uel amico? Quis Nerone gulosior aut sumptuosior? Et tamen hic numquam magnus aut laudatus erit alicui sapienti non magis quam G. Caligula aut Vitellius sed etiam minus; nam et hic prandia et cenas et comesationes immodice frequentabat. Famosissima super ceteras fuit cena in qua inuitatus a fratre fuit, habens duo milia lectissimorum piscium, septem milia auium. Hanc quoque b exuperauit ipse in dedicatione paterae quam ob immensam magnitudinem clipeum Mineruae appellauit. In hac fasianorum et pauonum cerebella, linguas phoenicopterum, murenarum lactes ex cunctis maris partibus petitarum com-

---

4 aponi C^{1}S 14 obsequuntur A 15 ymagine M 17 spinaticos (uel asperagos) CA: spinaticos uel asperagos B 22, 23 commessationes B 26 exsuperauit SM: superauit A patine S: pathere M 27 apellauit CBS 29 cunctis] certis SM

---

2 *patriarcha Ysaac* etc.: v. Gen. xxvii. 4. 3 *Significant autem*: v. Macrob. *Sat.* ii. 8 § 3 (ex Gell. xiii. 11 §§ 6, 7). 15 *Quis Cesare* etc.: v. Suet. *Aug.* 76. 17 *spinaticos uel ripiliones*: ἅπαξ λεγόμενα; vide quae habet Ducange s. v. de nominibus similibus apud Picardos usitatis. 22 *Nam et hic* etc. usque ad *commiscuit*: v. Suet. *Vit.* 13. 26 *paterae*: *patinae* Suet.

miscuit. Numquid Iulio uel Augusto maior est Metellus pontifex luxuriosus, cuius cenam facilius est referre quam intelligere? Nam et ipse famosam, immo infamem fecit cenam et anticenium uel, ut ait Portunianus, paracenium, tanta instruxit luxuria ut non modo splendorem cenae ciuilis sed etiam Egiptium luxum excederet. Siquidem cenam hanc apposuit: ante cenam echinos, ostreas crudas quantum uellent, peloridas, spondilos, turdum asperagos c subtus, gallinam altilem, patinam ostrearum peloridum, balanos nigros, balanos albos, iterum spondilos, glicomaridas, urticas, fiscedulas, bumbos capragines, apri ungues, altilia ex farina inuoluta, fiscedulas murices et purpuras; in cena sumina, sinciput aprinum, patinam piscium, patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores saginatos, altilia assa, amilum, panes Piscentes. Quis tunc luxuriam accusaret aliorum, quando tot rebus farta fuit cena pontificum? Nam et ipsa eduliorum genera uel dictu turpia sunt et nostratibus, licet nimis in luxus splendore glorientur, pro parte inaudita. Si quis ea nosse desiderat, recenseat Saturnalia, percurrat Portuniani ciuilia instituta. Ne tamen uitiorum longe petantur exempla, maiorum erroribus suos nostra etas d adiecit. Memini meipsum in Apulia diuitis cuiusdam inter-

---

6 egyptium BM   Siquidem *usque ad* Piscentes *om.* SM: C *habet in marg.*   8 pelondas CBASM

---

1 *Metellus* etc.: v. Macrob. *Sat.* iii. 13 §§ 6 seqq.   3 *Nam et ipse* etc.: Etiam haec ex Macrobii capitulis hodie amissis desumpta esse indicit Portuniani i. e. Postumiani nomen.   4 *paracenium*: Hoc vocabulum aliunde non citant Lexicographi; quod autem significat *antecenium* refert Isidorus *Orig.* xx. 2 § 12 (Migne *P. L.* lxxxii. 707, 708): *Merenda est cibus qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda et proxima cenae, unde et antecenia a quibusdam uocantur.*   7 *ante cenam* etc. usque ad *turpia*: Macrob. *Sat.* iii. 13.   11 *bumbos capragines, apri ungues*; potius *lumbos capruginos aprugnos*, i. e. *lumbos caprorum et aprorum.*   14 *saginatos* in nostris Macrob. exemplaribus deest.   22 *Memini* usque ad *interfuit*: citat Pauli, *M. G. H.*, *SS.*, xxvii.   *in Apulia*: quam bis peragravit Ioannes noster, ut ait ipse *Metal.* iii. in prologo; primum, ut videtur, ante a. 1154, regnante adhuc Rogero (v. supra vii. 19, 632 A); deinde a. 1155–1156 cum Hadriano IV papa Beneventi ferme tres menses mansit (v. supra vi. 24. 625 C).

fuisse cenae, quae ab hora diei nona fere usque ad duodecimam noctis et hoc quidem tempore aequidiali protracta est. In hanc itaque Canusinus hospes Constantinopolitanas Babilonicas Alexandrinas Palestinas Tripolitanas Barbarorum Sirias Pheniciasque congessit delicias, ac si Sicilia Calabria Apulia Campaniaque non sufficiant conuiuium instruere delicatum. Copiam rerum ministerii disciplinam sedulitatem obsequii, urbanitatem hospitis plenius et melius referet uir singularis eloquii et qui omnibus quos uiderim trium linguarum gratia praestat. Is quidem est Iohannes thesaurarius Eboraci; nam et ipse interfuit. Sed, quod sine rubore fidelium dici uel audiri non potest, infidelibus, **736 a** teste Macrobio, plura turpia et luxuriosa uidebantur quae seculo nostro placent et optinente luxu magnifica appellantur. Nam Titius in suasione legis Fanniae obicit seculo suo quod porcum Troianum mensis inferant, quem illi ideo sic uocabant quasi aliis inclusis animalibus grauidum sicut Troianus ille equus grauidus armatis fuit. Cenam Trimalchionis apud Petronium, si potes, ingredere, et porcum sic grauidari posse miraberis, nisi forte admirationem multiplex ignota et inaudita luxuria tollat. Et quidem multa, quae nos usu uel abusu edocti non miramur, uisa sunt admiranda immo et stupenda maioribus. Nam et porcum iam non Troianum sed domesticum dicimus et in hunc modum

1, 2 xii^{mam} S: xii^{am} M. 5 syrias M 14 obtinente CBSM 14, 15 apellantur CBS 18 ille troianus BAS 20 admiratione M 21 multa quidem M

3 *Canusinus*: i. e. ex Canusio ortus, oppido Apuliae notissimo, quod tempore Ioannis nostri adhuc florebat; vide *Aer. Rediv. Canusin.* (ap. Graev. *Thes. Antiqu. Italiae* t. ix. part. 5) c. 14, pp. 36 seqq. *hospes*: hospitalitatis scilicet illius successor haud indignus, de qua ait Val. Max. iv. 8 § 2 *Femina Busa nomine . . . Cannensis proelii reliquias benignissime intra Canusina moenia alimentis sustentauit.* 10, 11 *Iohannes thesaurarius Eboraci*: i. e. Ioannes, dictus *ad albas manus*, thesaurarius ecclesiae Eboracensis ab a. 1154 usque ad a. 1163, episcopus Pictaviensis ab a. 1163 usque ad a. 1182, archiepiscopus Lugdunensis ab a. 1182 usque ad a. 1193, obiit circa a. 1203. Ad illum scripsit Noster *Epp.* 34, 146, 148, 174, 202, 222, 227, 228, 231, 235, 239, 245, 268, 287, 291, 304; vide T. A. Archer in *Dict. of Nat. Biog.* iv. 196 seqq. s. v. *Belmeis*; cf. *Gall. Christ.* ed. 1872, ii. 1189. 15 *Nam Titius* etc.: Macrob. *Sat.* iii. 13 § 13. 18, 19 *Cenam Trimalchionis* etc.: v. Petron. *Sat.* 49.

b farciendo quam plura facimus esse Troiana. Vnde Marcus Varro in libro tertio de Agricultura: Hoc quoque nuper institutum est saginari et lepores, cum exceptos e leporario quondam in caueis et loco clauso faciam pingues. Sed et cocleas luxus effecit saginatas. Haec Varro. Nichil autem istorum luxus iam habet notam sed est ciuilitatis insigne quicquid incentiuum est gulae.

Cap. 8. *De conuiuio philosophico, et quod ei civile connexum est ; et de sumptuariis legibus eius.*

A ciuili ad philosophicum transeamus, licet his qui rerum substantiam perspicacius intuentur philosophicis ciuilia uideantur esse connexa. Siquidem philosophia rerum omnium moderatrix a conuiuiis non potest abesse ciuilibus, cum nichil omnino officiosum sit aut ciuile quod non illa
c praetractet. Ipsa est quae uniuersis praescribit modum et, dum disponit officia, etiam plebeiis et uulgaribus interesse dignatur. Alioquin nichil aliud recte procedit, nisi et ipsa rebus asserat quod uerbis docet. Quid enim prodest uerbis inanibus uentilare in scolis uirtutis officia, si non actibus et uita solidentur? Dicuntur tamen esse plebeia quae ad modestiam minus accedunt et, quasi philosophiae soluta legibus, ab indisciplinatione aut esuriem inuehunt a parcitate aut a luxu et auiditate furorem. Si apud Nasidienum conuiuae conueniant, sordidus displicet apparatus, domus incomposita susurriis incrustatur, auaritia illius qui tricli-

1 faciendo M 8 phylosophico M 8, 9 conuexum C^1S *in indice* 9 de *om.* A eius *om.* S *in rubr. cap. praef.* 10 phylosophicum M 12 rerum] esse A 17 aliud] alicubi C^1A^2S

1, 2 *Vnde Marcus Varro* etc.: v. Macrob. *Sat.* iii. 13 §§ 14, 15. 4 *quondam*: ita Macrob. cod. Bamberg.; *condant* Varr. *de re rust.* iii. 12 § 5. *faciam*: ita Macrob. codd.; *faciant* Varr. 10 *A ciuili* etc.: v. supra c. 6 (726 A). 12 *rerum omnium moderatrix*: cf. infra c. 10 (743 B). 15 *praetractet*: Hoc vocabulum non exhibent Lexicographi; *pertractet* habent edd. praeter principem omnes. Sed *praetractentur* in Tac. *Germ.* c. 11 habent codices duo, quos secutus est v. d. Car. Halm; et, ut suspicor, dicere vult Ioannes philosophiam *rerum omnium moderatricem* omnia civilia ita tractare ut scientia principalis ea tractat quaecumque ad scientias subalternas pertinent. 23 *Si apud Nasidienum* etc.: v. Hor. *Sat.* ii. 8. 25 *susurriis*: Sic codices pro *susurris*. Ad Hor. *Sat.* ii. 8. 78 respicit.

niis praeest conuiuarum irrisoriam prouocat gulam, ut, cum Aliphanis uinaria tota inuerterint, submurmurent inuicem d illud Oratii:

Nos, nisi dampnose bibimus, moriemur inulti.

Hoc enim modis omnibus agitur ut paterfamilias, cui impensa perit et opera, dampnificetur. Si autem apud Cepheum discumbatur, opulentia et defectus rationis ad insaniam uergit et facillime fit a Bacho concursus ad Martem. Hoc enim in fabulis exprimunt illa conuiuia Centaurorum, ubi Bachi non cessant munera donec eliciant sanguinem. Haec quidem sunt uulgarium conuiuiorum commercia et quae philosophiae non temperantur arbitrio. Quos si uideris citra modestiam conuenire, non fabulosos Centauros crede sed ueros; semiferi enim sunt et aura spiritus sui aut spiritus Bachi inaniter intumescunt. Nam quae a plebeis, 737 a id est tenuioribus celebrantur, interdum ciuilia, interdum philosophica sunt, nisi forte Socratis Alcipiadis Epitecti aliorumque philosophorum conuiuia inciuilia opineris. Ciuilia tamen sunt (ut morem sequamur nostrum qui pinguiori Minerua utimur) non quidem dissoluta sed liberioris licentiae et opulenta magis et quae ad communem letitiam (salua tamen modestia) magis quam ad philosophicum rigorem accedunt. Ab his ergo Nasidienitae arcentur et quicumque supercilii grauitate et inameno uultu admis-

---

4 damnose M 12 phylosophiae M si] sic S'M² 17 phylosophica M epytecti M 21 magis modestia A 22, 23 phylosophicum M

---

2 *Aliphanis* etc.: v. Hor. *Sat.* ii. 8. 39. 4 *Nos, nisi* etc.: v. Hor. *Sat.* ii. 8. 34. 6, 7 *apud Cepheum*: De Cephei cena, ubi Phineus, cui Andromeda, Cephei filia, desponsata erat, Persea ipsam iam ducturum occidere conatus est, v. Ov. *Metam.* v. 1 seqq. 9 *conuiuia Centaurorum*: v. Ov. *Metam.* xii. 210 seqq. 14 *semiferi*: ut ait Ovidius *Metam.* xii. 406. 17 *Socratis Alcipiadis*: qui convivio Agathonis, quod illustravit Plato, interfuerunt; cf. Macrob. *Sat.* ii. 1 § 3. *Epitecti*: i. e. Epicteti; qui non modo plebeius sed servus fuit; v. Macrob. *Sat.* i. 11 §§ 44 seqq. 20 *pinguiori Minerua*: v. Cic. *de Amicit.* 5 § 19. 23 *Nasidienitae*: i. e. qui Nasidieno Horatiano similes sunt; v. supra 736 c. Ineptum est quod habet Carpenterius in Lexico Cangiano sub hoc vocabulo: 'irrisor. Vide supra *Navire*'.

sorum hilaritatem offendit. Quicquid enim in olla ferueat aut in culina paretur aut congestum sit in promptuario aut in mensa resplendeat, insipidum est et insulsum, si non b hilaris uultus indicio saporem ingerat caritatis. Nam et Iupiter, ut in fabulis est, pauperis hospitii acceptauit conuiuium et magnas reputauit delicias quod deuota Philemonis angustia ministrauit. Et quidem de illo dictum est, sed optinet apud omnes quia

super omnia uultus
accessere boni nec iners pauperque uoluntas.

Est ergo ciuiliter conuiuari hilari uultu, larga manu, diligenti officio amenare conuiuium, et quod in usum suppetit, habita ratione personarum loci et temporis, singulis dispensare, non quidem ex tristitia uel ex necessitate, cum hilarem datorem et Deus diligat. In usus istorum licet et Catio

ponere signa nouis praeceptis, qualia uincant
c Phitagoram Anithique reum doctumque Platona.

Porro conuiuia philosophica omnino castigata et suis regulis limitata sunt, ut qui uersantur in his possint, nulla cibi et potus impediente molestia, suis officiis inseruire. Sobria enim sunt et omni luxuria castigata non impediunt Socratem ne positiuam iustitiam exequatur, a naturalis inquisitione Platonem non reuocant, memoriam rerum gestarum non excutiunt Critiae; Thimeus non prohibetur causas rerum omnium aperire, nec aliquis a quocumque uirtutis officio retardatur. Hic nec tristitiam nec uultum nubilum contingit in bonis ducere, nec Crassum illum, quem Cicero auctore Lucilio semel in uita risisse

---

1 hylaritatem M 2 promtuario A 4 hylaris BM iudicio M karitatis M 5 iuppiter M 6 pilemonis SM 8 obtinet SM 10 inhers S 18 pithagoram ASM 29 lucilicio M

---

4 *hilaris uultus*: v. Eccli xxxv. 11. 4, 5 *Nam et Iupiter* etc.: v. Ov. *Met.* viii. 620 seqq. 9 *super omnia* etc.: Ov. *Met.* viii. 677, 678. 14 *non quidem ex tristitia* etc.: v. 2 Cor. ix. 7. 17 *ponere* etc.: Hor. *Sat.* ii. 4. 2, 3. 23 *Socratem* etc.: v. Chalcid. *Comm. in Tim. Plat.* c. 6. 28 *Crassum* etc.: v. Cic. *de Fin.* v. 30 § 92.

scribit, magnopere admirari. Assunt itaque uoluptates, sed quae lasciuia careant. Adest grauitas, sed quae letitiam d non excludat. Habent autem et haec conuiuia suas sumptuarias uel cibarias leges, non tamen ut rebus sed ut personis parcant. Res enim, quatenus utilitas aut honestas exposcit, effundere non uerentur. Siquidem in eis nil sapienti carum est praeter usum. Videtur autem beatus Ieronimus ad custodiam sobrietatis, cuius iocundissima et utilissima uoluptas est, egregiam statuisse cibariam legem. Ait ergo: Adesse debet ratio ut tales et tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus nec libertas animae praegrauetur; quia et comedendum est et deambulandum et dormiendum et digerendum, et postea inflatis uenis incentiua 738 a libidinis sustinenda. Luxuriosa res uinum et contumeliosa ebrietas. Omnis autem qui cum his miscetur non erit sapiens. Nec tales accipiamus cibos quos aut difficulter digerere aut comesos magno partos et perditos labore doleamus. Olerum et pomorum ac leguminum et facilior apparatus est et arte impendiisque cocorum non indiget et sine cura sustentat humanum genus; moderateque sumptus, quia nec auide deuoratur quod irritamenta gulae non habet, leuiori digestione concoquitur. Nemo enim uno et duobus cibis hisque uilibus usque ad inflationem uentris oneratur, quae diuersitate carnium et saporis delectatione concipitur, cum uariis nidoribus fumant patinae et ad esum sui expleta esurie quasi captiuos trahunt. Vnde et morbi ex saturitate b nimia concitantur, multique impatientiam gulae uomitu remediantur, et quod turpiter ingesserunt turpius egerunt. Sed forte nimis austerus uidetur esse Ieronimus et cuius edicto difficillimum sit parere. Esto, liceat contempni Ieronimum, Stoicorum uilescat auctoritas, excludantur Peripatetici, dum uel Epicurus uoluptatis assertor audiatur.

1 itaque] utique SM 5 utilitas] humilitas A 22 leuiori M 23 hiisque S 30 contepni S 31 hieronimum C Stoycorum A 31, 32 perypatetici A: peripathetici SM

10 *Adesse* etc.: Hieron. *adv. Iovin.* ii. 10 (Migne *P. L.* xxiii. 299, 300). 14, 15 *Luxuriosa res uinum et contumeliosa ebrietas*: citat Hieronymus ex Prov. xx. 1. 32 *Epicurus uoluptatis assertor*:

Testantur enim, ut de nostris taceam, Seneca et multi alii clari inter philosophos quod ille omnes libros suos repleret oleribus et pomis et uilibus cibis, dicens eis esse uiuendum, quia carnes et exquisitae epulae ingenti cura et miseria praeparentur maioremque penam habeant in quaerendo quam uoluptatem in abutendo, corpora autem nostra cibo tantum
c et potu indigere. Vbi aqua et panis sit et cetera his similia, ibi naturae satisfactum; quicquid supra fuerit, non ad uitae necessitatem spectare sed ad uitium uoluptatis. Bibere et comedere non delitiarum ardorem sed sitim famemque restringere. Qui carnibus uescantur, indigere etiam his quae non sunt carnium; qui autem simplici uictu utantur, eos carnes non requirere. Sapientiae quoque operam dare non possumus, si mensae abundantiam cogitemus, quae labore nimio et cura indiget. Cito expletur naturae necessitas; frigus et fames simplici uestitu et cibo expelli potest. Hoc quidem Epicurus, licet a turpi sequacium grege con-
d traxerit infamiae notam. Porro Aristotiles docet a quibus sit uoluptatibus praecipue abstinendum. Cum enim de quinquepertito sensuum fonte uoluptas oriatur, illam quae est gustus et tactus, id est cibi et uentris, solam hominibus communem dicit esse cum beluis, et iccirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur quisquis hac uoluptate ferarum occupatur. Ceterae ex tribus aliis sensibus proficiscentes hominum tantum propriae sunt. Quis igitur habens aliquid humani pudoris, uoluptatibus istis duabus coeundi atque comedendi, quae homini cum sue atque asino communes sunt, gratuletur? Hoc Aristotiles. Socrates autem dicebat multos homines propterea uelle uiuere ut ederent et biberent; se bibere atque esse ut uiueret. Vnde satiricus:

---

1 senecca C^1S 14 habundantiam A^1SM 17 Hec CBAS 20 v. partito CBS 25 igitur] ergo M

Hieron. *adv. Iovin.* ii. 11 (Migne *P. L.* xxiii. 300). Idem habet Hieron. op. cit. i. 48. 1 *nostris*: i. e. Christianis. 2 *ille*: sc. Epicurus. *omnes libros* etc.: Hieron. *adv. Iovin.* ii. 11 (Migne *P. L.* xxiii. 300, 301). 11 *restringere*: *restinguere* Hieron. 18 *Porro Aristotiles* etc.: v. Macrob. *Sat.* ii. 8 §§ 10 seqq. 28 *Socrates* etc.: Macrob. *Sat.* ii. 8 § 16.

Summum crede nefas animam praeferre pudori a
et propter uitam uiuendi perdere causas.

Refert Valerius uini usum olim Romanis feminis fuisse ignotum, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero patre intemperantiae gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit. Conuiuium etiam solemne maiores constituerunt, idque caristia appellatum est, cui praeter cognatos et affines nemo interponebatur ut, si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensae et inter hilaritatem animorum et fautoribus concordiae adhibitis tolleretur. Senectuti iuuentus ita cumulatum et circumspectum honorem reddebat tamquam maiores b
natu adolescentium communes patres essent. Quocirca iuuenes †ita senectutem die, ut† aliquem ex patribus conscriptis aut propinquum aut paternum amicum ad curiam deducebant, affixique ualuis expectabant donec reducendi officio fungerentur. Qua quidem uoluntaria statione et corpora et animos ad publica officia impigre sustinenda roborabant, breuique processu in lucem uirtutum suarum uerecunda laboris meditatione ipsi doctiores erant. Inuitati ad cenam diligenter quaerebant quinam ei conuiuio interessent, ne senioris aduentum discubitu praecurrerent, sublataque mensa priores consurgere et abire patiebantur. Ex quibus apparet cenae quoque tempore quam parco et quam modesto c
sermone his praesentibus soliti sint uti maiores natu in conuiuiis. Ad tibias egregia superorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda uirtutem alacriorem redderent. Quid hoc splendidius, quid etiam utilius certamine? Pubertas suum canis decus reddebat,

---

6 sollenne A: sollempne S 7 apellatum CS 10 ilaritatem S fauctoribus A 11 Senectui CBAS 25 sunt M 26 super ortum C¹S

---

1 *Summum* etc.: Iuv. *Sat.* viii. 83, 84. 3 *Refert Valerius* etc.: v. Val. Max. ii. 1 § 5. 6 *Conuiuium* etc.: Val. Max. ii. 1 §§ 8, 9. 7 *appellatum est*: *appellauerunt* Val. Max. 14 *ita senectutem die ut*: *senatus die utique* Val. Max.; forsan, ut quod legit intellegeret, *honorabant* subaudivit Ioannes. 19 *processu*: *processu rarum* sive *processurarum* habet Val. Max.

defuncta uiri cursu etas ingredientes actuosam uitam fauoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas, quam scolam, quae alienigena studia huic domesticae disciplinae praetulerim? Inde oriebantur Camilli Scipiones Fabricii Fabii et Marcelli. Ac, ne singula Romani imperii lumina percurrendo sim longior, inde celi superioris clarissima pars diui Cesares effulserunt. Haec Valerius. Sed et ipse Plato, cum esset diues (pro tempore tamen et conditione), et thoros d eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset uacare philosophiae, elegit Achademiam, uillam ab urbe procul, non solum desertam sed etiam pestilentem, ut cura et assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur; discipulique sui nullam aliam sentirent uoluptatem nisi earum rerum quas discerent. Est autem uia omnibus praeclusa disciplinis, si comes sapientiae sobrietas amouetur, quam utique tenere non possunt qui clamitant apud insulsos omnia siccis dura esse proposita. Ego quidem noui hominem longe inferiorem Platone (nisi quia Christianus est nec licitum arbitror Christiano praeferri uel Platonem)—noui, inquam, hominem egrotatiuum, morborum incursu assiduo, dum tamen non excrescant super id quod ferre potest, 740 a gaudentem ut carnis lasciuia conteratur et spiritus erigatur et roboretur in agnitionem Dei, contemptum mundi, et exercitium uirtutis, et id solum desiderantem, dum sensus animae et corporis seruentur incolumes et ipse uiolentia egritudinis a gerendis non reuocetur, aliquod flagellum, leue tamen et infirmo tolerabile, de manu Domini expectantem et amplectentem. Platonici ergo et Stoici in templorum

5 At M 6 superioris caeli M 23 agnitione M 28 stoyci A

7 *Sed et ipse Plato* etc. usque ad *discerent*: Hieron. *adv. Iovin.* ii. 9 (Migne *P. L.* xxiii. 298). 8 *pro tempore tamen et conditione*: non ex Hieronymo. 17 *omnia* etc.: v. Hor. *Carm.* i. 18. 3; v. supra ad vi. 19 (617 B). 18, 19 *nec licitum* etc.: v. Aug. *de C. D.* ii. 14. 20 *hominem egrotatiuum*: De se ipso loquitur; cf. supra ii. 29 (476 B) *Quid de medicis practicis dicam? Absit ut de his quidquam peruersum loquar. In manus enim eorum, exigentibus peccatis meis, nimis frequenter incido.* 24, 25 *sensus animae* etc.: cf. 1 Thess. v. 23. 28 *Platonici* etc.: Hieron. *adv. Iovin.* ii. 9 (Migne *P. L.* xxiii. 298).

lucis et porticibus uersabantur ut, admoniti angustioris habitaculi sanctitate, nichil aliud quam de uirtutibus cogitarent. Hanc autem meditationem non habent illi, quorum deus uenter est et expectatio in confusionem, quorum gloria stercus ignis et uermis. Videtur et Apostolus his, quos ad ueram erudit philosophiam, sumptuariam praescribere legem, b dicens: Habentes uictum et uestitum, his contenti simus. Ceterum (ut cum mei similibus, pinguiori Minerua utens, mitius agam) omnia quae usus necessitatis aut uerae honestatis alicuius in se aut in suis, adhibita ratione et deducta abutendi licentia, exigit, in alimentorum et indumentorum rationem cadant. Nam et hoc philosophia clientibus suis indulget et solius immoderationis cohibet intemperantiam.

Cap. 9. *Quod etiam in sacra Scriptura sunt optimae ciuilitatis regulae; et quod nichil uirtute ciuilius; et quae sunt regulae ciuilitatis in conuiuiis obseruandae; et de uerecundia.*

Dictum est philosophiam totius ciuilitatis et omnium agendorum esse magistram et eorum quae in conuiuiis exercenda sunt officia dispensare. Cum sint ergo plura c ciuilitatis praecepta, illius qui omnibus philosophis et sapientibus antecellit et qui quouis philosopho ciuilior est ciuilis regula uidetur merito anteponenda posterioribus. Ait ergo: Cum inuitatus fueris ad nuptias, noli locum praeoccupare primum, ne forte honoratior te sit inuitatus et dicat tibi qui te inuitauit: Da huic locum; et tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed recumbe in nouissimo loco ut, cum te uiderit qui te inuitauit, dicat tibi:

---

1 ammoniti M 4 confusione M 5 hiis S 16 sint S in conuiuiis *om.* S *in rubr. cap. praef.*

---

3 *quorum* etc.: v. Philipp. iii. 19. 4 *quorum* etc.: v. 1 Machab. ii. 62, Eccli vii. 19. 7 *Habentes* etc.: 1 Tim. vi. 8, sec. vers. antiquam, quam citat Hieron. *adv. Iovin.* ii. 11 (Migne *P. L.* xxiii. 301). 8 *pinguiori Minerua*: v. Cic. *de Amic.* 5 § 19. 18 *Dictum est* etc.: v. supra c. 8 (736 B). 19 *magistram*: cf. Cic. *Tusc. Disp.* v. 2 § 5. 21 *illius*: sc. Christi. 24 *Cum inuitatus* etc.: v. Luc. xiv. 8–10.

Amice ascende superius; et erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Deinde hunc articulum quasi generali loco confirmans ait: Omnis enim qui se exaltat humiliabi- **d** tur, et qui se humiliat exaltabitur. Et, licet religionis potius quam ciuilitatis uideatur edictum, ego religionis formam a ciuilitate non diuido, cum nichil ciuilius sit quam cultui uirtutis insistere. Ceterum nec ualuifragam admittit legem nec letitiam excludit nec lautiorem refugit apparatum, gulae tamen irritamenta non quaerit; ait enim: Tauri mei et altilia occisa sunt. Et ubi redeunti prodigo pater pius iocundum instruxit conuiuium, ad conciliandam letitiam symphoniam admisit et chorum, occisus est uitulus saginatus, et, ne uestis abiecta conuiuium deuenustet, anulus et stola ministrorum officio in usum nudi et ornatum promitur de conclaui. Sicut autem dignis liberalitatis ostia patent, ita sunt turpibus praecludenda. Nam et fatuae **741 a** uirgines, licet pulsent ad ianuam, ob stultitiae notam repulsam patiuntur ne forte eiciantur admissae. Constat enim quia

turpius eicitur quam non admittitur hospes;

et tamen sine nota eicitur, si sua turpitudine deformet conuiuium. Siquidem et ille eiectus est qui uestem non habuit nuptialem. Haec autem, licet misticum habeant intellectum, nichilominus in ipsa superficie ciuilitatis praeferunt rudimenta. Nam et illud quidem fideliter sonat ad litteram quod Apostolus praecipit: Si quis frater nominatur fornicator aut auarus aut idolis seruiens, cum eiusmodi nec cibum sumere. Ad hoc ergo est liberali domui ianua ut lasciuos criminosos et infames excludat. Ad hoc ianitorem habet

---

7 ualnifragam A[2] 15 hostia CA[1]S 19 quia] quod M 27 ydolis M 29 hec A

---

3 *Omnis* etc.: Luc. xiv. 11. 7 *ualuifragam*: v. supra ad c. 7 (731 D). *admittit*: sc. Christus sub persona hospitis in parabolis suis. 9 *Tauri* etc.: Matt. xxii. 4. 10 *redeunti prodigo* etc.: v. Luc. xv. 22 seqq. 16 *fatuae* etc.: v. Matt. xxv. 1 seqq. 17 *pulsent ad ianuam*: v. supra ad v. 9 (561 A). 20 *turpius* etc.: Ov. *Trist.* v. 6. 13. 22 *Siquidem et ille* etc.: v. Matt. xxii. 11–13. 26 *Si quis frater* etc.: 1 Cor. v. 11.

aut hostiarium ne quis insulsus irruat et ut sit qui dignos et admittendos reuerenter excipiat, honeste alloquatur, solatietur ignotis, instruat nouitatis ignaros et, cum oppor- b
tunitas fuerit, ad dominum introducat. Est et rerum copia sine luxu, iocunditas sine lasciuia, et usus rerum licentiosus immo liber sed uirtute incolumi. Nam conuiuium Herodis aut Pharaonis, dum immoderatam ad gestus saltatricis aut feruorem uini letitiam concipit, fine tragico exit et homicidio maculatur. Hoc nec etiam gentilium grauitas approbat. Valerius auctor est quod Porcius Cato Lucium Flaminium sustulit a numero senatorum quia aliquem dampnatum impie securi percusserat, tempore tamen supplicii, sed ad arbitrium et spectaculum conuiuantis mulierculae, cuius amore tenebatur et lecto. Sed et Lucius Flaccus et collega eius censores Durionium senatu mouerunt, quod legem de c
cohercendis conuiuiorum sumptibus latam tribunus plebis abrogauerat. Mirifica notae causa. Quam enim impudenter Durionius rostra conscendit, illa dicturus: Freni sunt iniecti nobis, Quirites, nullo modo perpetiendi, alligati et constricti estis amaro uinculo seruitutis; lex enim data est quae uos frugi esse iubet. Abrogemus ergo illud horridae uetustatis rubigine obsitum imperium; etenim quid opus est libertate si uolentibus luxu perire non licet? Est et alia in sacris litteris ciuilitatis nota ut ab initio gratiarum praecedant actiones. Nam et illud constat quod liberalissimus et ciuilissimus aut facetissimus paterfamilias, qui de quinque panibus satiauit quinque milia conuiuarum, d

1 ostiarium A²M 2 et *om.* C¹A 3, 4 oportunitas CBASM 9 aprobat CBS 21 iubet esse A¹ ergo] igitur S 27 v CBS

6 *conuiuium Herodis*: v. Marc. vi. 21 seqq. 7 *aut Pharaonis*: v. Gen. xl. 20 seqq. 10 *Porcius Cato* etc.: Val. Max. ii. 9 § 2. 12 *tamen*: non habet Val. Max.; inseruisse videtur aut Ioannes ipse aut scriptor exemplaris quod in manibus habuit, ut, cum *et lecto* pro *electo* haberet, *tempore* de *tempore debito* intellegi posset. *sed*: non habet Val. Max. 14 *et lecto*: Val. Max. *electo*; sc. *tempore supplicii*. *Lucius Flaccus* etc.: Val. Max. ii. 9 § 5 (*M. autem Antonius et L. Flaccus censores* etc.). 20 *data*: *lata* Val. Max. 26 *paterfamilias*: i. e. Christus. 26, 27 *qui de quinque* etc.: v. Matt. xiv. 13 seqq., Marc. vi. 32 seqq., Luc. ix. 10 seqq., Ioann. vi. 1 seqq.

panem antequam frangeret benedicere consueuit. Sed et illud celebre est sapientis, quod philosophia, quae unicum munus est deorum et disciplina disciplinarum, honoranda est anteloquio. Ciuile quoque est et sacris litteris consentaneum aut omnino silere in mensa ut audias ad profectum, aut unde proficiant alii aut sine culpa letentur doctum proferre sermonem; siquidem et inter comedendum Dominus parabolas aut uerba uitae frequenter auditoribus miscet. Sunt autem nimis tristia et fere ciuilitatis ignara, ubi citra uoluptatem audiendi solus uenter impletur aut ubi clamore anserino et ineptis fabulis conuiuia perstrepunt. Nec est qui musicam arceat, cum ars innocens sit adeo quidem ut eam Socrates discere in senectute curauerit.

742 a 'Cantabunt michi Dametas et Licius Egon'

ciuile est;

'Saltantes satiros imitabitur Alphesibeus'

ad plebeia transit. Illa ergo quae apertiora sunt et uitiis magis aduersa proferenda sunt uerba et quae luxuriam iugulant, amota tamen uel tenui suspicione auaritiae. Licet enim intemperantibus sit sopita uena ingenii, non omnino extinctam esse correctus Polemio testis est. Hic autem perditae luxuriae adolescens Athenis fuit, neque illecebris eius tantummodo sed et ipsa infamia gaudens. Cum e conuiuio non post occasum solis sed post ortum surrexisset domumque rediens Xenocratis philosophi patentem ianuam
b uidisset, uino grauis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, perlucida ueste amictus, refertam turba doctorum

---

16 satyros M 22 adholescens A

---

1 *benedicere consueuit*: v. Matt. xiv. 19, xv. 36, xxvi. 26, Marc. vi. 41, viii. 6, xiv. 22, Luc. ix. 16, xxii. 19, xxiv. 30, Ioann. vi. 11, 1 Cor. xi. 24. 2 *philosophia* etc.: Macrob. *Sat.* i. 24 § 21. 7 *inter comedendum* etc.: v. Matt. xxvi. 21 seqq., Luc. vii. 40 seqq., xiv. 1 seqq., xix. 6 seqq., etc. 8 *uerba uitae*: Ioann. vi. 68. 12, 13 *ut eam Socrates*: v. Quintil. *Inst. Orat.* i. 10 § 13. 14 *Cantabunt* etc.: Verg. *Ecl.* v. 72, 73. 17 *apertiora*: Quae sit *aperta narratio* docet Cic. *de Invent* i. 20 § 29; qualem fuisse orationem illam, quam mox infra memorat, Xenocratis de modestia et temperantia minime dubitandum est. 21 *Hic autem* etc.: Val. Max. vi. 9 ext. § 1.

hominum scolam eius intrauit. Nec contentus tam deformi introitu consedit etiam ut clarissimum eloquium et prudentissima praecepta temulentiae laciuiis elauaret. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione Xenocrates uultum in eodem habitu continuit omissaque re quam disserebant de modestia ac temperantia loqui coepit. Cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemio primum coronam capiti detractam proiecit, paulo post brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris conuiualis hilaritatem deposuit, ad ultimum totam luxuriem exuit, uniusque orationis saluberrima medicina sanatus ex infami ganeone maximus philosophus c euasit. Peregrinatus est itaque huius animus in nequitia nec habitauit; diuertit paululum sed nequaquam domicilium fixit. Postremo unum est ad quod totius philosophici cetus tendit intentio, scilicet finis honestus, letus exitus et iocundus, qui plane euenire non poterit nisi philosophia omnibus officinis et omnium ministris officiorum custodem adhibeat uerecundiam, quae parens est, ut ait Cassianus, omnis honesti consilii, solemnium officiorum tutela, magistra innocentiae, cara proximis, accepta alienis, priuatas negligens facultates ut communes amplificet, omni loco omni tempore prae se fauorabilem gerens uultum, adeo quidem ut etiam inuerecundis feratur accepta. Athenis quidam ultimae senectutis, cum spectatum ludos in theatrum uenisset eumque nemo e ciuilibus sessum reciperet, ad Lacedaemoni- d

2 etiam *ex Val. Max. textu restitui*: et CBASM 3 laciuus B 5 disserebat S 18 uerecundam A[1] 19 sollemnium A: sollempnium S

3 *elauaret*: *eleuaret* Val. Max. 5 *disserebant*: *disserebat* Val. Max. 7 *Polemio*: *Polemo* Val. Max. 13 *diuertit* etc.: Haec non habent exemplaria Valerii quae hodie exstant. 18 *ut ait Cassianus*: Has verecundiae laudes in Cassiani operibus frustra quaesivi. Nihil similius ibi inveni quam haec verba sane dissimilia: *Omnium namque uirtutum generatrix custos moderatrixque discretio est* (*Coll.* ii. 4). Discretionem humilitati, quae paene eadem ac verecundia est, annectit idem *Coll.* xxiv. 16, ubi de *uerae discretionis humilitate* loquitur. Cf. *Coll.* xv. 7 *Humilitas est ergo omnium magistra uirtutum, ipsa est caelestis aedificii firmissimum fundamentum, ipsa est donum proprium et magnificum Saluatoris* (Migne *P. L.* xlix. 528, 1005, 1307). 23 *Athenis* etc.: Val. Max. iv. 5 ext. § 2.

orum legatos forte peruenit; qui hominis etatem canos eius et annos assurgendi officio uenerati sunt sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt. Quod ubi fieri populus aspexit, maximo plausu alienae urbis uerecundiam comprobauit. Ferunt tunc unum e Lacedemoniis dixisse: Ergo Athenienses quid sit rectum sciunt sed id facere negligunt.

Cap. 10. *Regula conuiuandi sensu et fere uerbis Macrobii sumpta de libro Saturnaliorum.*

743 a Videntur forte parum ciuilia et superstitiosa nimis quae de sacris apicibus proferuntur; ceterum, ut mitius agamus nobiscum, gentilium philosophorum conuiuandi regula in medium proferatur. Et quidem plures in hanc partem officiorum praecepta dederunt sed ad praesens pauci sufficiunt. Inter alios Saturnaliorum liber primus occurrit talis, si recte respiciatur, et tantus ut nichil aliunde oporteat mutuari. Eum ergo in praesenti capitulo non tam uestigiis quam passibus decreuimus imitari et ex opulentia promptuarii sui cellulae nostrae supplere angustias. Siquidem conspicuus est in sententiis, in uerbis floridus, et tanta morum uenustate redundans ut in institutione conuiuii et dispensatione Socraticam uideatur dulcedinem propinare. Ait ergo: Scio philosophiam, quae rerum omnium modera-
b trix est, hoc primum obseruaturam ut secum estimet praesentium ingenia conuiuarum et, si plures peritos uel saltem amatores sui in conuiuii societatem repererit, sermonem de se patietur agitari; quia, uelud paucae litterae mutae dispersae inter multas uocales in societatem uocis facile mansuescunt, ita rariores imperiti gaudentes consortio peri-

8 *post* Saturnaliorum *add.* et de scomatibus et de cauenda ebrietate et de obseruantia conuiuantium et de Gaio claudio cesare dicente quod sicut naute scopulum fugiunt sic fugiendum est infrequens et insolens uerbum *Cyr.* 9 parum forte A 15 inspiciatur C¹A *marg.* S 18 promtuarii A 20 conuii S 22 phylosophiam M 25 societate M reppererit A: repperit M 27 uocales multas A¹

22 *Scio philosophiam* etc. usque ad *conuiuium* (744 B): Macrob. *Sat.* vii. 1 §§ 9–17. 22, 23 *philosophiam, quae rerum omnium moderatrix est*: Sic Macrobii *eam* ex § 6 interpretatur Ioannes.

torum aut consonant, si qua possunt, aut rerum talium capiuntur auditu. Si uero plures ab institutione disciplinae eius alieni sunt, prudentibus, qui pauciores intererunt, sanciet dissimulationem sui et patietur loquacitatem maiori parti amicitiorem sonare, ne rara nobilitas a plebe tumultuosiore turbetur. Et haec una est de philosophiae uirtutibus, quia, cum orator non aliter nisi orando probetur, philosophus non minus tacendo pro tempore quam loquendo c philosophatur. Sic ergo pauci qui aderunt doctiores in consensum rudis consortii salua et intra se quaestione migrabunt, ut omnis discordiae suspicio facessat. Nec mirum si doctus faciet quod fecit quondam Pisistratus Athenarum tirannus. Qui, cum filiis suis rectum dando consilium non optinuisset assensum et ideo esset in simultate cum liberis, ubi hoc emulis causam fuisse gaudii comperit ex illa discordia sperantibus in domo regnantis nasci posse nouitatem, uniuersitate ciuium conuocata, ait succensuisse quidem se filiis non adquiescentibus patriae uoluntati, sed hoc postea sibi uisum esse paternae aptius pietati ut in sententiam liberorum ipse concederet; sciret igitur ciuitas sobolem d regis cum patre concordem. Hoc commento spem detraxit insidiantibus regnantium quieti. Ita in omni genere uitae praecipueque in letitia conuiuali omne quod uidetur absonum in unam concordiam soni salua innocentia redigendum est. Sic Agathonis conuiuium, quia Socratas Phedros Pausanias et Herisimacos habuit, uerbum nullum nisi philosophicum sensit. At uero Alcioni uel Didonis mensa, quasi solis apta deliciis, habuit haec Iopam, illa Poliphemum cythara canentes. Nec deerant apud Alcionum saltatores uiri et apud Didonem Bitias sic hauriens merum ut se totum superflua eius infusione prolueret. Nonne, siquis aut inter

---

5 amiciorem SM 7 Qua A 10 inter M 11, 12 si doctus *om.* M 13 tyrannus M 14 obtinuisset CBSM 26 herismacos AS[2] 28 ioppam CBAS

---

5 *sonare*: *sociare* Macrob. 10 *quaestione*: *quiescente ueri notione* Macrob. 26 *habuit*: Post *habuit* quaedam omisit Ioannes. 27 *Alcioni*: i. e. Alcinoi.

a Pheacas aut apud Penos sermones de sapientia erutos conuiualibus fabulis miscuisset, et gratiam illis cetibus amicam perderet et in se risum plane iustum moueret? Ergo prima eius obseruatio erit estimare conuiuas. Deinde, ubi sibi patere locum uiderit, non de ipsis profunditatis suae inter pocula secretis loquetur, nec nodosas et anxias sed utiles quidem faciles tamen mouebit quaestiones. Nam sicut inter illos qui hoc exercitii genus habent in mediis saltare conuiuiis si quis, ut se amplius exerceat, sodales uel ad cursum uel ad pugillatum lacessiuerit, quasi ineptus relegabitur ab alacritate conuiuii; sic apud mensam quandoque aptis philosophandum est ut crateri liquoris ad letitiam nati adhibeatur non modo Nimpharum sed Musarum quoque
b admixtione temperies. Nam si, ut fateri necesse est, in omni conuentu aut tacendum est aut loquendum; quaeramus silentiumne conuiuiis an oportunus sermo conueniat. Si enim, ut apud Athenas Athicas Ariopagitae tacentes iudicant, ita inter epulas oportet sileri, non est ultra quaerendum inter mensas philosophandum sit necne. Si uero non erunt muta conuiuia, cur, ubi sermo permittitur, honestus sermo prohibetur, maxime cum non minus quam dulcedo uini hilarent uerba conuiuium? Quid hoc, inquis, ad philosophiam? Immo nichil tam cognatum sapientiae quam locis et temporibus aptare sermones, personarum quae aderunt estimatione in medium uocata. Alios enim relata incitarunt exempla uirtutum alios beneficiorum nonnullos modestiae ut et qui aliter agebant saepe auditis talibus ad
c emendationem uenirent. Sic autem uitiis irretitos, si et haec in conuiuiis exegerit loquendi ordo, feriet philosophia non sentientes, ut Liber pater tyrso ferit per obliquationem

---

11 *post* quandoque *add.* a (= aptis, *quod voc. ex Macrobii textu supplevi*) CBS 12 phylosophandum M 17 ut *om.* CBA atthicas M arriopagite A[1] 20 muta non erunt A 22 hylarent M inquis hoc A 29 hoc M 30 tirso SM

---

2 *amicam*: *aptam* Macrob. 11 *conuiuii*: *consortii* Macrob. *quandoque*: *quando licet* Macrob. 17 *Si enim*: *Nam si* Macrob. 22 *Quid hoc* etc. usque ad *fuerit* (744 D): Macrob. *Sat.* vii. 1 §§ 20–25 Omisit Ioannes §§ 18, 19, quia versiculos ex Homero Graece citatos exhibent. 29 *haec*: *hoc* Macrob.

circumfusae hederae latente mucrone, quia non ita profitebitur in conuiuio censorem ut palam uitia castiget. Ceterum his obnoxii repugnabunt et talis erit conuiuii tumultus ut sub huiusmodi inuitati uideantur edicto:

> Quod superest, leti bene gestis corpora rebus
> procurate, uiri, et pugnam sperate parari.

Ergo, si oportunitas necessariae reprehensionis emerserit, sic a philosopho proficiscetur ut et tecta et efficax sit. Quid d
mirum si feriat sapiens, ut dico, non sentientes, cum interdum sic reprehendat ut reprehensus hilaretur, nec tantum fabulis suis sed interrogationibus quoque uim philosophiae nichil ineptum loquentis ostendet? Hanc ergo nullus honestus actus locusue, cetus nullus excludat, quae ita se aptat ut ubique sic appareat necessaria tamquam abesse illam nefas fuerit. Et post pauca ledoriae et scomatis differentiam facit, quae sic interdum proferuntur a sapiente ut non modo amaritudine careant sed afferant tempestiuam dulcedinem. Deinde interrogandi ciuilitatem uel fascetiam docet. Qui uult ergo amenus esse consultor, ea interrogat quae sunt interrogato facilia responsu et quae scit illum sedula exercitatione didicisse. Gaudet enim quisque prouo- 745 a
catus ad doctrinam suam in medium proferendam, quia non uult latere quod didicit, maxime si scientia, quam labore quaesiuit, cum paucis illi familiaris et plurimis sit incognita, ut de astronomia uel dialectica ceterisque similibus. Tunc enim uidentur consequi fructum laboris, cum adipiscuntur occasionem publicandi quae didicerant sine ostentationis nota; qua caret qui non ingerit sed inuitatur ut proferat. Contra magnae amaritudinis est, si coram multis aliquem interroges quod non opima scientia quae-

---

1 edere CBA 3 hiis A 9 *post* ut *add.* et A 18 facesciam CBAS 19 esse amenus A 25 dialetica CB 30 interroges aliquem A[1]

---

5 *Quod superest* etc.: Verg. *Aen.* ix. 157, 158. 7 *Ergo*: Ante *Ergo* locum ex Homero Graece citatum omisit Ioannes. 15 *ledoriae* etc.: v. Macrob. *Sat.* vii. 2 §§ 2, 3, *ibid.* 3 § 2. 19 *Qui uult* etc. usque ad *relatum* (745 c): Macrob. *Sat.* vii. 2 §§ 4-9.

siuit. Cogitur enim aut negare se scire, quod extremum uerecundiae dampnum putant, aut respondens temere se euentui ueri falsiue committere, unde saepe nascitur inscitiae proditio; et omne hoc infortunium pudoris sui b imputat consulenti. Nec non et qui obierunt maria et terras, gaudent cum de ignoto multis uel terrarum situ uel sinu maris interrogantur, libenterque respondent et loca describunt, modo uerbis, modo radio, gloriosum putantes quae ipsi uiderant aliorum oculis obicere. Quid duces uel milites? quam fortiter a se facta semper dicturiunt et tamen tacent arrogantiae metu. Nonne ii, si ut haec referant inuitentur, mercedem sibi laboris estimant persolutam, remunerationem putantes inter uolentes narrare quae fecerant? Adeo autem id genus narrationis habet quendam gloriae saporem ut, si inuidi uel aemuli forte praesentes sint, tales interrogationes obstrependo c discutiant et alias inserendo fabulas prohibent illa narrari quae solent laudem creare narranti. Pericula quoque praeterita uel erumpnas penitus absolutas qui euasit, ut referat gratissime prouocatur. Nam qui adhuc in ipsis uel paululum detinetur, horret admonitionem, et formidat relatum, ut Virgilius:

Forsan et haec olim meminisse iuuabit.

Iuuat si quem dicere iusseris amici sui repentinam felicitatem, quam sponte non audebat dicere uel tacere, modo iactantiae modo malitiae metu. Qui uenatibus gaudet interrogetur de siluae ambitu, de ambage lustrorum, de uenationis euentu. Religiosus si adest, da illi referendi copiam quibus obseruationibus meruerit auxilia deorum, d quantus illic cerimoniarum fructus; quia et hoc genus religionis existimant numinum beneficia non tacere; adde

4 hoc omne M 11 hii S: hi M 21 ammonitionem M 25 *post* audebat *add.* uel S: *erasum est nescioquid in* C 27 interrogetur *Macrob.*: interrogatus CBASM

17 *inserendo*: *inferendo* Macrob. 23 *Forsan* etc.: Verg. *Aen.* i. 203; hunc versiculum citat Macrob. *Sat.* vii. 2 § 9; cuius ipsa verba quae post *formidat relatum* leguntur, invento inter ea versiculo quodam Graeco, non retulit Ioannes. 24 *Iuuat* etc. usque ad *familiaris* (745 D): Macrob. *Sat.* vii. 2 §§ 12–14.

quia uolunt se amicos numinibus estimari. Si uero et senex praesens est, habes occasionem qua plurimum illi contulisse uidearis, si eum interroges uel quae ad illum omnino non pertinent; est enim huic etati loquacitas familiaris. Vt uero ad scomata redeamus, illa quae plus urbanitatis et minus amaritudinis habent sunt interiacienda conuiuiis, ut sunt illa quae de nonnullis corporum uitiis aut parum aut nichil gignentia doloris, ut si in caluitium cuiusquam dicas aut nasum uel curuam erectionem seu Socraticam depressionem. Haec enim quanto minoris infortunii sunt, tanto suauius ledunt. Contra oculorum 746 a orbitas non sine excitatione commotionis obicitur. Quippe Antigonus rex Teocritum Chium, de quo iurauerat quod ei parsurus esset, occidit propter scoma ab eodem de se dictum. Cum enim quasi puniendus ad Antigonum raperetur, solantibus eum amicis ac spem pollicentibus quod omnimodo clementiam regis experturus esset cum ad oculos eius uenisset, respondit: Ergo impossibilem michi dicitis spem salutis. Erat autem Antigonus uno orbatus oculo; et importuna urbanitas maledicacem luce priuauit. Nec negauerim philosophos quoque incurrisse per indignationem hoc genus scomatis. Nam cum regis libertus ad nouas diuitias nuper erectus philosophos ad conuiuium congregasset et irridendo eorum minutulas quaestiones scire se b uelle dixisset cur et ex nigra et ex alba faba pulmentum unius coloris edat, Aridices philosophus, indigne ferens: Tu nobis, inquit, absolue cur et de albis et de nigris loris similes maculae gignantur. Commendat scoma et conditio dicentis si in eadem causa sit, ut si alium de paupertate pauper irrideat, si obscure natum natus obscure. Nam

---

13 theocritum A: teochritum M 14 passurus CB 17 occulos A 19 occulo A[1] 27 de *ante* nigris *om.* A

---

5 *quae plus* etc. usque ad *gignantur* (746 B): Macrob. *Sat.* vii. 3 §§ 11–13. 6, 7 *sunt interiacienda conuiuiis*: interpolavit Ioannes. 11 *suauius ledunt*: *leuioris doloris* Macrob. 28 *Commendat* etc. usque ad *licebat* (746 D): Macrob. *Sat.* vii. 3 §§ 20–22.

Tarseus Amphias, cum ex hortolano diues esset et in amicum quasi degenerem nonnulla dixisset, mox subiecit: Sed et nos de eisdem seminibus sumus; et omnes pariter letos fecit. Illa uero scomata directa letitia eum in quem dicuntur infundunt, ut si uirum fortem uituperes quasi salutis suae prodigum et pro aliis mori uolentem
c aut si obieceris liberali quod res suas profundat minus sibi quam aliis consulendo. Sic et Diogenes Antistenem Cinicum magistrum suum solebat uelud uituperando laudare. Ipse me, aiebat, mendicum fecit ex diuite et pro domo ampla fecit habitare in dolio. Melius autem ista dicebat quam si diceret: Gratus illi sum, quia me philosophum et consummatae uirtutis uirum fecit. Ergo, cum unum nomen scomatis sit diuersi in eo continentur effectus. Ideo apud Lacedemonios inter cetera exactae uitae instituta hoc quoque exercitii genus a Ligurgo institutum est, ut adolescentes et scomata sine morsu dicerent et ab aliis in se dicta perpeti discerent; at si quis eorum in indignationem ob tale dictum prolapsus fuisset, ulterius ei in
d alterum dicere non licebat. Verum, quia letitiae in conuiuiis frequenter insidiatur ira, ab huiusmodi dictis temperandum est et quaestiones conuiuales in omnes proponendae sunt aut soluendae. Quod genus ueteres ita ludicrum non putarunt ut et Aristotiles de ipsis aliqua conscripserit et Plutarcus et Apuleius cum Frontone. Nec contempnendum sit quod tot philosophantium meruit curam. At in exercitio rethorum oratorumue foro longe commodiorem habent scomata locum quippe ubi motus aduersarii saepe proficit ad triumphum; unde et hoc Ciceroni perfamiliare fuisse traditur. Ipsis quoque ledoriis crebro in contentionibus
747 a fori locus est, dum tamen ad probra non perueniant; quae,

1 orotlano ASM 2 amcum A 6 mori *om* M^1 10 fecit mendicum A^1 17 adholescentes A^1 25 plutarchus M

1 *diues*: *potens* Macrob. 20–26 *letitiae* etc. usque ad *curam*: v. Macrob. *Sat.* vii. 3 §§ 23, 24. 25 *cum Frontone*: Frontonis mentionem non faciunt Macrobii exemplaria quae exstant; cf. ad c. 13 infra (764 B). 29 *Ciceroni*: v. Macrob. *Sat.* vii. 3 §§ 7–10.

etsi non quiescant fauore litigantis, cessare tamen debent ob reuerentiam iudicis et auditorum. Offenditur enim

quibus est equus et pater et res

si quis nisi euidentissima ratione ad probra prosiliat. Sed qui ea sustinet patienter, fauorem omnium a temperantia uisus est meruisse. Conuiuia ergo ledorias excludunt, ne felle earum tota conuiualis dulcedo amarescat. At id quod hilaritatem conciliat modestiae consciam undique conquirendum. Iocus enim comis et uenustus conuiuantium risus omnibus parenteticis iocundior est; siquidem eleganter, licet in persona derisoris, ethicus ait:

Sed conuiuatoris, uti ducis, ingenium res
aduersae nudare solent, celare secundae.

Sed et uini indulgentia, licet dici soleat quia siccis deus b
omnia dura proposuit, modum habet etsi fuerint qui Platonis auctoritate ea passim crediderint haurienda.

Laudibus arguitur uini uinosus Homerus;

et Plato ab eisdem uinosus conuincitur extitisse. Certum est utrumque eorum uini laudasse usum quod et naturam roborat et ingenium acuit et ad res gerendas animum remissum accendit. At Platonem inter minuta et modesta pocula iocundiorem liberalioremque inuitationem probasse fidelius traditur quae fieret sub quibusdam quasi arbitris sobriisque magistris conuiuiorum. Et hoc est quod in primo et secundo de Legibus non inutile uiris esse decernit. Nam c
et modicis honestisque inter bibendum remissionibus refici integrarique animos ad instauranda sobrietatis officia existimauit, redditosque sensim letiores ad intentiones rursus

---

4 *post* Sed *add.* et SM 10 iocundior est] iocundiorem S 20 acuit ingenium M

---

2 *Offenditur* etc.: v. Hor. *A. P.* 248. 10 *parenteticis*: v. supra c. 7 (734 C). 12 *Sed conuiuatoris* etc.: Hor. *Sat.* ii. 8. 73, 74. 14 *siccis* etc.: Hor. *Carm.* i. 18. 3; cf. supra c. 8 (739 D). 15, 16 *Platonis auctoritate*: v. Gell. xv. 2 § 3. 17 *Laudibus* etc.: Hor. *Ep.* i. 19. 6. 21 *Platonem* etc.: v. Gell. xv. 2 § 4. 25, 26 *Nam et modicis* etc. usque ad *abluamus* (747 D): Gell. xv. 2 §§ 5–8. 28 *redditosque sensim letiores*: *reddique eos sensim laetiores atque* Gell.

capessendas fieri habiliores et simul, si qui penitus in his affectionum cupiditatumque errores inessent quos celaret alioqui pudor reuerens, ea omnia sine graui periculo libertate per uinum data detegi et ad corrigendum medendumque fieri oportuniora. Atque hoc Plato ibidem dicit non diffugiendas esse huiuscemodi exercitationes aduersus uini uiolentiam propulsandam neque ullum umquam continentem prorsus aut temperantem satis fideliter uisum esse d cui uita non inter ipsa errorum pericula et in mediis uoluptatum illecebris explorata sit. Nam cui libentia gratiaeque omnes conuiuiorum incognitae sint quique illarum omnino expers sit, si eum forte ad participandas huiusmodi uoluptates aut uoluntas tulerit aut casus induxerit aut necessitas impulerit, mox deliniri et capi neque mentem eius animumque consistere. Congrediendum igitur et tamquam in acie quadam cum uoluptariis rebus, cumque ista uini licentia cominus decernendum, ut aduersus eos non fuga nec absentia simus tuti, sed uigore animi et constanti praesentia moderatoque usu temperantiam continentiamque tueamur et calefacto simul refotoque animo, si quid in eo uel frigidae tristitiae uel torpentis uerecundiae fuerit, 748 a abluamus. Poterit auctoritas Platonis mouere quam plures, sed michi nimis arduus et temerarius infirmioribus animis uidetur cum Bacho, immo et cum quauis uoluptate congressus. Si Loth uir iustus et dignus qui de Sodomorum eriperetur incendio impellente uini stimulo corruit in incestum; si Noe femora denudauit, fide et perseuerantia boni subtractus diluuio, alter humani generis pater et salutis opifex, quis tuto congreditur, nisi forte seipsum tantis ducat patribus praeferendum? Vt tamen Platonis non reluctemur edicto, congredi cum uoluptate sit fortius, dum

3 alioquin M 7 illum A[2]S[2] 17 comminus M 23 nimis michi M[1]

6 *diffugiendas esse*: Gell. add. *neque respuendas.* 9 *cui*: *cuius* Gell. *uita*: Gell. add. *uictusque.* 10 *libentia*: *libentiae* Gell. 14 *mox deliniri*: *deleniri plerumque* Gell. 15 *consistere*: Pauca quaedam omisit Ioannes. 22 *abluamus*: *deluamus* Gell. 25 *Si Loth* etc.: v. Gen. xix. 29 seqq. 27 *si Noe* etc.: v. Gen. ix. 20 seqq.

tamen tutius sit fugere et illius declinare conflictum. Nec memini quemquam me inuenisse de prouocatoribus uoluptatum quem non legerim cecidisse. Eo forte spectant figmenta poetica, quae orgia sine furore transacta non [b] recolunt nec erubescunt sacra Bachi cruore parricidiis et multiplicibus flagitiis maculare. Est praeterea in conuiuiis obseruandum ut instruendae familiae et domus regendae cura et seruilis obsequii moderatio uni alicui demandetur, ne quid ineptum et imparatum appareat, ne quid stupendum aut erubescendum emergat, ne dominum oporteat ad se gerendorum reuocare sollicitudinem et, ut dici solet, quasi in humeris portare conuiuas. Vitet etiam qui conuiua comis esse uoluerit consiliandi consuetudinem uerbique secreti faciendi morem, eo quod in conuiuiis, id est in iocundo amicorum conuiuantium cetu, debent omnia esse nuda, et in amore et fide nichil debet esse absconditum sed, si fieri posset, oculos in pectora sua inuicem mutuo trans- [c] ferre conspectu. Nullus enim locus actitandis consiliis aut uix ullus ineptior est, siquidem uerba secreta solent assidentibus exclusis esse molesta; nam ipsa exclusio habet imaginem diffidentiae. Sed et in his quae palam dicentur fideliter exequendum erit quod in primo libro de Analogia scripsit Gaius Claudius Caesar, uir excellentis ingenii magnaeque prudentiae. Ait enim: Tamquam scopulum nautae fugiunt, sic fugiendum est infrequens atque insolens uerbum. Et quidem numerum conuiuarum expresserunt antiqui ut nec pauciores essent quam Gratiae, quae clauduntur ternario, nec plures quam Musae, id est nouem, aut in summa Gratiarum et Musarum explerent numerum, ad duodenarium [d] ascendentes. Optinuit tamen apud eos qui rectius intuentur ut in his officium patrisfamilias latissime pateat.

26 couiuarum S 30 Obtinuit CBS

4 *figmenta poetica*: cf. Ov. *Met.* v. 1 seqq., xi. 1 seqq., xii. 210 seqq. 11 *ut dici solet*: In hoc proverbium non alibi incidi; cf. Cic. *pro Flacco* 37 § 94, *pro Milone* 9 § 25. 22 *quod in primo* etc.: v. Macrob. *Sat.* i. 5 § 3, 7 § 12 (ex Gell. i. 10 § 4, xiii. 11 § 2). 23 *Gaius Claudius Caesar*: *C. Caesar* (i.e. Iulius) Gell. Macrob.; Ioannes autem de Claudio cogitavit, quem ex Suet. *Claud.* c. 41 non nullos libros composuisse noverat.

Cap. 11. *De molestiis et oneribus coniugiorum secundum Ieronimum et alios philosophos; et de pernicie libidinis; de mulieris Ephesinae et similium fide.*

Sicut ergo sobrietas in conuiuiis necessaria est, ita rebus omnibus necesse est adesse modestiam. Siquidem de saturitate libido, de libidine immunditia et multiplex pernicies generatur. At ex his nichil nisi dolor penitudinis sequitur; et bene agitur cum moerentibus, si fructuosa sit penitudo.
749 a Vnde hebetati cordis uidetur opinio quae sine expletione libidinis diffinit perfectam non esse uoluptatem. Traditur hoc sensisse Epicurum. Sed quicquid gregis illius grunniant sues, tam immundam et tam funestam uocem nulli philosophorum arbitror placuisse, nedum Epicuro, qui tantus fuit ut inter philosophos propriam fecerit sectam. Sunt eius auctore Seneca egregia multa, quae passim possunt apud philosophos inueniri et pro parte expressa sunt et congesta in libro qui De Vestigiis, siue De Dogmate Philosophorum inscribitur. Silleni senis inueterati uidetur amentia potius quam sententia philosophi, et est certe asello cui insidebat brutior cui hoc nequitia potuit suadere. Id ipsum forte innuunt figmenta gentilium quae delirum senem uino estuantem, aliis naturae obtemperantibus et quiete
b fessa recreantibus corpora, Lotide prae ceteris captum referunt et tandem cum omnium irrisione quem nec etas

1 honeribus A[1] 11 grues M 22 optemperantibus A

11 *gregis* etc.: v. Hor. *Ep.* i. 4. 16. *illius*: sc. Epicuri. 15 *auctore Seneca*: v. Sen. *Ep.* 8 § 8, 21 § 9. 17 *libro qui De Vestigiis* etc.: sc. Flaviani; v. supra ii. 26 (460 B) et comm. ad loc.; ubi auctoritate Schaarschmidtii (*Iohann. Saresb.* pp. 103 seqq.) adductus sum ad credendum Flavianum istum eundem esse quem Macrobius in *Saturnalibus* disserentem induxit; cf. L. Ianum in Prolegomenis ad Macrobium p. xxvii. Vide tamen V. Rose (*de Arist. libr. ord. et auct.* p. 253) qui de Flaviano, Pauli Diaconi praeceptore, cuius mentio est in *Hist. Langobard.* vi. 7, cogitavit. 18 *Silleni* etc.: v. Ov. *Fast.* i. 413 seqq. 20 *brutior*: 'Comparativus non reperitur in usu,' Forc.-de Vit. s. v. *brutus.* 21 *delirum senem*: Auctorem suum parum accurate repraesentat Ioannes; Priapum enim, non Silenum ipsum, a Lotide captum esse et ab asino Sileni intempestive ruditum edente revocatum esse refert Ovidius.

nec uerecundia refrenabat, asini sui ruditu reuocatum. Omnis ergo uoluptas libidinis turpis est, ea excepta quae excusatur federe coniugali, et indultae licentiae beneficio quicquid erubescentiae poterat inesse abscondit. Vnde et nuptiae a nubendo dici maiores tradiderunt, quia pudenda humanae infirmitatis nubit, id est abscondit, ut ait Nonius Marcellus, indulgentia legis. Inoleuit etiam consuetudo ut quos in commercium carnis Ecclesiae iungit auctoritas pallio uelentur altaris aut alio ab Ecclesia constituto, ut thorus, qui Christo conciliante construitur, sit in fide castitatis, fragilitatis suae maculas contegat, ut totius sit [c] probri aut confusionis ignarus. Praeferuntur et faces, lampades et luminaria accenduntur, quia genuinum thorum, qui palam et non sua urgente libidine sed honesta consentientium uoluntate sternitur, decus boni coniugalis illustrat. Nam et Ymeneus lucem amat et alacer faretra puer Cupido, furtiuam succendens flammam, latebras et angulos quaerit. Licet autem honesta sit et utilis copula maritalis, angustiae quam letitiae fecundior est. Parit enim in dolore uel filios, nec aliquem producit fructum quem non amaritudo praecedat aut sequatur. Vnde referente Valerio Socrates, humanae sapientiae quasi quoddam terrestre oraculum, ab adolescentulo quodam consultus utrum uxorem duceret an se omni matrimonio abstineret, [d] respondit eum, utrum eorum fecisset, acturum penitentiam. Hic te, inquit, solitudo, hic orbitas, hic generis interitus, hic heres alienus excipiet. Illic perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium graue

---

16 faretratus S^2 18 compula CAM 23 adholescentulo A^1: adulescentulo S 25 eum *om.* M 28 afinium S

6, 7 *ut ait Nonius Marcellus*: Haec in nostris Nonii Marcelli exemplaribus non reperiuntur. 9 *pallio uelentur altaris*: De velamine in nuptiis usitato cf. Nicolai I. papae *Resp. ad Bulgar.* c. 3 (Migne *P. L.* cxix. 980). De *pallio* sive *palla altaris* cf. Ducange s. v. *pallii altaris.* 16 *Ymeneus*: i. e. Hymenaeus, deus matrimonio legitimo praefectus. 16, 17 *alacer faretra puer Cupido*: cf. Mart. Cap. viii. § 804, Ov. *Metam.* x. 525. 19 *Parit* etc.: v. Gen. iii. 16. 22 *Socrates* etc.: Val. Max. vii. 2 ext. 1.

supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimoni, incertus liberorum euentus. Non passus est iuuenem in contextu rerum asperarum quasi letae materiae facere delectum. Concinit in hunc modum totus recte philosophantium chorus, ut, si qui Christianae religionis abhorrent rigorem, discant uel ab ethnicis castitatem. Non tamen quod coniugali detraham castitati, sed centesimum aut sexagesimum fructum, licet de radice tricesimi oriantur,
750 a minime arbitror tricesimo componendum. Zeno, Epitectus, Aristotiles, Critolaus, et Epicureorum quam plurimi traduntur posteris hanc publicasse sententiam. Fertur auctore Ieronimo aureolus Theophrasti liber de nuptiis in quo quaerit an uir sapiens ducat uxorem; et cum diffinisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus et diues, sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim intulit: Haec autem raro in nuptiis uniuersa concordant; non est igitur uxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia philosophiae, nec posse quemquam libris et uxori pariter inseruire. Multa esse
b quae matronarum usibus necessaria sint; pretiosae uestes, aurum, gemmae, sumptus, ancillae, supellex uaria, lecticae et exedra deaurata. Deinde per totas noctes garrulae conquestiones: Illa ornatior procedit in publicum, haec honoratur ab omnibus, ego in conuentu feminarum misella despicior; cur aspiciebas uicinam? quid cum ancillula loquebaris? de foro ueniens quid attulisti? Non amicum habere possumus, non sodalem. Alterius amorem, suum odium suspicatur. Si doctissimus praeceptor in qualibet urbium

---

1 subsessor *Val. Max.*: subcesoria CBASM 6 ethnicis] hennicis S 9 epictectus CB: epictetus A 12 theofrasti AM 14 pulcra AS 21 ancilla A

---

7 *centesimum* etc.: v. Matt. xiii. 23, quem locum interpretatur ad mentem Hieron. *adv. Iovin.* i. 3 (Migne *P. L.* xxiii. 213). 9 *Zeno* etc.: Haec philosophorum nomina cur elegerit, nescio; certe nullam Critolai de matrimonii incommodis sententiam usquam laudatam repperi. 11, 12 *Fertur auctore Ieronimo* etc. usque ad *Theophrastus* (751 c): Hieron. *adv. Iovin.* i. 47 (Migne *P. L.* xxiii. 276 seq.), qui haec omnia de nuptiarum molestia dicta ex libro Senecae *de matrimonio* desumpsisse videtur; v. op. cit. 49.

fuerit, nec uxorem relinquere nec cum sarcina ire possumus. Pauperem alere difficile est; diuitem ferre tormentum. Adde quod nulla est uxoris electio, sed qualiscumque obuenerit habenda; si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fetida, quodcumque uitii est, post nuptias discimus. Equus, c asinus, bos, canis et uilissima mancipia, uestes quoque et lebetes, sedile ligneum, calix et urceolus fictilis probantur prius et sic emuntur. Sola uxor non ostenditur ne ante displiceat quam ducatur. Attendenda est semper eius facies et pulcritudo laudanda, ne, si alteram aspexeris, se estimet displicere. Vocanda domina, celebrandus natalis eius, iurandum per salutem illius, ut sit superstes optandum, honoranda nutrix eius et gerula, seruus paternus et alumpnus et formosus assecla et procurator calamistratus et in longam securamque libidinem exsectus spado, sub quibus nominibus adulteri delitescunt. Quoscumque illa dilexerit, ingrati etiam amandi. Si totam ei domum regendam commiseris, seruiendum est; si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, d fidem sibi haberi non putabit et in odium uertetur ac iurgia et, nisi cito consulueris, parabit uenena. Anus et aurifices et ariolos et institores gemmarum sericarumque uestium si intromiseris, periculum pudicitiae est; si prohibueris, suspicionis iniuria. Verum quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor seruari impudica non possit, pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas, et illa uere pudica dicenda est, cui licuit peccare si uoluit. Pulcra cito adamatur, feda facillime concupiscit; difficile custoditur quod plures amant, molestum est possidere quod nemo habere dignetur. Minore tamen miseria deformis habetur quam formosa seruatur. Nichil tutum 751 a est in quo totius populi uota suspirant; alius forma, alius fascetiis, alius ingenio, alius liberalitate sollicitat; aliquo modo expugnatur quod undique incessitur. Quod si

9 atendenda S[1] 10 pulchritudo B 13, 14 alupnus S 27 Pulchra B 32 facesciis CBASM

17 *ingrati etiam*: *ingratis* Hieron. 19 *et*: *sed* Hieron. 31 *quo*: *quod* Hieron.

propter dispensationem domus et languoris solatia et fugam solitudinis ducuntur uxores, multo melius dispensat seruus fidelis, obediens auctoritati domini et dispensationi eius obtemperans, quam uxor, quae in eo se estimat dominam si aduersus uiri fecerit uoluntatem, id est quod placet, non quod iubetur. Assidere autem egrotanti magis possunt amici et uernulae beneficiis obligati quam illa quae nobis imputet lacrimas suas et hereditatis spe uendat illuuiem et sollicitudinem iactans languentis animum
b desperatione conturbet. Quod si languerit, coegrotandum est et numquam ab eius lectulo recedendum. Aut, si bona fuerit et suauis uxor, quae tamen rara auis est, cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. Sapiens autem numquam solus esse potest. Habet secum omnes qui sunt quique umquam fuerunt boni, et animum liberum quocumque uult transfert. Quod corpore non potest, cogitatione complectitur; et, si hominum inopia fuerit, loquetur cum Deo. Numquam minus solus erit quam cum solus fuerit. Porro liberorum causa uxorem ducere, ut uel nomen nostrum non intereat uel habeamus praesidia senectutis et certis utamur heredibus, stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes e mundo si nomine nostro alius non uocetur, cum et filius non statim patris
c uocabulum referat et innumerabiles sint qui appellentur eodem nomine? Aut quae senectutis auxilia nutrire domi qui aut prior te forte moriatur aut peruersissimis moribus sit aut certe, cum ad maturam etatem uenerit, tarde ei uidearis mori? Heredes autem meliores et certiores sunt amici et propinqui, quos iudicio eligas, quam quos uelis nolis habere cogaris. Licet certa hereditas sit, dum aduiuis, bene uti substantia tua quam tuo labore quaesita in incertos usus relinquere. Haec et huiusmodi Theophrastus quae uel sola matrimoniorum angustias et

8 *post* hereditatis *add.* suae M 24 apellentur CBS 32, 33 theofrastus CBASM

18 *Numquam* etc.: cf. Cic. *de Off.* iii. 1 § 1, *de Repub.* i. 17. 27. 25 *auxilia*: *sunt* add. Hieron. *nutrire*: *enutrire* Hieron. 30 *certa*: *certior* Hieron. 31 *uti*: *abuti* Hieron.

calamitates exquisitae dulcedinis sufficiunt explanare. Scite fertur dixisse P. Clodius quia improbe Neptunum d accusat qui iterum naufragium fecit. At non illud inelegantius diceretur, quia improbe Venerem causatur aduersam qui secundam ducit uxorem. Quis enim ei compatietur qui, semel solutus a uinculis, reuolat ad cathenas? Plane indignus est libertatis honore et quiete qui ad excussum seruitutis recurrit iugum. Vnde monstris simile est quod hii qui non modo philosophiae sed et religionis sibi uendicant nomen arceri nequeunt ab amplexibus mulierum. Saepe etenim qui antequam nomen profiteretur alterutrum, si tamen haec, religio scilicet et philosophia, numerum faciunt, cum sine religione nemo recte ualeat philosophari, continentissime uixit, cum in aliquem gradum promotus est nactusque quietem, primae et summae deliberationis 752 a acumen exercet in eligenda uxore uel ducenda aut, quod nequius est, uicinorum matrimonia sollicitare et corrumpere non ueretur. Erumpit interdum inuerecunda intemperies mulierum; quia, ut scribit Herodotus, mulier cum ueste deponit et uerecundiam. Erumpit, inquam, impudens et in facie erubescentium populorum genialis thori reuelat et denudat archana et de mariti frigiditate conqueritur, allegans hanc sufficientem et euidentem repudii uel diuortii causam, quod semiuir est et inutilis matrimonio qui non est promptus ad coitum. Eleganter quidem Gaufridus de Heroumuilla, familiaris meus, unius talium in causa huius-

---

4 causatur] accusat M 17 est *om.* M 23 reppudii S 25 promtus S

---

2 *P. Clodius*: Sic Publilium Syrum et hic et infra cc. 13, 14 (762 B, 772 A) vocat. 4 *improbe* etc.: Publil. Syr. ap. Gell. xvii. 14 § 4, Macrob. *Sat.* ii. 7 § 11. 19 *quia, ut scribit Herodotus*: v. Hieron. *adv. Iovin.* i. 48 (Migne *P. L.* xxiii. 279). Hoc habet Herod. i. 8. 25, 26 *Gaufridus de Heroumuilla*: Nusquam alibi in huius viri nomen incidi. Roberti cuiusdam de Herovilla in *Magn. Rot. Pip.* 15 Henr. II. p. 62 fit mentio; et Falconis de Herovilla, dominici servientis regis Henrici II, in Cartul. S. Michaelis in periculo maris ap. Howlett *Chron. of Stephen* etc. iv. p. 339; denique Hugo de Herouvilla cartae donationis ab Henrico episcopo Baiocensi abbatiae Vallis S. Mariae a. 1167 factae testis erat (Round *Calendar of Documents, France* 918–1206, p. 537). *Heroumvillam* sive *Herouvillam* sive *Herovillam* licet

modi confudit audaciam. Cum enim ei patronus datus
b esset a iudice celebraturo, ut putabatur, diuortium, et mulier generosa, audientibus amicis et suffragatoribus, aduocato, ut fit, diligentius merita causae suae exponeret, scrutatus est ab ea uir prudens an alium maritum quandoque habuerit. Quod cum illa negasset, quaesiuit iterum an adhuc uirgo esset, dicens hoc sibi inquisitu et scitu pernecessarium, ne a discreto iudice caperetur occasione aliqua in sermone. Illa uero hoc, uerecunde tamen, eo quod sibi non bene credebatur, asseruit. Et ille an simul de noctu dormire consueuerint et se inuicem osculari et amplexari maritus et ipsa, inquisiuit. Quae omnia cum illa fateretur: Vnde ergo, inquit patronus, nosti, uirgo pudicissima prudentissima et pudoratissima, quod efficacem
c tecum non impleuerit uirum et totius matrimonii iura persoluerit? Quis te docuit quid sit coitus, ut eum tecum coiisse neges inter tot oscula, tot amplexus, qui quotiens uoluit pertractauit licentia maritali? Nam et quaedam animantia certum est se inuicem osculando misceri; alia se tenuiter tangendo concipiunt; et sunt quae suo grauidante calore ab aere temperato impraegnantur et pariunt. Hic illa tandem erubuit, hoc solum dicens, se quid ad huiusmodi captiones hisceret non habere. Sed bene cum philosophantibus, id est cum clericis, agitur, quod nemo eorum frigidus est aut in iudicio perfusus huiusmodi macula.
d Cicero, rogatus ut post repudium Terentiae sororem Hirtii duceret, omnino facere supersedit, dicens se non posse et uxori et philosophiae pariter operam dare. Philippum regem Macedonum, contra quem Demostenis Philippicae tonant, introeuntem ex more cubiculum uxor exclusit irata;

8, 9 aliqua occasione A[1] 14 et *om.* M 17 *post* qui *add.* te pro libitu S *marg.* 20 tangendo tenuiter A[1]

credere eundem viculum esse qui hodie appellatur *Hérouville, canton de Caen-Est, arrondissement de Caen, département de Calvados.* 19 *inuicem osculando misceri*: Sic de cervis Abaelardus *Serm.* xvi. *in oct. Ascens.* (ed. Cousin i. 476). 26 *Cicero* etc.: Hieron. *adv. Iovin.* i. 48 (Migne *P. L.* xxiii. 278). 28 *Philippum* etc. usque ad *exagitabat*: Hieron. l. c.

qui exclusus tacuit et iniuriam suam uersu tragico consolatus est. Gorgias rethor librum pulcherrimum de concordia Grecis tunc inter se dissidentibus recitauit Olimpiae. Cui Melantius inimicus eius: Hic nobis, inquit, de concordia praecipit qui se uxorem et ancillulam, tres in una domo, concordare non potuit. Emulabatur quippe uxor eius ancillulae pulcritudini et castissimum uirum cotidianis iurgiis exagitabat. Vnde, ut cesset inuidia et quies matrimoniis reformetur, ditioribus in consuetudinem 753 a
uersum est ne quam in domo habeant pulcriorem. Socrates cum duarum uxorum iurgia uellet reprimere, in eum nouissime uerterunt impetum et male multatum fugientemque diu persecutae sunt et a solio, in quo morabantur, postmodum lotio perfuderunt. In muliebrem leuitatem ab auctoribus passim multa scribuntur. Fortasse falso interdum finguntur plurima; nichil tamen impedit ridentem dicere uerum et fabulosis narrationibus, quas philosophia non reicit, exprimere quid obesse possit in moribus. Ex iis enim liquet quam facile ament, quanta oderint leuitate, quam cito obliuiscantur; affectuum et naturae immemores interdum in filios armantur, interdum in uiscera sua. Sunt aliquae pudicissimae, licet satiricus dicat quoniam b

rara auis in terris nigroque simillima cigno

mulier exactae castitatis, et tragicus nullam esse feminam tam pudicam quae non peregrina libidine usque ad furorem incendatur. Matrona quaedam referente Petronio Effesi tam notae erat pudicitiae ut uicinarum quoque gentium feminas ad spectaculum sui euocaret. Haec ergo, cum uirum extulisset, non contenta uulgari more funus prosequi

---

2 pucherrimum S 3 gregis CBAS[1]M 8 cottidianis A[1] 19 hiis A: his M 26 accendatur A ephesi A

---

10 *Socrates* etc.: v. Hieron. loc. supra cit. 16, 17 *ridentem dicere uerum*: Hor. *Sat.* i. 1. 24. 23 *Rara auis* etc.: Iuv. *Sat.* vi. 165. 24 *tragicus* etc.: i. e. Eumolpus in Petron. *Sat.* § 110. 26 *Matrona quaedam* etc. usque ad *crucem* (754 D): Petron. *Sat.* § 111.

crinibus sparsis et turbatis aut nudatum pectus in conspectu frequentiae plangere, in conditorium etiam prosecuta est defunctum positumque in hipogato Greco more corpus custodire ac flere totis noctibus diebusque coepit. Sic c afflictantem se ac mortem inedia persequentem non parentes potuerunt abducere, non propinqui. Magistratus ultimo repulsi abierunt, comploratque singularis exempli femina ab omnibus quintum iam diem sine alimento trahebat. Assidebat egrae fidissima ancilla, simulque et lacrimas commendabat lugenti, et quotienscumque defecerat positum in monumento lumen renouabat. Vna igitur in tota ciuitate fabula erat; solum illud affulsisse uerum pudicitiae amorisque exemplum omnis ordinis homines confitebantur. Cum interim imperator prouinciae latrones crucibus iussit affigi secundum illam casulam in qua recens cadauer matrona deflebat. Proxima ergo nocte, cum miles, qui cruces seruabat, ne quis ad sepulturam corpus detraheret, d notasset sibi et lumen inter monumenta clarius fulgens et gemitum lugentis audisset, uitio gentis humanae concupiit scire quis aut quid faceret. Descendit itaque in conditorium, uisaque pulcherrima muliere primo quasi quodam monstro infernisque imaginibus turbatus substitit. Deinde, ubi et corpus iacentis aspexit et lacrimas considerauit faciemque unguibus sectam, ratus scilicet, id quod erat, desiderium extincti feminam pati non posse, attulit in monumentum cenulam suam coepitque hortari lugentem ne perseueraret in dolore superuacuo ac nichil profuturo gemitu pectus diduceret; omnium eadem esse, scilicet idem domicilium, 754 a et cetera quibus exulceratae mentes ad sanitatem reuocantur. At illa ignota consolatione percussa lacerauit uehementius pectus raptosque crines super pectus iacentis imposuit. Non recessit tamen miles sed eadem exortatione

---

22 ymaginibus M 26 ortari S 32 posuit A exortatione eadem C[1] : exhortatione A[2]M

---

3 *hipogato* : *hypogaeo* Petron. 10 *commendabat* : *commodabat* Petron. 22 *ubi* : *ut* Petron. 28 *eadem esse, scilicet* : *eundem esse exitum sed et* Petron. 31 *raptosque* : *ruptosque* Petron.

temptauit dare mulierculae cibum donec ancilla uini (certum habeo) odore corrupta primum ipsa porrexit ad humanitatem inuitantis uictam manum. Deinde refecta potione et cibo expugnare dominae pertinaciam coepit et: Quid proderit, inquit, hoc tibi, si soluta inedia fueris, si te uiuam sepelieris, si antequam fata poscant indempnatum effuderis spiritum?

Id cinerem aut manes credis curare sepultos?

Vis tu reuiuiscere reluctantibus fatis extinctum? Vis b
discusso muliebri errore quamdiu licuerit lucis commodis frui? Ipsum te iacentis corpus admonere debet ut uiuas. Nemo inuitus audit, cum uiuere cogitur aut sumere cibum. Itaque mulier, aliquot dierum abstinentia sicca, passa est frangi pertinaciam suam. Nec minus auide repleuit se cibo quam ancilla quae prior uicta est. Ceterum scitis quid plerumque temptare soleat humanam satietatem. Quibus blanditiis impetrauerat miles ut matrona uiuere uellet, eisdem etiam pudicitiam eius aggressus est. Nec deformis aut infacundus iuuenis castae uidebatur, ancilla gratiam conciliante ac subinde dicente:

Placitone etiam pugnabis amori?
nec uenit in mentem quorum consederis aruis?

Quid diutius moror? Ne hanc quidem partem corporis c
mulier abstinuit, uictorque miles utrumque persuasit. Iacuerunt ergo una non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt, sed postero etiam ac tertia die, praeclusis uidelicet conditorii foribus, ut quisque ex notis ignotisque ad monumentum ueniens putasset expirasse super corpus uiri pudicissimam uxorem. Ceterum delectatus miles et forma

1 umi CBS: humi M 2 ab eo C[2]B 5 inquid S hoc inquit tibi A: inquit tibi hoc M 10 comodis S 11 ammonere M 18 pudititiam etiam A[1] agressus CS 26 etiam postero A[1]

1, 2 *certum habeo*: *certe ab eo* Petron. 8 *Id cinerem* etc.: Verg. *Aen.* iv. 34. 9 *reluctantibus fatis extinctum*: deest in Petronii textu, qualem hodie eum habemus. 21 *Placitone* etc.: Verg. *Aen.* iv. 38, 39.

mulieris et secreto, quicquid boni per facultates poterat, coemebat et prima statim nocte ferebat in monumentum. Itaque unius cruciati parentes, ut uiderunt laxatam custodiam, detraxerunt nocte pendentem et supremo manda-
d uerunt officio. At miles circumscriptus dum desidet, ut postero die uidit unam sine cadauere crucem, ueritus supplicium, mulieri quid accidisset exponit, nec se expectaturum sententiam iudicis sed gladio ius dicturum ignauiae suae, commendans modo perituro locum prouideret et fatale conditorium familiari ac uiro faceret. Mulier non minus misericors quam pudica: Nec istud dii sinant, ut eodem tempore duorum michi carissimorum hominum duo funera spectem. Malo mortuum impendere quam uiuum occidere. Secundum hanc orationem iubet ex area corpus mariti sui tolli atque illi quae uacabat cruci affigi. Vsus est miles ingenio prudentissimae feminae; posteroque die populus miratus est qua ratione mortuus isset in crucem. Tu
755 a historiam aut fabulam quod iis uerbis refert Petronius pro libitu appellabis; ita tamen ex facto accidisse Effesi et Flauianus auctor est, mulieremque tradit impietatis suae et sceleris parricidalis et adulterii luisse penas. Non quidem solus est in mulierum ineptiis ridendis aut exprimendis Petronius. Scribit beatus Ieronimus quia totae Euripidis tragoediae in mulieres maledicta sunt, et quod Epicurus, quamquam Metodorus discipulus eius Leontion habuerit uxorem, raro dicit sapienti ineunda coniugia, quia multa incommoda admixta sunt nuptiis. Et, quomodo diuitiae et honores et corporum sanitates et cetera quae indifferentia

---

6, 7 suplicium S   8 iudicis sententiam S   12 karissimorum S   14 rationem M   18 his M   19 ephesi A   21 penas luisse M   21, 22 solus quidem A   23 eripidis C: erippidis B: erripidis ASM   24 epycurus A

---

3 *cruciati*: *cruciarii* Petron.   9 *commendans*: *commodaret* Petron. *modo*: post *modo* habet *illa* Petron.   14 *area*: *arca* Petron.   20 *Flauianus*: sc. auctor libri *De Dogmatibus Philosophorum*; cf. supra c. 11 (749 A). *tradit*: sc. Flavianus; nihil enim huius modi habet Petronius.   23 *totae Euripidis* etc.: Hieron. *adv. Iovin.* ii. 48 (Migne *P. L.* xxiii. 279).   24 *Epicurus* etc. usque ad *ducturus sit* (755 B): Hieron. l. c.   25 *Metodorus*: *Metrodorus* Hieron. *Leontion*: *Leontium* Hieron.

nominamus nec bona nec mala sunt sed, uelud in meditullio posita, usu et euentu uel bona uel mala fiunt, ita et uxores b sitas in bonorum malorumue confinio. Graue ergo esse uiro sapienti uenire in dubium utrum bonam an malam ducturus sit. Si ergo tanta est molestia nuptiarum, quae proculdubio bonae sunt et a Domino institutae, ut eas sapiens reformidet, quis nisi demens ipsam approbet uoluptatem quae illicita est et tota uersatur in sordibus, quam homines culpant et Deus proculdubio condempnabit? Nam cum hae duae uoluptates scilicet gulae et Veneris quodammodo brutorum sint, altera porci immunditiam altera et hirci uidetur habere fetorem. Vt enim pudicitia inter uirtutes eminet, sic petulantia in uitiis abiectissima est; et cum illa utrumque deceat sexum, muliebrem tamen magis exornat. Siquidem doctissimi uiri uox est pudicitiam imprimis esse retinendam, qua amissa omnis uirtus ruit. c In hac muliebrium uirtutum principatus est. Haec pauperem commendat, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram. Bene meretur de maioribus quorum sanguinem sobole furtiua non uitiat; bene de liberis quibus nec de matre erubescendum nec de patre dubitandum est; bene imprimis de se quam a contumelia alieni corporis uendicat. Captiuitatis nulla maior calamitas est quam ad alienam libidinem trahi. Viros consulatos illustrat eloquentia, in nomen eternum transfert gloria militaris triumphosque nouae gentis consecrat; multa sunt quae per se clara ingenia nobilitent; mulierum proprie uirtus pudicitia est. Ieronimus testis est quod, antequam religio d Christiana fulgeret in mundo, unicubas semper habuisse

---

7 ipsam] eam M 9 condemnabit C 12 hyrci M 19 pulcram AS 24 consultos B[1]

---

15 *doctissimi* etc. usque ad *pudicitia est*: Hieron. *adv. Iovin.* i. 49 (Migne *P. L.* xxiii. 281, 282). 24 *Viros* etc. usque ad *consecrat*: *Viros consulatus illustrat; eloquentia in nomen aeternum effert; militaris gloria triumphusque nouae gentis consecrat* Hieron. *consulatos*: i. e., ut uidetur, *consules factos*; sed uocabulum ex errore aut Ioannis ipsius aut scriptoris codicis quem secutus est haud dubito ortum esse. 28 *antequam* etc. usque ad *desinere*: Hieron. l. c.

inter matronas decus; per illas Fortunae muliebri sacra fieri solitum; nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum; ierophantias quoque Atheniensium diutissime cicutae sorbitione castrari et, postquam in pontificatum fuerint allecti, uiros esse desinere. In immensum pagina protendetur, si ea perstrinxero quae in hac parte tragici, oratores, comici, satirici, poetae (ut de philosophis, ethicis, et theologis taceam) prodiderunt. Sed tamen nec omnes istos arbitror suffecisse ad hanc non dico malitiam delendam aut reprimendam sed nec ad exponendam. Si dixero quod multi sunt experti quia

756 a nec melior pedibus silicem quae concutit atrum
quam quae seruorum uehitur ceruice Sirorum,

hoc in iniuriam mulierum dictum malitia calumpniabitur. Nichil enim melius, nichil utilius muliere pudica, nichil eorum quae possunt excogitari iocundius his qui continere non possunt aut nolunt; sed desipientis est ab his laudem sperare, quae ueniam rectius merentur quam gloriam, si tamen moderationis bono fuerint temperata. Alioquin non uenia sed pena, sed ignominia utriusque libidinis maculam prosequetur; nisi forte decorus habendus sit qui in hircum transformetur aut suem.

Cap. 12. *Quod brutis et insensibilibus quidam appetunt conformari; et quanta humanitate cum seruis uiuen-*
b *dum sit; et de trium reliquorum sensuum uoluptate.*

Nulli utique animantium generi rectius conformantur qui summum bonum uitae in gustandi et tangendi uoluptate, ne dicam luxuria, posuerunt. Ceterum hoc aliorum sensuum luxuriam non excusat, cum manifesta sit humanae dignitatis abiectio si non hirco aut sui, sed leoni aut pardo,

---

2 bigamum CM 14 calumniabitur CB 21 hyrcum M 22 transformatur S²M

---

3 *ierophantias*: i. e. *hierophantas.* 12 *nec melior* etc.: Iuv. *Sat.* vi. 350, 351. 13 *seruorum*: *longorum* Iuv. 26 *rectius*: sc. quam hirco aut sui. 29 *manifesta sit* etc.: v. infra (761 B).

sed panterae aut satiro, sed pauoni philomenae aut
psitaco, sed cuicumque brutorum aut insensibilium studeat
coaequari. Siquidem ad angelicam puritatem rectius as-
pirabit qui in ea creatus est dignitate originis, ut in cumulo
uerae et eternae beatitudinis perfectioni angelicae possit
esse conformis. Nam et patrum inconcussa sanxit au- c
ctoritas quia natura humanae mentis solus Deus dignior est,
et quod omnia haec, quae humanus miratur error, ut
homini seruiant ab eo facta sunt qui hominem fecit ut
eternitatis et beatitudinis suae participem faceret. Quis
ergo praesidentis Domini non uilipendat arbitrium si serui
uilem et abiectam affectat conditionem? Non tamen quod
seruos dicam habendos esse contemptui, nisi seruilibus
uitiis uiuant. Sicut enim uera et unica libertas est seruire
uirtuti et ipsius exercere officia, ita unica et singularis
seruitus est uitiis subiugari. Errat plane quisquis aliunde
conditionem alterutram opinatur accidere; siquidem omne
hominum genus in terris simili ab ortu surgit, eisdem
constat et alitur elementis, eundemque spiritum ab eodem d
principio carpit, eodemque fruitur celo, aeque moritur,
aeque uiuit. Vnde et Praetextatus in Saturnalibus Euuan-
gelum reprimens his utitur argumentis: Serui, inquit,
sunt, immo homines. Serui sunt, immo conserui, si cogita-
ueris tantundem in utrosque licere Fortunae; tam tu illum
uidere liberum potes quam ille te seruum. Nescis qua
etate Ecuba seruire coeperit, qua Cresus, qua Darii mater,
qua Diogenes, qua Plato ipse? Postremo quid ita nomen
seruitutis horremus? Seruus est quidem, sed necessitate;
sed fortasse libero animo seruus est. Hoc illi nocebit, si
ostenderis quis non sit. Alius libidini seruit, alius auaritiae,
alius ambitioni, omnes spei, omnes timori. Et certe nulla 757 a

1 philomele S 2 psithaco A: sithaco CBSM 7 Deus] dominus C 11 domini presidentis S 17 alterutram conditionem C¹A 19 que *om.* B 20 que *om.* CS 21, 22 euangelum M

9 *ab eo*: sc. Deo. 22 *Serui* etc. usque ad *tacebant* (757 D): Macrob. *Sat.* i. 11 §§ 7–15 (ex Sen. *Ep.* 47).

seruitus turpior quam uoluntaria. At nos iugo a fortuna imposito subiacentem tamquam miserum uilemque calcamus; quod uero nos nostris ceruicibus inferimus, non patimur reprehendi. Inuenies inter seruos aliquem pecunia fortiorem; inuenies dominum spe lucri oscula aliorum seruorum manibus infigentem. Non ergo fortuna homines estimabo sed moribus. Sibi quisque dat mores, conditionem casus assignat. Quemadmodum stultus est qui empturus equum non ipsum conspicit sed stratum eius ac frenos, sic stultissimus est qui hominem aut ex ueste aut ex conditione estimandum putat. Non est, mi Euuangele, quod amicum tantum in foro et in curia quaeras; si diligenter attenderis, b inuenies et domi. Tu modo uiue cum seruo clementer; comiter quoque et in sermonem illum et in necessarium nonnumquam admitte consilium. Nam et maiores nostri omnem dominis inuidiam, omnem seruis contumeliam detrahentes, dominum patrem familias, seruos familiares appellauerunt. Colant ergo te potius serui tui, michi crede, quam timeant, nec tibi parum uideatur esse quod diis satis est. Nam quod colitur etiam amatur. Nec potest amor cum timore misceri. Vnde enim putas arrogantissimum illud manasse prouerbium quod iactatur totidem nobis hostes esse quot seruos? Non habemus hostes illos sed facimus, cum in illos superbissimi contumeliosissimi et c crudelissimi sumus, et ad rabiem nos cogunt uenire deliciae, ut quicquid non ex uoluntate responderit, iram furoremque prouocet. Domi enim nobis animos induimus tirannorum, et non quantum decet, sed quantum licet, exercere uolumus in seruos. Nam, ut cetera crudelitatis genera praeteream, sunt qui dum se mensae copiis et auiditate distendunt, circumstantes seruos mouere labra nec in hoc quidem ut

10 ex conditione aut ex ueste M 11 euangele S 18 apellauerunt S 20 quod] qui S 22 manase S 25 cogunt nos CBA 27 tyrannorum M

5 *aliorum*: *alienorum* Macrob. 19 *nec tibi parum uideatur esse*: Verba Macrobii abbreviavit Ioannes. 20 *Nam quod colitur*: *Deinde qui colitur* Macrob. 27 *prouocet*: *euocet* Macrob.

loquantur permittunt. Virga murmur omne compescitur, et ne fortuita quidem uerberibus excepta sunt. Tussis, sternutamentum, singultus magno malo luitur. Sic fit ut isti de domino loquantur quibus coram domino loqui non licet. At illi, quibus non tantum praesentibus dominis sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere ceruicem et periculum imminens d in caput suum uertere. In conuiuiis loquebantur sed in tormentis tacebant. Haec Praetextatus; et de fide seruorum multa et praeclara subiungit et quae essent in quantauis nobilitate sanguinis gloriosa et cuiuis imitanda. Nichil enim decorum est quod non a uirtute profluxerit, et se inuicem turpitudo et uitium infausto ambitu circumscribunt. In hoc autem solo uitiorum impulsu quisque prolabitur, ut eorum se deiciat et deuoueat seruituti quibus natus est imperare. Qui ad spectacula confluunt aut euocant ad se spectacula inhonesta aut se ipsos affectatis nugis uolunt esse spectaculo insipientium, quoniam haec lenocinia uanitatis recte sapienti placere non possunt, 758 a oculorum capiuntur illecebris et, licet mitius elidantur, corruunt tamen a dignitate conditionis suae et ad eam quam diffitentur seruilem relabuntur. Quid ergo aliud faciunt mimi, histriones, parasiti, et huiusmodi monstra hominum, nisi quod ineptam conuincunt felicium seruitutem? Sed et illi qui uoculis capiuntur (licet aurium sensus purissimus et defecatissimus sit) seruiunt quidem, iugo tamen premuntur mitiori, si alias non praeualeant uitia. Nam ab olfactu uix aliquis omnino capitur, nisi forte Lotofagum uiuat. Non aliquid aduersus cantores aut musicos struo, cum (teste Quintiliano, Valerio, Flauiano, et

9 iacebant C¹A 13 infausta A 15 deiceat CB 26 purisimus S

10 *subiungit*: v. Macrob. *Sat.* i. 11 §§ 16 seqq. 23, 24 *monstra hominum*: v. Ter. *Eun.* iv. 4. 29; cf. infra c. 14 (768 c). 29 *Lotofagum*: Advenas ad Lotophagorum terram ab olfactu captos esse non alibi legi: *gustu cuiusdam apud Lotophagos graminis delenitos* esse Vlixis comites refert Quintil. *Inst. Or.* v. 8 § 1. 30 *Quintiliano*: v. *Inst. Or.* i. 10 § 13. *Valerio*: v. Val. Max. viii. 7. ext. 8.

aliis multis) Socrates etiam in senectute didicerit musicam credens, si musica deforet, sibi cumulum sapientiae defuturum. **b** In ea tamen nimium occupari citra philosophicam grauitatem est. Numquid enim uirum decebit sapientem, praesertim quod etiam in sexu muliebri turpitudinis non effugit notam? Nam et Salustius Semproniam reprehendit non quidem quod saltare et psallere sed quod optime scierit. Ait enim: Psallere saltare elegantius quam necesse est probae. Optime tamen cantare, si citra leuitatem posset haberi, plane desiderabile est. In omnibus enim quae simpliciter expetibilia sunt, quo intensiora sunt in qualitate boni, eo expetibiliora sunt. Sed ex adiunctis possunt nonnulla esse suspecta. Lucius Silla uir tanti nominis optime cantasse traditur; sed dotem libidinis **c** et crudelitatis nota perstrinxit. Catoni quoque uisum est bene cantare non serii hominis esse. Vnde nimirum Marcum senatorem non ignobilem Cecilium spaciatorem et Fescenninum uocat, eumque staticulos dare his uerbis ait: Descendit de canterio; inde staticulos dare, ridicularia fundere; et alibi: Praeterea cantat ubi collibuit, interdum Grecos uersus agit, iocos dicit, uoces demictat, staticulos dat. Porro illa uoluptas aurium grata est honestati quae uirtutis est amica aut non est conscia turpitudinis. Oculorum uero uoluptas histriones introduxit et mimos; quod et Scipio Affricanus Emilianus in oratione contra legem iudiciariam Tiberii Gracci non mediocriter reprehendit. Docentur praestigias inhonestas, cum cinedulis et sambuca **d** psalterioque eunt in ludum histrionum, discunt cantare

1 multis aliis A 21 denuctat B 23, 24 Occulorum A[1] 24 hystriones M 26 gracchi C 27 sambucca S

1 *Socrates*: cf. supra c. 9 (741 D). 6 *Salustius* etc.: v. Macrob. *Sat.* iii. 14 § 5. 13 *Lucius Silla* etc.: Macrob. *Sat.* iii. 14 § 10. 14 *sed dotem* etc.: v. Val. Max. vi. 9 § 6. 15 *Catoni* etc.: v. Macrob. *Sat.* iii. 14 § 10. 17 *Marcum* etc.: Macrob. *Sat.* iii. 14 § 9. At *M.* ap. Macrob. pro *Marcus* i.e. *Marcus Cato* ponitur. *Cecilium*: ita Macrobii codices; uerum tamen nomen *M. Caelium* esse ex Gell. i. 15 § 9 uidetur. 21 *demictat*: Vox nihili; legas ex Macrobio *demutat* i.e. *in deterius mutat.* 25 *Scipio* etc. usque ad *posset* (759 A): Macrob. *Sat.* iii. 14 §§ 6–8.

quae maiores nostri ingenuis probro ducier uoluerunt; eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinedos uirgines puerique ingenui. Haec cum quisquam michi narrabit, non poteram animum inducere ea liberos suos homines nobiles docere. Sed cum ductus sum in ludum saltatorium plus mediusfidius in eo ludo uidi pueris uirginibusque ducentis. In his, quod me rei publicae maxime misertum est, uidi unum filium petitoris, puerum bullatum, non minorem annis duodecim, cum crotalis saltare. (Croton Grece pulsus dicitur et inde cimbala sic dicuntur; uel musicum notat instrumentum quod in sono uocem ciconiae imitatur; nam ipsa apud Egiptios crotalus appellatur; crotala quoque 759 a dicuntur sonorae sperulae quae quibusdam granis interpositis pro quantitate sui et specie metalli uarios sonos edunt.) Quam saltationem impudicus seruulus honeste saltare non posset. Patet ergo quanto affectu ingemuerit Affricanus quod uidisset cum crotalis saltare filium petitoris, id est candidati, quem ne cum quidem spes et ratio adipiscendi magistratus, quo tempore se suosque ab omni probro debuit uendicare, potuerit cohercere quo minus faceret quod scilicet turpe non habebatur. Nam et ab eo tempore quo optimis moribus in urbe uiuebatur, scilicet inter duo bella Punica, ingenui filii senatorum in ludum saltatorium commeabant et illic crotala gestantes saltare discebant. Adeo quidem ut ab heroycis conuiuiis nequaquam arceretur b ludus saltatorius; nam et Socraticum simposium ab auctoritate philosophorum, qui illic conuenerant, celebre est; et tamen non defuit qui sub illorum supercilio peteret saltriam intromitti ut puella supra naturam mollior canora dulce-

2 cynedos M 3 michi quisquam C²S narrabat SM 9 xii S 12 egyptios BSM crotalia A 20 uindicare CBASM 25 herotycis B 26 saltatorius ludus S

9 *Croton* etc.: Haec verba, usque ad *edunt*, non ex Macrobio desumpta sunt, sed ad *crotalum* explicandum a Ioanne nostro addita sunt; quo autem auctore, nescio; nisi quod pauca ex eis exstant in Papiae *Lexico* s.v. *crotos*, ubi legimus: *Crotos Graece pulsus dicitur; hinc cymbalum dicitur a pulsu* (ed. Ven. 1491 fol. 41). 13 *sperulae*: i. e. sphaerulae. 16 *ingemuerit* etc.: Macrob. *Sat.* iii. 14 § 8. 21 *Nam et ab eo* etc.: v. Macrob. *Sat.* iii. 14 § 4. 25 *heroycis*: v. Macrob. *Sat.* ii. 1 § 2. 28 *non defuit* etc.: Macrob. *Sat.* ii. 1 § 5.

dine et saltationis lubrico exerceret illecebris philosophantes. Ceterum histriones non inter turpes habitos Cicero auctor est qui, sicut Furius Albinus refert, Roscio et Esopo familiariter usus est, adeo quidem ut res rationesque eorum sua sollertia tueretur; quod cum ex aliis multis, tum ex epistolis eius declaratur. Nam illa oratio celebritate sui innotuit in qua populum Romanum obiurgat quod Roscio agente tumultuarit. Et quidem constat cum ipso histrione
c contendere solitum utrum ille saepius eandem sententiam uariis gestibus efficeret an ipse per eloquentiae copiam sermone diuerso pronuntiaret. Quae res ad hanc artis suae fiduciam Roscium abstraxit ut librum conscriberet quo eloquentiam cum histrionia compararet. Is est Roscius qui etiam Sillae carissimus fuit et anulo aureo ab eodem dictatore donatus est. Tanta autem fuit gratia et gloria ut mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus solus acciperet. Esopum quoque ex pari arte ducenties sextertium reliquisse constat. Sed utinam, si histriones uidentur ob auctoritatem Ciceronis et praedi-
d ctorum heroum in cetum sapientium admittendi, eligantur Roscio similes et Esopo qui, etsi non facere (quod tamen illi nouerant), uel intelligere libros sciant et amatores sint potius quam impugnatores litterarum, quas nemo umquam sapiens aut bonus odio habuit. Ciceronem refert Valerius litteras contempsisse et in contemptu ipso fuisse fontem habundantissimum litterarum, ob hoc forte quod studium negotiis postponebat. Nam institit eis dum contempsit; ipseque contemptus Ciceronis multorum studio studiosior est. Non facile tamen crediderim ad hoc quemquam

---

14 karissimus sille S eodem *Macrob.*: eiusdem CBASM 16 mille] M. CBASM denarios *om.* M 23 literarum AS 26 abundantissimum A^{2}S

---

2 *Ceterum histriones* etc. usque ad *reliquisse constat*: v. Macrob. *Sat.* iii. 14 § 11. 3 *Furius Albinus*: sc. in Macrobii *Saturnalibus* interlocutor. 24 *Ciceronem* etc.: Male intellexit Noster Valerium Maximum non de Cicerone sed de C. Mario loquentem; v. Val. Max. ii. 2 § 3 *conspicuae felicitatis Arpinum unicum; sive litterarum gloriosissimum contemptorem* (sc. Marium) *siue abundantissimum fontem* (sc. Ciceronem) *intueri uelis.*

impelli posse litteratum ut histrioniam profiteatur, licet facile inueniantur quamplurimi quos non pudet agere et implere sordidum histrionem, gestus siquidem exprimunt, rerum utilitate deducta. Fertur beatus Ieronimus tres 760 a a mensa clericos exclusisse, quia ipsos incompositos uidit, turpe ducens honesto et graui uiro in eius consortio aliquem incompositum inueniri; et quidem hoc laude maiori dignum est quam si, ut ab eis laudaretur, admitteret. Licet autem aliqua sit uoluptas oculorum in talibus, uix sine turpitudine exerceri poterit uel admitti. Est et illa uoluptas in uiro graui notabilis ex causa luxuriae, quae ornatum suum in pretio uestium aut colore aut forma aut usus nouitate consistere opinatur. Vt enim ait ethicus:

> Maltinus tunicis demissis ambulat; est qui
> inguen ad obscenum demissis usque facetus.

Alter solis lineis brumae horrores excludit et, dum omnia b gelu constricta rigent, tenui sudat in ciclade, et illius delicias etiam bombicinus urit pannus aut premit. Hic, cepa tunicatior, densatus pellibus, et epytogiis clamidi penulam superducit et quasi conglobatus in orbem rotulari quam incedere magis idoneus est. Ille nunc utitur penula, nunc campestri; id solum agens ut aliis dissimilis habeatur. Ille tantas exquisiti ornatus affectat munditias ut nimio splendore cultus operosi ad sordes uideantur accedere. Quicquid enim dedecet et quodammodo polluit aut potius

1 hystrionem M 3 hystrionem M 5 incopositos B 7 maiori laude A 9 occulorum A[1] 15 fascetus A 19 epitogiis BM 21 ydoneus B

3 *gestus* etc.: cf. ps. Cic. *ad Herenn.* iii. 15 § 26. 4 *Fertur* etc.: v. *Vit. Hieron.* (Migne *P. L.* xxii. 192). 14 *Maltinus* etc.: Hor. *Sat.* i. 2. 25, 26. 15 *demissis*: *subductis* Hor. 17 *tenui* etc.: v. Iuv. *Sat.* vi. 259, 260. 19 *cepa tunicatior*: v. Pers. *Sat.* iv. 30, 31. *epytogiis*: Hoc vocabulum non reperies apud auctores antiquos nisi in Quintil. *Inst. Or.* i. 5 § 68, inter verba ex peregrino et latino composita adhibitum. 20 *rotulari*: Etiam hoc vocabulum (unde provenit Gall. *rouler*) apud auctores antiquos quos hodie habemus deest; nec tamen dubito quin omnia haec ex nescio quo aetatis saec. post Chr. sexto anterioris scriptore desumpta sint. De Macrobio quidem cogitavi; sed ille nec Iuvenali nec Persio in libris qui hodie exstant uti videtur. 21, 22 *nunc utitur penula, nunc campestri*; cf. Hor. *Ep.* i. 11. 18.

expellit honestatem, sordidum est et habendum in sordibus. Non tamen arguitur quod necessitas introducit, quia non
c omnes omnia possunt, et est cuius natura exigit unde alius honeratur aut quod omnino ferre non potest. Hoc autem philosophia praecipit obseruari, ut quisque in omnibus fugiat notam, indicens actioni rectitudinem ne sit reprehensibilis, sermoni cautelam ne sit contemptibilis, habitui modestiam ne sit notabilis; intemperantiam namque nota conuincit. In hodiernum diem arguitur intemperies Hortensii, a quo isti dealbati adhuc dicuntur Hortensiani, non quod primus sed quod praecipuus talium fuerit, adeo ut suffecerit ad notam seculi sui; uir utique alloquio ex professo mollis et in praecinctu ponens omnem decorem suum. Fuit enim uestitu ad immunditiem curioso et, ut bene amictus iret, faciem quaerebat in speculo. Vbi se intuens,
d togam corpori sic applicabat ut rugas ne forte sed industria locatas artifex nodus astringeret et sinus ex composito defluens modum lateris ambiret. Is quondam, cum incederet elaboratus ad speciem, collegae de iniuriis diem dixit quod sibi in angustiis obuius offensu fortuito structuram togae destruxerat; et capitale putauit quod in humero suo locum ruga mutasset. Nichil tale sapientem decet aut uirum probum; immo et matronae honestae et uirgines nupturae facilius et felicius ob dotem formae tantam cultus sui sollicitudinem erubescunt. Mirum itaque est qua impudentia etatis nostrae

cultus gestare decoros
uix nuribus rapuere mares.

761 a Quid ergo quod milites? Quid quod clerici? Siquidem haec omnia fallacem meretricis fucum et malitiam imitantur. Quid ergo uiro cum speculo, nisi in eo casu quo illud Platonem gestasse testis est Flauianus, ut uideret in eo

13 precintu S

2, 3 *non omnes* etc.: v. Verg. *Ecl.* viii. 63. 11, 12 *adeo ut suffecerit* etc. usque ad *mutasset*: v. Macrob. iii. 13 §§ 4, 5. 27 *cultus* etc.: Luc. *Phars.* i. 164, 165. 32 *Platonem*: Hanc historiam ex Ioanne nostro citat Walterus Burley *de Vita et Moribus Philosophorum* (ed. Colon. 1472 fol. 46).

quantum peregrinatio, studii feruor, acumen temporis, processus etatis de naturali statu mutasset faciei indicio, quae bona et mala fidelissime protestatur? Hoc quidem egit ut seruaret aut releuaret naturam, ne labore et dieta insueta corrumperetur. Vt autem ad alia transeamus, quis istorum, qui dotes brutorum affectat, brutus esse dignetur? Aut cui non praeponderare uidebitur, si collatam sibi prae illis conferat rationem? Numquid uirium amator leo uellet esse aut pardus? Dicunt phisiologi quia lincis aut panterae odorem animalia cetera sequuntur; istos tamen b qui musco et speciebus exoteris placant olfactum et prouocant uelle (si possent) non arbitror in panteram aut lincem transformari. Non utique credam quod qui satirum induit satirus esse uelit; sed nec illi qui seipsos poliunt pauonis in se poterunt transformare colores. Concinant hi et totius musicae melos pro uiribus expleant, nemo eorum philomenam aequabit aut psitacum. Nonne ergo indecens et probrosum est humanae celsitudini si, postposita dote sua, in qua praeualet, ad alienas, in quibus superatur, aspirat? Verum, si moderatio adhibeatur, in his interdum sensuum uoluptate uersari sapienti non arbitror indecorum; ut saepenumero dictum est, nichil decorum est sine modo. Nam et otiari interdum sapienti familiare est, non tamen c ut uirtutis exercitium euanescat, sed quo magis uigeat et quodammodo recreetur. Siquidem Lelius et Scipio, illud par amoris insigne, simul lectitabant et, sicut remissionis eorum certissimus testis Sceuola auctor est, ciuilibus fatigati negotiis pila ludebant. Idem quoque Sceuola

---

6 affectant A 10 pantherae M secuntur SM 12 pantheram M 17 philomelam S 20 aspiret S 21 uoluptatem C 28 ceuola S

---

10 *panterae*: v. lib. qui *Physiologus* inscribitur ap. Cahier & Martin *Mélanges d'Archéologie* iii. p. 239; cf. pseudo-Hugon. de Sto. Victore *de bestiis* c. 23 et supra 756 B; tale autem de lynce narratum non repperi. 11 *exoteris*: pro *exoticis* ponitur. 17 *philomenam*: i. e. *philomelam*; cf. supra 756 B. 22 *dictum est*: cf. supra c. 11 (756 A). 25 *Siquidem Lelius* etc. usque ad *relaxaret*: v. Val. Max. viii. 8 §§ 1, 2, ext. 1, 2. 26 *lectitabant*: sc. conchulas et umbilicos, ut ait Val. Max. loc. cit.

aleae et calculis interdum uacasse traditur, cum bene ac diu iura ciuium cerimoniasque deorum ordinasset. Vt enim in rebus seriis Sceuolam, ita in lusibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit. Idque uidit Socrates, qui nullam sapientiae d partem dicitur habuisse ignotam; ideoque non erubuit tunc cum, interposita arundine cruribus suis, cum paruulis filiolis ludens ab Alcipiade risus est. Homerus quoque, celestis uates ingenii, non aliud sentit uehementissimis Achillis manibus canoras fides oltando nisi ut earum militare robur leui pacis studio relaxaret. In summa histrioniam saltatoriam et huiusmodi lenocinia exercere leuitatis aut turpitudinis est. Sed delectari in eis nunc ad otia, nunc ad flagitia accedit. Si enim modeste fiat ad recreationem, sub otiandi licentia excusatur; si ad lasciuientis animi uoluptatem, cadit in crimen. Haec autem facillime distinguit loci temporis modi personae et causae superius memorata discretio, quam forte nimis reuoluere posset 762 a lingua uerbosior, sed eam mens cauta reuoluere nimis aut continere non potest. Haec est enim fons et origo totius modestiae, sine qua nichil recte in officiis exercetur. Ab hac alios alia decere uel dedecere certum est.

Nam quod turpe bonis Seio Titioque decebit
Crispinum.

Perspicui ergo erroris est ad fundamentum famae et gloriae consumere uitam in talibus quae aut otiosae occupationes sunt aut flagitiosa negotia. Profecto sic delinquentium particeps est qui eorum lasciuiam exhibet, et auctor uidetur esse luxuriae alienae qui eam mauult sumptibus prosequi uel fauore quam persequi increpatione adhibita et sumptibus denegatis. Siquidem Ambrosius auctor est quia qui

3 ceuolam S 9 uates celestis A[1]

10 *oltando*: sic omnes Ioannis codices; *aptando* Val. Max. 17 *superius*: v. supra i. 4 (396 D). 23 *Nam quod* etc.: Iuv. *Sat.* iv. 13, 14; cf. supra i. 4 (397 A). *Seio Titioque*: *Titio Seioque* Iuv. 31 *Ambrosius*: potius Augustinus *Enarr. in Ps. cii.* § 13 (Migne *P. L.* xxxvii. 1327); cf. Grat. *Decret.* I. 86. cc. 8, 9 (Friedberg i. 299, 300) et supra i. 8 (406 C). Haud dissimile tamen est quod habet Ambrosius *de Off.* ii. 21 § 109 (Migne *P. L.* xvi. 133).

talibus donat peccatum grande committit; hoc enim fouet in eis, in quo nequissimi sunt. b

Cap. 13. *De frugalitatis commendatione, et nota Quintiliani in Senecam; et quomodo frugaliter possit auaritiae suspicio deuitari.*

Luxuriam persequi uideor ad laudem frugalitatis, michique ab insulsis inepte uiuentibus et indiscrete loquentibus illud Publii Clodii subsannando ingeritur quia frugalitas boni rumoris miseria est. Hi sunt qui, dum luxuriam uitare nolunt uel nequeunt, quicquid pro uirtute dicitur auaritiae patrocinium putant. Secus quidem est. Luxuriam per se turpem nemo ambigit et, licet frugalitas sit tamquam uirtutum bonorumque operum origo laudabilis, non tamen omnibus placet; nec credunt auaritiam malitiae fomitem c posse uitari nisi et frugalitas fugiatur. Nempe indoctorum haec opinio est; ut enim ait ethicus:

Dum uitant stulti uitia, in contraria currunt,

recedentes a medio uitiorum, quae regio uirtutis est. Sunt tamen quibus frugalitas est inhibenda, ut quorum natura procliuior est ad auaritiam. Sunt tamen quibus est indicenda calcatius, ut qui sua prodigunt et ratione contempta effundunt, non discernentes quid usus sit uel abusus. Quo quidem temperamento usum esse Seruium Opidium Canusinum in ultimo elogio, cum filios peste contraria uideret occupatos, refert Oratius. Simpliciter tamen constat frugalitatem in bonis numerandam, utpote illam quae Saturno d regnante regna aurea temperauit et eorundem omnia dispensauit officia. Haec est quae Astream et Pudicitiam in

3 nota] uota CBAS: uoto M 8 subsanando S 9 Hii S 18 regia M

8 *Publii Clodii*: i. e. Publilii Syri, ut supra c. 11 (751 C) et infra c. 14 (772 A). *frugalitas* etc.: Publ. Syr. *Sent.* F. 28 (ed. Meyer p. 31). 12 *licet frugalitas* etc.: v. Cic. *Tusc. Disp.* iii. 8 § 16 *reliquas etiam uirtutes frugalitas continet.* 17 *Dum uitant* etc.: Hor. *Sat.* i. 2. 24. 18 *a medio* etc.: v. Hor. *Ep.* i. 18. 9. 21 *calcatius*: Hoc vocabulum habet Boethius *de Syllog. Categ.* ii. (Migne *P. L.* lxiv. 830); v. Forc.-de Vit. s. v. 22, 23 *Quo quidem* etc.: v. Hor. *Sat.* ii. 3. 168 seqq. 28 *Astream et Pudicitiam* etc.: v. Iuv. *Sat.* vi. 14 seqq.

terris diutius tenuit, donec eas, inualescente luxu, regnante Ioue, ad superos contingit euolasse. Nos haec fabula respicit, ut sciamus sine frugalitate non posse iustitiam aut pudicitiam conseruari. Siquidem necessitas exercendi luxus excludit iustitiam, et exercitii uoluptas pudicitiam propellit. Ait enim: Qui festinat ditari, non erit innocens. Illud tamen Clodii nequaquam denigrat frugalitatis honorem, sed uidetur potius commendare decorem. Constat enim nequaquam malum esse quod in patrocinium et ex-
763 a cusationem sinistri rumoris assumitur. Sic fuscus color nigrum extenuat; et quod turgidum est nomine plenitudinis honoratur. Est autem frugalitas uirtus moderatrix utendi et abutendi ignara. Nichil gelide ministrat aut timide; sed ei tamen ratio constat impensae. Rebus quidem, sed sibi magis parcit. Nichil aut minimum subtrahit usui, sed luxuriae nichil omnino indulget, siquidem diligentissima est. Possunt ad commendationem eius sufficere quae Zeno, quae Socrates, quae Plato, quae Aristotiles, quae omnium philosophorum chorus de frugalitate seruanda tradiderunt. Sed quia haec peruetusta sunt nomina aut eorum non sunt praecepta celebria, uel Seneca noster audiatur, qui eam tantis laudibus effert ut quisquis
b aliquid omnino adicere temptauerit, otiari quam aliquid agere rectius uideatur. Sunt tamen qui eum contempnere audeant, Quintiliani auctoritate freti, suum ex eo nobilitantes iudicium si ei detrahant qui plurimis placet, ut apud indoctos eorum gloriam uideantur praecedere quorum uirtutem nequeunt imitari. Michi tamen desipere uidentur qui quemcumque secuti non uenerantur eum quem et

1 inualescentes M   2 contigit S   16 luxuria A[1]   24 contemnere C

6 *Qui festinat* etc.: Prov. xxviii. 20.   7 *Clodii*: i. e. Publilii Syri, ut supra.   13, 14 *gelide ministrat aut timide*: v. Hor. *A. P.* 171.   21, 22 *Seneca noster*: Quem ad locum respiciat nescio; nihil enim magnificentius de frugalitate dictum habere videtur Seneca quam quod in *Ep.* 17 § 5 legimus: *non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura.*   24 *Sunt tamen qui* etc.: e. g. Gell. xii. 2.   25 *Quintiliani*: v. loc. infra cit.; cf. *Metal.* i. 22 (852 c).

Apostoli familiaritatem meruisse constat et a doctissimo patre Ieronimo in sanctorum catalogo positum. Vt tamen de Quintiliani possis iudicare iudicio, uerba ipsius, quae scriptoribus enumeratis in suggillationem Senecae posuit, haec sunt: Ex industria Senecam in omni genere eloquentiae distuli propter uulgatam falso de me opinionem qua dampnare eum et inuisum quoque habere creditus sum. Quod accidit michi, dum corruptum et omnibus uitiis c fractum dicendi genus reuocare ad seueriora iudicia contendo, cum iam solus hic fere in manibus adolescentium fuerit. Quem non equidem conabar omnino excutere, sed potioribus praeferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cum, diuersi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse in quibus illi placerent diffideret. Amabant eum magis quam imitabantur, tantumque ab illo defluebant quantum ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandum pares ac saltem proximos illi uiro fieri; sed placebat propter sola uitia, et ad ea se quisque dirigebat effingenda quae poterat, deinde, cum se iactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cuius et multae alioquin et magnae uirtutes fuerunt, ingenium facile et d copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab hiis, in quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est. Tractauit etiam omnem fere studiorum materiam; nam et orationes eius et poemata et epistolae et dialogi feruntur. In philosophia parum diligens egregius insectator uitiorum fuit. Multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum genera legenda, sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima

2 cathalago A 4 sugillationem M 7 qua *Quintil.*: quam CBASM damnare C 10 adholescentium A[1] 20, 21 alioqui S 23 his BM 27 eggregius C uiciorum insectator M 29 pluraque AM (plraq: M) pernitiossima A

1 *Apostoli*: sc. Pauli. Exstant epistolae pseudigraphae xiv Senecae ad Paulum et Pauli ad Senecam, qui iam S. Hieronymi tempore a plurimis legebantur; v. Hieron. loc. infra cit. 2 *Ieronimo*: v. Hieron. *de Vir. Ill.* c. 12 (Migne *P. L.* xxiii. 629). 5 *Ex industria* etc. usque ad *effecit* (764 A): Quintil. *Inst. Or.* x. 1 §§ 125–131). 10 *cum iam : tum autem* Quintil. 14 *in*: deest ap. Quintil. 23 *in*: deest ap. Quintil.

quod habundabant dulcibus uitiis. Velles enim eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si nil aequalium contempsisset, si parum non concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non
764 a fregisset, consensu potius eruditorum quam puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque iam robustis et seueriore genere satis firmatis legendum uel ideo quod exercere potest utrumque iudicium. Multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt; eligere uero curae sit, quod utinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura quae meliora uellet; quod uoluit effecit. Haec in Senecam Quintilianus; sed an recte senserit sapientiorum iudicio derelinquo. Hoc tamen quod ei adscribit, multam morum scilicet elegantiam, etsi in eloquendo corruptam, nequaquam arbitror detrahendum. Moralia ergo eius praecepta admittantur, et eo genere loquatur quisque quod
b ceteris praefert, et planum erit uirtutum riuulos de purissimo fonte frugalitatis oriri. Legantur Epistolae eius, libri de Beneficiis aut Clementia, illi quoque quos decem Oratorum sententiis sub imagine declamationum scolarium illustrauit, et hii quos de Naturalibus Quaestionibus edidit et quos de philosophia parum diligentes arguit Quintilianus; ubique fidelis custos uirtutis, ubique uitiorum hostis occurrit, tantus utique ut eum Fronto, secundum quosdam nepos Plutarchi, cuius meminit in primo Iuuenalis sic:

Frontonis platani conuulsaque marmora clamant;

semper eum, inquam, sic asserit uniuersos exterminare

---

1 abundabant BA[2] 6 quoque sic A[1] 19 x CS 21 hi M 25 plutarchy C

---

7 *legendum*: *legendus* Quintil. 24 *Fronto* etc.: cf. infra c. 19 (792 A) *Latinas* [litteras] *autem eum* [sc. M. Antoninum] *Fronto nobilissimus orator docuit et pro quorundam opinione Plutarchi nepos.* Vide quae de hac re scripsi *Classical Review* xi. p. 305 seq. et supra in Proleg. ad *Policr.* 26 *Frontonis* etc.: Iuv. *Sat.* i. 12. Fronto autem de quo loquitur Iuvenalis praeceptore M. Antonini antiquior fuisse videtur. 27 *asserit*: Maius in Frontonis ed. 1846 p. xvii 'Reliqua autem quo pacto dicere potuerit Saresberiensis, nisi Frontonem de Seneca scribentem' aut, ut addere licet, alium nescio quem scriptorem Frontonis de Seneca iudicium laudantem 'legerit, eruditi

errores ut aurea uideatur secula reformare, et deos ab humano genere exulantes eius opera reuocatos hominibus c contracta societate miscere. Consentiam facile litteratiorem extitisse Quintilianum et acumine et grauitate dicendi praecedere; at ille diligentior est, et quantum in rethoricis uincitur tantum uincit in ethica. Ipse quoque Quintilianus in magnis et praecipuis bonis frugalitatem ducit et in commendatione eius tantus est ut uel solus possit sufficere. Quis tamen est qui non laudet? Quis non eam necessariam credit? Ne tamen a luxuriosis arguar auarus frugalitatis laudator, eam liberalitati credo et fateor coherere. Cicero michi testis est et Iulius Cesar et alii quos nemo tenacitatis insimulare praesumet. Aduersus hanc multa superius dicta sunt, et liberalitatis officia ex libris Officiorum facile innotescent. Vt tamen liberali- d tatis ingenuae facies denudetur, modus ille largiendi nobilior et laudabilior est et absque omni contradictione optimus qui spem remunerationis excludit. Siquidem ad retributionem dare, a liberalitate alienum est et consentaneum auaritiae. Nam fenerator, ut plus recipiat, interdum aliquid praelargitur. Vnde Cocus:

Munera quod senibus uiduisque ingentia mittis,
  iuste munificum, Gargiliane, uocem?
Sordidius nichil est, nichil est te spurcius uno,
  qui potes insidias dona uocare tuas.
Sic auidis fallax indulget piscibus hamus,
  callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare docebo,
  si nescis; dona, Gargiliane, michi.

5 diligentiorem M   est *om.* M

dispicient.' Notandum est Frontonem in epistolis quas habemus de Seneca male sensisse; vide ed. Naber pp. 155, 156, 224.   6, 7 *Ipse quoque Quintilianus* etc.: v. *Inst. Or.* x. 3 § 26.   12 *Cicero*: v. *Tusc. Disp.* iii. 8 §§ 16–18, ubi frugalitatis laudes dicit, et de cohaerentia verae liberalitatis cum frugalitate *de Off.* i. 14 § 44, ii. 16 §§ 55–57.   *Iulius Cesar*: v. supra c. 7 (734 C).   15 *ex libris Officiorum*: v. Cic. *de Off.* i. 14.   21 *praelargitur*: deest in Lex. Forc.-de Vit.   *Cocus*: i. e. Martialis; v. supra ad vii. 12 (665 B).   22 *Munera* etc.: Martial. *Epigr.* iv. 56.   23 *iuste*: *uis te* Martial.

a Vis hominem uidere liberalem? Vis ueram et fructuosam largitatem audire? Deflecte oculos ad eum qui uermibus scatens iacet in sterquilinio et testa fluentem de corpore saniem radit. Audi quid loquatur uir iustus et timens Deum et recedens a malo. Non utique dicit: Cythara et lira, psalterium et sambucca et omne genus musicorum in conuiuiis meis. Non dicit: Epulabar cotidie splendide, gustus per omnia elementa quaerens; sollicitudine multa contrahens, unde conficerentur stercora aut uenter distentus facile in libidines dispumaret. Non dicit: Induebar purpura et bisso opereue plumario, affectans

quod Nilotis acus complexum pectine Serum

falsis inanis uitae obduxit imaginibus, et uestibus fulgebam deauratis, circumdatus uarietate. Non dixit: Ad me con-
b fluebant undique

mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne,

uenatores clamosi, dulchorarii mendaces, histriones uani et parasiti edaces, meretrices dolosae, rumigeruli, falsiloqui, et relatores aut concentores inanium fabularum. Non dicit: Leones ursos alebam et simias et huiusmodi monstra aut probra naturae. Quid ergo? Nonne haec sunt quibus nostrae etatis liberalitas illustratur? Numquid sine his largitas esse potest? Humerus, inquit, meus a iunctura sua cadat, et brachium meum cum ossibus conteratur, si negaui quod uolebant pauperibus, si oculos uiduae expectare feci, si comedi buccellam meam solus et non comedit

4 et *om.* M 6 salterium S sambuca C¹A : sanbuca S 7 cottidie A¹ 11 bysso BM 12 Nilotis] in lotis A¹ 13 ymaginibus M 17 dulcorarii SM² 22 hiis S

2 *eum* etc.: i. e. Iob. 2, 3 *uermibus scatens*: v. Iob xvii. 14; *uermibus scatere* dicitur panis caelestis usque mane dimissus Ex. xvi. 20. 3 *iacet* etc.: v. Iob ii. 8. 4 *uir iustus* etc.: v. Iob i. 1. 5 *Cythara* etc.: v. Isa. v. 12. 7 *Epulabar cotidie splendide*: v. Luc. xvi. 19. 8 *gustus* etc.: Iuv. *Sat.* xi. 14. 10 *Induebar* etc.: v. Luc. xvi. 19, Ex. xxvi. 1. 12 *Nilotis* etc.: Luc. *Phars.* x. 142. 16 *mendici* etc.: Hor. *Sat.* i. 2. 2. 17 *dulchorarii*: i. e. qui dulcorant. Nullum nisi ex hoc loco vocabuli exemplum citatur in Lex. Ducange. 18 *rumigeruli*: Hoc vocabulum habet Hieron. *Epp.* l. 1., cxvii. 10 (Migne *P. L.* xxii. 512, 959). 23 *Humerus* etc.: Iob xxxi. 22, 16, 17, 32, 19, 20.

pupillus ex ea, si foris mansit peregrinus et ostium meum c non patuit uiatori, si despexi praetereuntem eo quod non habuerit indumentum et absque operimento pauperem, si non benedixerunt michi latera eius et de uelleribus ouium mearum calefactus est. Vter tibi uideatur liberalior, hic an Antonius, qui liberalitati satisfieri posse non credidit nisi gulam et totius luxuriae uitia procuraret? Videsne quia multiplici uia potest auaritiae suspicio frugaliter declinari? Hospitalitatis bonum commendat Apostolus per quod Deo adeo officiosi hospites placuerunt ut etiam angelos hospitio recipere mererentur. Abraham descendentibus in uia uiris occurrit et, exercendae liberalitatis optans gratiam, angelos in hospitium humilitate uictos et precibus introducit. Eis tamen incentiua gulae nequaquam apponit, nec d uitulum, quem de armento tollit, impendiis rerum et cocorum arte fecit esse Troianum. Loth quoque luxuriae punitores angelos deuotione urgente in domum suam egit, et licet eis ad gulam aliamue luxuriam non seruiret, nichil tamen defuit caritati; adeo quidem ut et Sodomitarum furori uirgines filias quam hospites mallet exponere. Cum in domo Tobiae dies festus ageretur, Vade, inquit, et adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum; neque enim diem festum agi posse putabat nisi aliquem ad domesticum cetum caritas adiecisset. Sed in omnibus his eadem est ordinatae dispensatio caritatis. Quos enim per uiam descendentes 766 a aspexit Abraham, illis potiorem praestant auctoritatem qui in uia morum, lege scilicet Domini, gradiuntur. Et recte descendentes scribuntur quos ad uisitationem et praebendam materiam promerendi ad conspectum fidelis patris

1 hostium A[1]S 8 potest uia M 19 karitati CB 24 karitas B his omnibus A hiis S 25 karitatis BS

2 *praetereuntem*: *pereuntem* Vulg. 6 *Antonius*: de quo v. Macrob. *Sat.* iii. 17 § 15; cf. supra c. 7 (732 A seqq.). 9 *Hospitalitatis* etc.: v. Hebr. xiii. 2. 11 *Abraham* etc.: v. Gen. xviii. 2 seqq. *descendentibus*: v. infra (766 A); hoc tamen vocabulum in Gen. xviii. 2 non reperies. 16 *Troianum*: v. Macrob. *Sat.* iii. 13 § 13; cf. supra c. 7 (736 A). *Loth* etc.: v. Gen. xix. 1 seqq. 20, 21 *Cum in domo* etc.: v. Tob. ii. 1, 2. 27 *in uia* etc.: v. Ps. cxviii. 1.

familias gratia destinauit. Sic et iste primo tribum suam agnoscit, quae Dominum specialiter agnoscebat, et in ea ipsa illos ceteris praefert, non quos sanguis aut lenocinia mundi exinaniti commendant, sed quos diuinus timor illustrat. Non utique uentriloquos et uaniloquos uir sanctus asciuit, sed eos qui Dei, quem colebat, imaginem praeferebant. Sed numquid diei festiuitas fratrum cetus aut opulentia eduliorum a gerendis pro more sanctum hominem retardauit? Vtique in ipsa letitia conuiuantium, increpatus a fratribus, Hebreum, quem ab impiis percussum audierat, post solis occubitum, quia ante non licuit, profectus est sepelire. Nec ueritus est offensam principis, dum expleret officium caritatis; illi plane consimilis qui in se et sobole quam in hospitibus recipere maluit a conciuibus luxuriosis insignem iniuriam. Disciplui quoque persua- b sionibus usi sunt ut Dominum uolentem ire longius hospitio detinerent, et nobis hospitalitatis formam praescribentes exemplo coegerunt eum, uisique sunt ei locum cessisse primum quem postmodum agnouerunt Dominum in fractione panis. Alias namque delicias, nisi quas forte necessitas exigebat, ei non legimus fuisse appositas. Britannia c quoque nostra produxit Albanum, ab officio hospitalitatis insignem, qui seipsum maluit tirannorum exponere telis quam hospitem quem susceperat Christianum. Quid de fidelibus loquor? cum etiam infideles consueuerint etiam aduersus hostes et proprio periculo patrocinari quos infra quadriduum hospitio suscepissent. Criminis enim contrahebat notam quisquis ante quintum diem hosti, id est peregrino, humanitatis patrocinium denegabat. Auctore siquidem Cicerone ob aequitatem hospitibus exhibendam hostis dicebatur antiquitus quem modo dicimus peregrinum;

---

13 *post* et *add.* in A 22 ab officio Albanum C[1]: ab *om.* B. 27 quatriduum S[2]M 31 antiquitus dicebatur A

---

1 *iste*: sc. Tobias pater; v. loc. supra cit. 9 *Vtique* etc.: v. Tob. ii. 3 seqq. 13 *illi*: sc. Loth; v. Gen. loc. supra cit. 15 *Discipuli* etc.: v. Luc. xxiv. 29 seqq. 21 *Britannia* etc.: v. Bed. *Hist. Eccl.* i. 7. 30 *Cicerone*: v. *de Off.* i. 12 § 37.

cui quisque fuerit inhumanus, de iure antiquo iniquus est. Declarant hoc legum tabulae et titulus iuris qui est: Statutus dies cum hoste. Qui uero humanitatem exhibet hospiti et caritatem implet, nichil eorum subtrahit quae d
ratio permittit exponi. Effundit quidem in hospites uiscera sua; sed memor officii, si discretus est, ad turpia non impellit, nec urget quempiam in id in quod se nollet urgeri. Est itaque in hospitem peregrinum omnis humanitas et sobria liberalitas exercenda; et indigenae hospiti gratiam pleniorem referre debet tenaci beneficiorum memoria peregrinus. Hanc quoque gratiam nec aduersae religionis nec praecedentis inimicitiae titulus perimit. Nam et beatus Gregorius Gneocesariensis episcopus, cum urgente temporis et procellae angustia in Alpibus interceptus in fanum Apollinis, qui ibi ab indigenis colebatur, diuertisset et a sacerdote loci, licet profano, officiosissime exceptus esset hospitio, memor officii et hospitii, Apollinem, quem sus- 767 a
penderat a responsis et ludificationibus animarum, sacerdotis precibus relaxauit. Siquidem apud Eusebium Cesariensem in Ecclesiastica Historia poterunt haec plenius inueniri. Eoque referente constat quod sacerdos querulus, beatum Gregorium prosecutus et agens aduersus eum ingratitudinis et exprobrans humanitati suae iniquo pondere esse repensum, hanc a sancto uiro ad Apollinem suum epistolam reportauit: Gregorius Apollini. Permitto te redire ad locum tuum et agere quae consueuisti. Cum ergo idolo sacerdos epistolam reddidisset, solutus demon responsis more solito ludificare coepit. Vnde sacerdos, admiratus illius maiestatem cuius serui humiles possunt sic etiam diis gentium imperare et uerbo suspendere et torquere, b
contempto Apolline suo sequensque Gregorium adhesit ei, factusque discipulus Christi qui sacerdos Apollinis fuerat

1 quisquis S 16 prophano M 26 ydolo CBAM

2 *Declarant hoc* etc.: ut ait Cic. loc. supra cit. 3 *Statutus*: *Status* Cic. 12, 13 *Nam et beatus Gregorius* etc.: v. Rufin. *vers. Euseb. Hist. Eccl.* vii. 25 (ed. Cacciari i. p. 435). 13 *Gneocesariensis*: i. e. Neocaesariensis.

ita in fide et religione profecit ut beato Gregorio credatur in regimine Gneocesariensis ecclesiae successisse. Et sic quidem sedulitas hospitis humane prius, deinde salubriter remunerata est. Postremo, etsi urbanitatis in hospites exercendae apud ethicos regula nulla esset, beatus Benedictus in capitulo de hospitibus frugalem humanitatem non modo religiose sed etiam comiter et urbane uidetur exprimere. Hoc tamen quod in libro consuetudinum Cisterciensium apud plerosque legitur et tenetur, quod ad duos articulos spectat hospitalitatis instituendae, ab omni ciui-
c litate, ne dicam humanitate, alienum est; si tamen uerum est hoc in tantae perfectionis consuetudinibus inueniri ut nec carnes apponantur hospitibus nec propter eos aliquid ematur; cum et ipsa ieiunia propter hospitem perfectio soluat et in multis de rigore suo plurimum indulgeat caritati. Ethnicus quoque in eo fidelius et familiarius uidetur insistere uirtuti, quod statuit ut ea quae intus sunt hospitibus hilari modestia apponantur,

quodque domi non est et habet uicinus, ematur.

Crediderim satius esse et perfectius ut se ipsam paululum uirtus soluat modesteque desipiat; nam et in loco desipere, ut ait ethnicus, interdum dulce est et tam uirtuti con-

2 Neocesariensis S : Gneocesariensi M 13 aponantur S 16 karitati S 18 hylari M aponantur S 21 desiperere S

5, 6 *beatus Benedictus* etc.: v. S. Benedicti Reg. c. 53. 8 *in libro consuetudinum Cisterciensium*: Inter Statuta Ord. Cisterc. a. 1152 edita (ap. Holsten. *Cod. Reg. Monast.* ii. 398) legitur: *Statuimus itaque ut nulli Abbati vel Monacho vel Converso ordinis nostri, vel in Refectorio, vel in Hospitio, vel in Grangia, vel ubicumque nos nobis escas ministramus, amplius quam tria pulmentaria demus; sed neque Hospitibus aliis nisi forte adsit aliquis Episcoporum vel Principum.* Districtius tamen Statuta a. 1256–7 edita (ed. Fowler, Lond. 1890, p. 93): *Episcopis vel aliis personis quae non sunt de ordine nostro inter septa Abbatiae et in domibus contiguis carnes nullatenus ministrentur uel comedi permittantur nisi grauiter infirmentur.* 14 *et ipsa ieiunia* etc.: S. Benedictus loc. supra cit.: *Ieiunium a priore frangatur propter hospitem, nisi forte praecipuus sit dies ieiunii, qui non possit uiolari.* 16 *Ethnicus*: Fortasse ad Iuv. *Sat.* xi. 56 seqq. respicit; eiusdem enim verba quae mox citat ad hospitalitatem non spectant. 19 *quodque* etc.: Iuv. *Sat.* vi. 152. 21 *in loco* etc.: Hor. *Carm.* iv. 12. 28; v. supra ad vi. 19 (617 B).

sentaneum quam humanitati. Augustinus quoque et **d** Ieronimus ad hanc rem pertinentia multa proponunt. Sed et beatus Gregorius electionem cuiusdam quasi auari reprobat, eo quod audierat ipsum ad caritatem domi suae exercendam neminem inuitasse; nec tamen crediderim quod tantus pater luxuriosum conuiuium uellet instrui inuitatis. Quis ergo ambigit auaritiam posse frugaliter declinari? Aut quis audebit Abraham Loth Thobiam et Iob auaritiae nota respergere? Beati Iob descriptionem audisti. Nunc, si uis, audi quomodo Marcus Celius describit Antonium: Ingredientes, inquit, ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis praecordiis stertentem, ructuosos spiritus geminare, praeclarasque contubernales ab omnibus spondis transuersas incubare et reliquas circum- **768 a** iacere passim; exanimatae terrore ab hostium aduentu percepto excitare Antonium conabantur; nomen inclamabant, frustra ceruicibus tollebant, blandius aliae ad aurem, aliae uehementius inuocabant, nonnullae etiam feriebant. Quarum cum omnium uocem tactumque nosceret, proximae cuiusque collum amplexu petebat neque dormire excitatus neque uigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus centurionum concubinarumque iactabatur. Haec quidem aut uera fuerunt aut uerisimilia. Nichil enim hiis neque credibilius fingi neque uehementius exprobrari neque manifestius ostendi potuit. In summa ergo aut uirtuti insistendum est aut de gloria desperandum; gloria siquidem aliunde non prouenit.

4 ipsum] eum M 8 abram C^1M: abraam C^2A tobiam A 13 germinare CBA 21 semisompno ASM 23 his A 24 exprobrari *Quintil.*: exprobari CBASM

1 *Augustinus*: v. Aug. *Serm.* clxxix. 3, ccxxxvi. 3 (Migne *P. L.* xxxviii. 967 seq., 1121). 2 *Ieronimus*: v. Hieron. *adv. Rufin.* ii. 17 *Comm. in Tit.* i. 8, 9 (Migne *P. L.* xxiii. 469, xxvi. 568). 3 *beatus Gregorius* etc.: v. Greg. M. *Epp.* xiv. 11 (Migne *P. L.* lxxvii. 1313, 1314). 8 *Abraham* etc.: v. supra. 10 *quomodo* etc. usque ad *potuit*: v. Quintil. *Inst. Or.* iv. 2 §§ 123, 124 *qualis est illa M. Caeli in Antonium descriptio: Namque ipsum offendunt* etc., ut in textu. 15 *exanimatae*: *quae tamen exanimatae* Quintil. *ab*: deest apud Quintil. 22 *Haec* etc. usque ad *uerisimilia*: non habet Quintilianus.

b Cap. 14. *Quod nichil ad gloriam fructuosius est laude et fauore bonorum et maxime scriptorum; et quod turpium familiaritas non tam prodest quam obest; et quod uno bene facto uel dicto gloria propagatur.*

Interest sane inter cupiditatem gloriae humanae et cupiditatis ardorem. Nam, licet procliues sint ut qui humana gloria nimium delectantur, etiam dominari ardenter affectent, tamen qui ueram, licet humanarum laudum, gloriam concupiscunt, dant operam bene iudicantibus non displicere. Refert enim plurimum quis cui et unde placeat. Nec est ab eo laudari gloriosum cuius familiaritas ignominiam redolet. Laus unius studiosi multis profecit et suffecit ad gloriam; et multorum saepe commendatio in-
c famiam peperit. In rethoricis locus est celebris a conuictu, morumque similitudinem indicat, et ab ea amicitiae et commendationis manare originem saepe proditum est. Nolo, inquit sapiens, ab his laudari quorum laus uituperium est, nec ab his culpari uereor quorum criminatio laus est. Cum ergo histriones, mimi, parasiti et huiusmodi ineptiae hominum, ni cui indice uita laudabilium, probent, nonne perspicuae desipientiae est illorum, ut quis fulgeat, aucupari fauorem qui sordibus obsiti sunt et quorum gratia nisi per turpia adquiri non potest? Huiusmod monstris hominum amplissimum patrimonium Pompeii et fere totius orbis opes contulit Marcus Antonius; et tamen eorum praeconiis non clarescit, sed eo sordidior occurrit
d posteritati. Si unius sapientis, si scriptoris egregii gratiam

17 hiis S 21 disipientie B 27 scriptores CBA¹M eggregii C

5 *Interest* etc.: Aug. *de C. D.* v. 19. 6 *procliues sint*: *procliue sit* Aug. 7 *delectantur*: *delectatur* Aug. 8 *affectent*: *affectet* Aug. 12 *studiosi*: i. e. *σπουδαίον*, quod vocabulum ita reddunt Iustinianus (ut ait G. I. Vossius *de Vitiis Sermonis* i. 33, ed. 1666, p. 154) et veteres Aristotelis interpretes. 14 *a conuictu*: De loco *a uictu* v. Cic. *de Inuent.* i. 25 § 35. 19, 20 *huiusmodi ineptiae hominum*: cf. infra *huiusmodi monstris hominum.* 20 *ni cui* etc.: ut Ciceroni erant Roscius et Aesopus; v. supra c. 12 (759 B). 24 *monstris hominum*: v. Ter. *Eun.* iv. 4. 29; cf. supra c. 12 (758 A). *Pompeii*: cuius bonorum sector fuit M. Antonius, ut ait Florus ii. 18 (iv. 8) § 5.

meruisset, aliquid celebre illius manasset ad posteros. Virgilius Marcelli citra magna uirtutum merita perpetuauit gloriam et, poetica licentia fidem peruertens historiae, Didonem, licet pudicissima fuerit, hospitis, quem ex ratione temporum uidere non potuit, incesto amore posteris persuasit fuisse corruptam. Nisus et Eurialus nostram non attigissent etatem, nisi eos obliuioni diuina Maronis carmina subduxissent. Implet adhuc promissi fidem et nomina eorum situ non patitur aboleri:

> Viuite felices; si quid mea carmina possunt,
> nulla dies umquam memori uos eximet euo.

Quid est ergo quod qui scurrarum uiliumque mancipiorum 769 a
ignominiae tanto sumptu conducunt gratiam, honestis uiris peritisque et maxime scriptoribus placere non appetunt? Numquid suas ineptias transmitti nolunt ad posteros? Ignotus esset Lucilius, nisi eum Epistolae Senecae illustrarent. Laudibus Cesareis plus Virgilius et Varus Lucanusque adiecerunt quam immensum illud erarium quo urbem et orbem spoliauit. Nemo prudentiam Itachi aut Pelidae uires agnosset, nisi eas Homerus diuino publicasset ingenio. Vnde nichil michi uidetur consultius uiro ad gloriam properanti fidelium fauore scriptorum. Nichil stultius quam captare Tigellium, qui nec suam potis est redimere famam. Sunt autem multa in moribus bona, de quibus multi bene iudicant, quamuis ea multi non habeant, et quo rariora eo b

---

2 perpetrauit CBA 3 hystoriae M 7 attingissent M marronis C¹BS 9 oboleri S 16, 17 illustrassent A 18 errarium C 19 ythaci M 20 agnoscet S¹M: agnosceret *Cyr.* puplicasset S

---

2 *Virgilius* etc.: v. Verg. *Aen.* vi. 860 seqq. 3 *poetica licentia*: cf. Cic. *de Or.* iii. 38 § 153; Quintil. *Inst. Or.* x. 1 § 28. 4 *Didonem* etc.: v. Macrob. *Sat.* v. 17 §§ 5, 6, et quae de temporis intervallo habent nonnulla exemplaria Servii ad *Aen.* iv. 459. 6 *Nisus et Eurialus*: v. Verg. *Aen.* v. 294 seqq., ix. 176 seqq. 10 *Viuite* etc.: Verg. *Aen.* ix. 446, 447 (*Fortunati ambo, si quid* etc.; *Viuite felices* ex *Aen.* iii. 493). 17 *Varus*: i.e. Varius; v. Hor. *Ep.* i. 16. 27 seqq. cum Scholiis Porphyrionis et Pseudacronis ad loc.; cf. *A.P.* 55, Macrob. *Sat.* vi. 1 §§ 39, 40. 2 §§ 19, 20. 18 *illud erarium* etc.: v. Luc. *Phars.* iii. 114 seqq. 19 *Itachi*: i.e. Ithaci; sc. Vlixis. 23 *Tigellium*: v. Hor. *Sat.* i. 2. 3, 10. 80, 90. 24 *Sunt autem* etc. usque ad *ignotus* (769 D): Aug. *de C. D.* v. 19, quibusdam tamen omissis.

praeclariora sunt. Per ea ergo nituntur quidam ad gloriam, ad imperium, ad dominationem. Quisquis autem sine cupiditate gloriae, qua ueretur homo bene iudicantibus displicere, dominari atque imperare desiderat, etiam per apertissima scelera quaerit plerumque optinere quod diligit. Proinde qui gloriam concupiscit, aut uera uia nititur, aut certe dolis et fallaciis contendit, uolens uideri bonus esse quod non est. Et ideo uirtutes habenti magna uirtus est contempnere gloriam quia contemptus eius in conspectu Dei est, iudicio autem non aperitur humano. In laudatoribus autem suis quamuis paruipendat quod eum laudant, non tamen paruipendit quod amant, nec eos uult fallere
c laudantes, ne decipiat diligentes; ideoque instat ardenter ut potius ille laudetur a quo habet homo quicquid in eo iure laudatur. Qui autem gloriae contemptor dominationis est auidus, bestias superat siue crudelitatis uitiis siue luxuriae. Tales quidem (teste magno patre Augustino) Romani fuerunt. Nam cum eorum uitia percurruntur, gens nulla deterior; cum uirtutes, nulla potior inuenitur. Alias tamen gentes non crudeli dominio sed mansueto subiugauerunt imperio; et quod moderatio adquisiuit, aut crudelitas aut luxuria perdidit. Non enim ⟨cura⟩ existimationis amissa dominationis cupiditate caruerunt. Sed huius uitii summitatem et quasi arcem quandam Nero Cesar primus
d optinuit; cuius tanta fuit luxuries ut nichil ab eo putaretur uirile metuendum, tanta crudelitas ut nichil molle habere crederetur si esset ignotus. Nemo eo gulosior, nemo cantorum et histrionum similiumque magis gaudebat consortio, nemo luxuriosior, siquidem, ut se uendicaret a cultu et liberalitatis imagine, nullam uestem bis induit. Quis tamen adeo perditus est ut ipsum laudet? Demostenes, antequam

1 nittuntur S 6 nittitur S 22 cura *ex Augustini textu supplevi.* 25 obtinuit M putaretur ab eo A[1] 30 ymagine M

18 *Nam, cum eorum* etc. usque ad *perdidit*: non habet Aug. 27 *esset ignotus*: *nesciretur* Aug. 30 *nullam uestem bis induit*: Suet. *Ner.* § 30. 31 *Demostenes*: Haec unde sumpserit Ioannes, nescio; cf. Gell. i. 5 § 1 *Demosthenen traditum est uestitu ceteroque cultu corporis nitido uenustoque nimisque accurato fuisse.*

uirtus eloquii eius innotuisset, cultus operosioris dicitur appetisse nitorem, sciens quia purpura causidicum uendit; at, postquam notitiam et famam assecutus est eloquentiae, toga contentus est, dicens se uelle sibi a se potius quam a nitore uestium aut cultu exquisito constare gloriam.

Omnis Aristippum decuit color et status et res. 770 a
Quolibet indutus celeberrima per loca uadit.

Quem enim proprius attollit honos, uilitas aliena non deprimit. Emendicatum laudis uidetur esse suffragium quod ab extrinsecis pendet. Profecto unius egregiae uirtutis titulo quisque magis clarescit quam splendidissimo luxuriae instrumento et omni lenocinio uanitatis. Cum ergo uirtus omnis a se polleat, iustitia clarius enitescit. Huius rei Temistocles testimonio est et exemplo, qui, cum saluberrimo consilio Athenienses in classem migrare coegisset Xerseque rege et copiis eius Grecia pulsis ruinas patriae in statum pristinum reformaret et opes clandestinis molitionibus ad principatum Greciae capessendum nutriret, b
dixit in contione se habere rem deliberatione sua prouisam quae si sortiretur effectum, nichil maius aut potentius populo Atheniensi futurum asseruit, sed eam uulgari non oportere, postulans aliquem dari cui tacite exponeretur. Ei ergo datus est Aristides uel, ut aliis placet, Aristotiles, etsi supputata ratio temporis indicet Temistoclem et Aristotilem coeuos non fuisse. Is autem, postquam cognouit eum uelle incendere classem Lacedemoniorum, quae subducta erat apud Gittheum, ut ea consumpta dominatio maris ipsis cederet, processit ad ciues et retulit Temistoclem ut utile consilium, ita minime iustum animo uoluere. E uestigio uniuersa contio clamat id quod iniustum est

8 aliena *om.* M 9 esse uidetur A 10 eggregie CB 11 magis *om.* CBASM 19 comitione CBA¹M 27 gitteum AS: gyttheum M 30 iustum est C¹S: iustum non est S *marg.* M

2 *purpura causidicum uendit*: Iuv. *Sat.* vii. 135, 136. 6 *Omnis* etc.: Hor. *Ep.* i. 17. 23, 28. 7 *Quolibet*: *quidlibet* Hor. 9 *Emendicatum* etc.: De *emendicatis suffragiis* cf. Cod. Iustin. ix. 2 § 14. 14 *Temistocles* etc.: v. Val. Max. vi. 5. ext. § 2. 23 *uel* etc. usque ad *fuisse*: Haec interpolavit Ioannes noster.

c minime expedire, eumque iussit desistere ab incepto. Sic ergo edicto ciuium antelata est iustitia prudentiae; immo et non esse prudentiam sed potius calliditatem cui iustitia aduersatur. Zaleucus, urbe Locrensium a se saluberrimis atque utilissimis legibus munita, cum filius eius, adulterii crimine dampnatus, secundum ius ab eo constitutum utroque oculo priuari debuerit, ac tota ciuitas in honorem patris necessitatem penae adolescentulo remitteret, aliquamdiu repugnauit. Ad ultimum populi precibus euictus, prius suo eruto, deinde filii oculo, usum uidendi utrisque reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit aequitatis admirabili temperamento se inter misericordem patrem et
d iustum legislatorem partitus. Nonne memoria talium fidelius mentibus inheret auditorum quam si nebulonum aluissent exercitum aut mutatoria uestium imperitae multitudinis aspectibus ingessissent? Age quid Solonis prudentia meruit? Felicitatis, inquit, index dies ultimus est, et appellationis honorem sapienti confirmat rogus; siquidem rerum initia debentur fortunae, philosophiam solus consecrat finis. Idem: Nichil homini metuendum, nisi ne philosophiam finis excludat. Vnde, cum ex amicis quendam grauiter moerentem uideret, perduxit in arcem hortatusque est ut per omnes subiectorum edificiorum partes oculos circumferret. Deinde: Cogita nunc tecum, inquit, quam multi luctus sub his tectis et olim fuerint et modo
771 a uersentur et in sequentibus seculis sint futuri, et mitte mortalium incommoda tanquam propria deflere, quia, si recte intendas, urbes nichil aliud sunt quam humanarum cladium miseranda consepta. Rex etiam ille subtilis iudicii quem ferunt (auctore Valerio) traditum sibi diadema priusquam capiti imponeret, recentem pannum diu considerasse

4 lodensium BASM 8 adholescentulo A[1]: adulescentulo S 10 utrique C 14 inheret mentibus S 17 index *scripsi*: iudex CBASM 24 Deinde] Demum A[1] 27 incomoda CB

4 *Zaleucus* etc.: Val. Max. vi. 5. ext. § 3. 7 *debuerit*: *deberet* Val. Max. 15 *mutatoria uestium*: cf. 4 Reg. v. 5. 16 *Age quid Solonis* etc.: v. Val. Max. vii. 2. ext. § 2. 20 *Nichil* etc.: Hoc dictum non refert Val. Max. in loc. cit. 21 *Vnde, cum* etc.: v. Val. Max. loc. supra cit. 29 *Rex etiam* etc.: Val. Max. vii. 2. ext. § 5.

atque dixisse: O nobilem magis quam felicem pannum,
quem, si quis penitus cognoscat quam multis sollicitudi-
nibus et periculis et miseriis sit refertus, ne humi quidem
iacentem tol⟨lere ue⟩lit. Aristophanes quoque non oportere
inquit in urbe nutrire leonem; sin autem altus sit, obsequi
ei conuenire. Monet enim ut praecipuae nobilitatis et con-
citati ingenii iuuenes refrenentur; nimio uero fauore ac
profusa indulgentia parci, quo minus potentiam optineant b
ne impediantur quidem, quod stultum et inutile sit eas
obtrectare uires quas ipse foueris. Aristotiles quoque
Calistenem auditorem suum ad Alexandrum mittens horta-
tus est ut cum eo numquam aut iocundissime loqueretur,
quo scilicet apud regias aures uel silentio tutior uel sermone
esset acceptior. At ille, dum Alexandrum Persica salu-
tatione exultantem obiurgat et mores eius studet componere,
uita priuatus est. Idem Aristotiles de semetipso in neutram
partem loquendum esse dicebat, quoniam laudare se uani
et uituperare stulti est. Agesilaus, cum aduersus rem
publicam Lacedemoniorum ortam seditionem de nocte
comperisset, leges Ligurgi continuo abrogauit quae de c
indempnatis supplicium sumi uetabant; comprehensis autem
et interfectis sontibus e uestigio easdem restituit, simul
utrumque prouidens ne salutaris animaduersio uel iniusta
esset uel iure impediretur. Hannibal, nauali praelio uictus,
timens amissae classis penas dare, offensam auertit astutia.
Nam ex illa infelici pugna, priusquam nuntius mali domum
uenerit, unum ex amicis misit Carthaginem. Qui curiam
ingressus statim quaesiuit an cum Romanorum copiis quae
superuenerunt oporteret dimicari. Senatu uero acclamante:

---

4 tollere uelit *Val. Max.*: tollit CBASM 8 quo *Val. Max.*: qua CBASM obtineant BS 22 somptibus S 27 cartaginem SM

---

4 *Aristophanes* etc.: v. Val. Max. vii. 2. ext. § 7. 7 *nimio uero* etc.: Hanc clausulam, qualem codices nostri eam exhibent, vix interpretari poteris; *nimio uero fauore ac profusa indulgentia pasti quo minus potentiam obtineant ne impediantur* Val. Max. 10 *Aristotiles* etc.: v. Val. Max. vii. 2. ext. § 11. 18 *Agesilaus* etc.: v. Val. Max. vii. 2. ext. § 15. 24 *Hannibal* etc.: v. Val. Max. vii. 3. ext. § 7.

Oportet! Dimicauit, inquit nuntius, et superatus est; non relinquens eis liberum ut dampnarent factum quod ipsi
d iudicauerant faciendum. Gorgias Leontinus Ysocratis et complurium magni ingenii uirorum praeceptor ea innocentia uixit ut centesimo et septimo anno interrogatus quare tamdiu in uita uellet manere: Quia nichil, inquit, habeo quod senectutem meam accuset. Hoc credo accidisse ex gratia et multa peritia litterarum, quibus etate sua praestabat adeo ut primus in conuentu poscere ausus sit qua de re quisque audire uellet; unde et ei in templo Delphici Apollinis uniuersa Grecia statuam ex solido auro posuit, cum ceterorum ad id tempus auratas collocasset. Occurrent multa huiusmodi quae laudis uerae poterunt praestare materiam, si quis antiquorum uafre dicta uel facta strategemmata et strategemmatica quoque recenseat.
772 a Ceterum (quia saepe strategemmatum mentio facta est et res nominis non usquequaque cunctis innotuit) Valerius Maximus strategemmata sic diffinit ut dicat quia eius pars calliditatis egregia et ab omni reprehensione procul remota, cuius opera, quia appellatione uix apte exprimi possunt, Greca pronunciatione strategemmata appellantur. Proprie tamen strategemmata sunt quae ad rem pertinent militarem; nam et ab eo dicuntur stratilates. Quae uero contra propriae appellationis notam ad res alias pertinent (Iulio Frontino teste) strategemmatica appellantur; distat enim strategemmaticum a strategemmate quomodo genus a specie differt. Redit iterum Publius Clodius, ut ipsius

---

2 damnarent CB 4 complurimum S 5 interrogatus anno A^1 18 eius] est A^2S 19 eggregia CB 20 apellatione S 21 apellantur S 24 apellationis S 25 apellantur S 27 differt a specie S

---

3 *Gorgias* etc.: v. Val. Max. viii. 13. ext. § 2. 7 *accuset*: *accusem* Val. Max. 8 *litterarum* etc.: v. Val. Max. viii. 15. ext. § 2. 14, 15 *uafre dicta uel facta*: de quibus Val. Max. vii. 3. 15 *strategemmata*: de quibus idem vii. 4. 18, 19 *pars calliditatis* etc.: Val. Max. vii. 4 init. 23 *stratilates*: cf. supra vi. 1 (590 B) et Ducange sub voc. 25 *Iulio Frontino teste*: v. Frontin. *Strat.* i. praef. 27 *Publius Clodius*: i. e. Publius sive Publilius Syrus; v. Macrob. *Sat.* ii. 7 § 1, ubi *Publii* legisse et de P. Clodio, cuius nomen paulo supra (*ibid.* 6 § 6) scriptum invenit, intellexisse videtur Ioannes; cf. supra c. 11 (751 C), c. 13 (762 B).

pauca subiciam, quorum uel minimum dixisse maius est et fructuosius ad gloriam quam fecisse quod faciunt qui seipsos euiscerant ob inanem laudis amorem. Ait ergo: b

Beneficium accepit dando qui digno dedit.
Feras, non culpes, quod mutari non potest.
Cui plus licet quam par est, plus uult quam licet.
Comes facundus in uia pro uehiculo est.
Frugalitas est miseria rumoris boni.
Heredis fletus sub persona risus est.
Furor fit saepius lata patientia.
Improbe Neptunum accusat qui iterum naufragium fecit.
Nimium altercando ueritas amittitur.
Pars beneficii est quod petitur si cito neges.
Ita amicum habeas ut posse inimicum fieri putes.
Veterem ferendo iniuriam inuitas nouam.
Numquam periculum sine periculo uincitur.
Necesse est ut multos timeat quem multi timent.

Postremo uel tenui uirtutis indicio siue in uerbo siue in opere fama protenditur, et uirtute relicta quantuslibet c sumptus non tam gloriam quam ignominiam parit.

Cap. 15. *Honestatem aut solam aut prae ceteris expetendam et in ea tota liberalitati locum esse praecipuum et e contra auaritiam gloriae plurimum aduersari.*

Sicut autem gloria, quae est, ut Ciceroni placuit, frequens fama cum laude, a radice uirtutis oritur et ipsius lumine dumtaxat illustratur, ita ignominia confusio et si quid aliud decet a uitio trahit originem et prouectum. Siue enim aut sola honestas bonum sit, ut Stoicis quibusdam placet, siue praecipuum et prae ceteris expetendum, sicut

---

3 euicerant CBAS[1] 5 mutari] imitari CBASM potes AM (pot' CB) 10 lesa A[2]: alias lesa *add. man. rec. in* S 27 dedecet M 28 stoycis A

---

4 *Beneficium* etc.: Macrob. *Sat.* ii. 7 § 11 (ex Gell. xvii. 14 § 4). 8 *est miseria*: *miseria est* Macrob.; cf. supra c. 13 (762 B). 10 *saepius lata*: *laesa saepius* Macrob. 11 *Improbe* etc.: cf. supra c. 11 (751 C). *fecit*: *facit* Macrob. 17 *Necesse est* etc.: *Laberianus uersus* ap. Sen. *de Ira* ii. 11 § 3. 24 *gloria* etc.: v. Cic. *de Invent.* ii. 55 § 166. 27, 28 *Siue enim* etc.: v. Cic. *de Off.* iii. 8 § 35.

asserunt Peripathetici, hoc usquequaque indubium est, quia
d nichil expetendorum aduersatur honesto. Laudantur cetera et non insipienter optantur, ut bona ualitudo, clarus sanguis, rerum copia, sed nichil istorum turpem aut inhonestum hominem facit esse laudabilem. Siquidem de ualitudine bona uires, de uiribus temeritas, de temeritate uiolentia, de uiolentia stimulus ultionis, quasi odii et bellorum fax accensa inflammatur, sequiturque iustitiae contemptus, legum praeuaricatio et concussio inquieta publici status. Clarus sanguis elationem parit, potentiam affectat, conculcat inferiores, pares contempnit, superiores habere dedignatur, loquitur grandia, totus tumet alto magnorum sanguine, tamquam fecerit ipse aliquid propter quod
773 a nobilis esse debeat, sui immemor, eorum qui retro esse uidentur obliuiscitur et se in anteriora sine cultu uirtutis ridiculus Trasonis imitator extendit. Inquit ethicus:

Malo pater tibi sit Tersites, dummodo tu sis
Eachidae similis Vulcaniaque arma capessas,
quam te Tersitae similem producat Achilles.

Nolo tamen ut in iniuriam suam dictum noster Simonides opinetur; atauis quidem editus regibus et Capitolinis generosior et Marcellis et omnibus ad podium spectantibus et,

---

1 perypathetici CA: perypatetici B: peripatetici S 8 inflamatur C 18 Eacide M 19 tersiti B 20 in *om.* CBA 21 attauis ASM

---

12 *loquitur grandia*: cf. Dan. vii. 20. *tumet alto* etc.: v. Iuv. *Sat.* viii. 40, 41. 14 *eorum qui retro* etc.: v. Philipp. iii. 13. 16 *Trasonis*: i.e. militis gloriosi in *Eunucho* Terentii, de quo supra saepissime. 17 *Malo pater* etc.: Iuv. *Sat.* viii. 269–271. 20 *noster Simonides*: Incertum est ad quem sub nomine Simonidae (id est, ut videtur, simoniaci; cf. *symonidum secta* in *Flor. Hist.*, ed. Luard ii. p. 27) respicere velit Ioannes. De Nigello episcopo Eliensi cogitare licet; de quo vide Nostri *Epp.* 14, 30, 31, 56, quorum tamen prima et (ut videtur) ultima Theobaldi archiepiscopi nomine missae sunt; cf. J. H. Round *Dict. of Nat. Biog.* xli. 61 seq. Sed nonnulla quae habet Ioannes haud bene ad Nigellum pertinere videntur. 21 *atauis* etc.: v. Hor. *Carm.* i. 1. 1; cf. supra ad vi. 19 (617 B). Hunc versiculum (quem etiam citat Augustinus *de Musica* v. 6 § 12, 13 § 27; Migne *P. L.* xxxii. 1153, 1161) in florum collectione nescio qua legere poterat Ioannes noster. *et Capitolinis* etc.: v. Iuv. *Sat.* ii. 145–147.

quasi a purioribus et felicioribus ouis exclusus eruperit, germanis et uterinis, ut ei attestantur, longe nobilior est. Crediderim facile quicquid sincerum et defecatioris naturae in massa generis eius ab initio extitit in ipsum, ut quasi b gentis suae stella praefulgeat, confluxisse, quod uero feculentius et obscurius resedisse in germanis et uterinis. Letantur tamen, sicut in claritate illius, sic in propria abiectione, ne nobilitate generis, cum res exegerit, ex causa cognationis prohibeantur cum finitimis matrimonio copulari. Cesserunt ergo Simonidae reges et praesides, principes, tribunos, centuriones et primos prouinciarum; sua mediocritate contenti nituntur uirtute sua, nichil in officiis legittimis uile ducunt aut ignominiosum; et culinae, si res exegerit, non dedignantur habere memoriam aut peritiam exercere. Recolunt quia animalia muta non generosa putat quis nisi fortia.

Nempe uolucrem c
sic laudamus equum, facili cui plurima palma
feruet, et exultat rauco uictoria Circo.
Sed uenale pecus Corinthi posteritas et
Hirpini, si rara iugo uictoria sedit.
Dominos pretiis mutare iubentur
exiguis tritoque trahunt epiredia collo.

Siquidem

nobilitas sola est atque unica uirtus.

Ergo generositas et clari sanguinis lumen, etsi ea magnum quid esse per se Simonides glorietur, nichil aliud sunt quam morum manifestatio, gloriosa quidem si boni fuerint, ignominiosa si mali. Hoc tamen unum meo iudicio, quicquid ille sentiat, bonum habet generositas quod necessitatem indicit probitatis. At rerum copia nunc auaritiam accendit, d nunc in exitium et exterminium sui luxuriam instruit. Huius

ingeniosa gula est:

---

13 dicunt M 20 corrinthi B 28 bona CBAM[1]

---

15 *animalia* etc.: v. Iuv. *Sat.* viii. 56–59, 62, 63, 65, 66. 20 *Corinthi*: *Coryphaei* Iuv. 25 *nobilitas* etc.: Iuv. *Sat.* viii. 20. 34 *ingeniosa gula est*: Petron. *Sat.* § 119 *Carm. de bello ciuili* 33.

Haec

ad praedam strepitumque lucri suffragia uertit,

ut sit

uenalis populus, uenalis curia patrum.

Haec uires soluit et utrumque sexum frangit in Venerem, legis et naturae imperio reluctatur. Hanc abrogat extinguit et sepelit; hanc infatuat eneruat et subuertit. Lex ergo ipsi non est, et ei natura fere otiosa et ebria est.

774 a Quaerit se natura nec inuenit. Omnibus ergo
scorta placent fractique enerui corpore gressus
et laxi crines et tot noua nomina uestis
quaeque uirum quaerit.

Sed utinam in hac dominatione luxuriae inueniantur uiri uel mulieribus similes, naturae tamen aut legi obtemperantibus. Ex his patet quia nec ualitudinis nec generositatis nec copiae est laus prima sed uirtutis, cuius haec instrumenta sunt et ideo appetenda. Siquidem non decet naturam, quae uirtutem aut solam aut fecit prae ceteris expetendam, ei non expetenda fecisse instrumenta. In eoque rectius uidentur sentire Peripathetici quod, cum uirtutem suis fateantur ad exercitium agendorum egere instrumentis,
b ipsa quoque instrumenta, etsi propter aliud, fatentur expetenda. Stoicis tamen placet sibi uirtutem sufficere ad beatitudinem; nec ego eos erroris arguo, sed expeditiorem dico per instrumenta uirtutem. Ceterum, ut alias dixisse me memini, cum omnis uirtus gratiosa sit, liberalitas gratissima est, eo quod plurimis prodest; et certe, ubi facultas deest, effundit uiscera, id est proprium largitur affectum. Alioquin quomodo iuxta Apostolum in eo caritas

---

8 fere natura A[1] 20 perypathetici CBA : peripatetici S 23 Sthoicis CB: Stoycis A 29 iuxta apostolum quomodo A[1]

---

2 *ad praedam* etc.: Petron. l. c. 40. 4 *uenalis* etc.: ibid. 41. 5 *frangit in Venerem*: v. ibid. 22. 6 *Hanc*: sc. *legem*. 7 *hanc*: sc. *naturam*. 7, 8 *Lex ergo ipsi non est*: v. Rom. ii. 14. 9 *Quaerit* etc.: Petron. l. c. 24–27. 19 *In eoque* etc.: Peripateticorum et Stoicorum de virtute et beatitudine sententias ex Cicerone et Augustino discere poterat Ioannes. 25 *alias*: v. supra vii. 4. 719 B. 26 *liberalitas* etc.: v. Cic. *de Off.* ii. 18 § 63. 29 *quomodo* etc.: v. 1 Ioann. iii. 17.

manet qui, pulsante necessitate proximi, mentis uiscera claudit? E contra ingratissimum et odiosissimum uitium quod nec effectu prodest aliis nec affectu. Haec est auaritia, latentium indagatrix lucrorum, manifestae praedae auidissima uorago, neque habendi fructu felix et cupiditate quaerendi miserrima. c

Quid non mortalia pectora cogit
auri sacra fames?

Heriphile uiri uitam auro distraxit. Suam Philippo uendidit Grecia libertatem. Et in ipsam Valerius Maximus his exemplis inuehitur. Cum admodum locupleti L. Municio Basilio falsum testamentum quidam in Grecia subiecisset, eiusdemque confirmandi gratia potentissimos ciuitatis nostrae uiros M. Crassum et Quintum Hortensium, quibus Municius ignotus fuerat, tabulis heredis inseruisset, quamquam euidens fraus erat, tamen uterque pecuniae cupidus facinoris alieni munus non repudiauit. Quantam culpam quam leuiter retuli! Lumina curiae, ornamenta fori, quod scelus uendicare debuerant, inhonesti lucri captura inuitati d auctoritatibus suis texerunt. Verum aliquanto maiores uires in Quinto Cassio exhibuit qui in Hispaniam Sillium et Albinum Purnium occidendi sui gratia cum pugionibus deprehensos quinquagies sextertium ab illo, ab hoc sexagies pactus dimisit. Anne dubites, si alterum tantum daretur, iugulum quoque suum aequo animo illis fuisse praebiturum? Ceterum auaritia ante omnes Vitii Septimulii praecordia possedit qui, cum Gaii Gracci familiaris fuisset, caput eius

---

9 Herifile M 11 M̄. C: M. B 18 rettuli A[1] 19 uindicare CBASM 21 v^to CB hispania A 22 purnum A

---

3 *auaritia* etc.: Val. Max. ix. 4. init. 7 *Quid non* etc.: Verg. *Aen.* iii. 56, 57. *cogit*: *cogis* Verg. 9 *Heriphile*: i. e. Eryphile; v. Cic. *de Invent.* i. 50 § 94. *distraxit*: i. e. *vendidit*, ut saepissime apud iuris consultos. *Suam Philippo* etc.: cf. Val. Max. vii. 2. ext. § 10. 11 *Cum admodum* etc.: Val. Max. ix. 4 §§ 1–3, ext. 1. *Municio*: potius *Minucio*. 21 *Hispaniam*: *Hispania* Val. Max. 22 *Albinum Purnium*: *Calpurnium* Val. Max. 24 *Anne*: De lectione ap. Val. Max. v. Kempfii app. crit. in ed. Teubneriana. 26 *Vitii*: *Lucii* Val. Max.

abscidere et per urbem pilo fixum ferre sustinuit quia Opimius consul auro ipsi repensurum edixerat. Sunt qui
775 a tradant liquato plumbo eum cauatam partem capitis, quo ponderosius esset, explesse. Fuerit ille seditiosus, bono perierit exemplo, clientis tamen scelesta fames in has usque iacentis iniurias esurire non debuit. Odiis merita Septimulii auaritia, Tholomei autem regis Ciprorum risu prosequenda. Nam, cum anxiis sordibus magnas opes corripuisset, propterque eas periturum se uideret, et ideo omni pecunia imposita nauibus in altum processisset, ut classe perforata suo arbitrio perirent et hostes praeda carerent, non sustinuit mergere aurum et argentum, sed futurum necis suae praemium domum reuexit. Proculdubio hic non possedit diuitias sed a diuitiis possessus est, titulo rex insulae, animo pecuniae miserabile mancipium. Haec Valerius. Sed possunt etiam nequiora auaritiae inueniri exempla. Siquidem prophetae oculos cupiditas excecauit, et pecunia
b corruptus apostolus Dominum innocentem crucifigendum tradidit manibus impiorum. Potest quidem deturpari uerbis sed non satis, quia deformior est et turpior quam ut ore humano possit exponi. Ideoque autem est auaritia studiosius declinanda, quia tenacius inheret ab imagine utilitatis et perniciosius nocet ab exterminio caritatis. Inde est quod ridiculam et miserandam cum senibus contraxit familiaritatem, ut quo minus egent, auidius concupiscant, et quo rebus sunt citius carituri, eas parcius ministrent utilitati. Nam et manus in iuuentute porrecta ad dandum in senectute contrahitur; et quae in iuuentute contracta est aut numquam aut raro in senibus dilatatur. Cum
c uero eis beneficio naturae libertas uicina immineat, seipsos uano timore miserrimae subiciunt seruituti. Siquidem Diogenes ait: Indigentia naturae fortunam non timet.

---

6 septimuli CBS   7 ptholomei CBAM   17 ececcauit S   22 ymagine M

---

6 *Odiis*: *Odium* Val. Max.   17 *prophetae*: i. e. Balaam; v. Num. xxii–xxiv.   *oculos cupiditas excecauit*: cf. Deut. xvi. 19, Eccli xx. 31.   18 *apostolus*: i. e. Iudas Iscariotes.   32 *Diogenes*: Hoc Diogenis dictum nusquam alibi inveni.

Beatus quoque Ieronimus: Grandis, inquit, exultatio est animae, cum paruo contentus fueris mundum habere sub pedibus, et omnem eius potentiam, epulas libidinosas, et ea propter quae diuitiae comparantur uilibus mutare cibis et grossiori tunica compensare. Haec quidem laudabilia sunt, si non fiant ad famam sed ad conscientiam quae omnia aequanimiter portat. Vt enim ait Xenophon: Conscientia iusti scit maledicta contempnere. Vsus ergo rerum laudabilis aut culpabilis est, rerum dumtaxat indifferentia est. Vnde Diaspenis: Pecunia profuso decus, auaro supplicium est. Fugienda sunt, inquit Macrobius, omnibus d modis et abscidenda igne et ferro totoque artificio separanda languor a corpore, imperitia ab animo, luxuria a uentre, a ciuitate seditio, a domo discordia, et in commune a cunctis rebus intemperantia.

Cap. 16. *De quatuor fluminibus quae de fonte libidinis oriuntur Epicureis faciuntque diluvium quo fere mundus mergatur; et de aquis contrariis, et vestibus Esau.*

Eo quidem haec uniuersa concurrunt ut ostendatur quietum statum in rebus publicis aut priuatis nisi a fonte sapientiae, quicquid sentiat Epicurus, prouenire non posse.

1 est exultatio A 8 contemnere C 16 quattuor AM: iiii S 18 mergitur S *in rubr. cap. praef.*

1 *Grandis* etc.: Hieron. *adv. Iovin.* ii. 11 (Migne *P. L.* xxiii. 301). 7 *Vt enim ait Xenophon* etc.: cf. supra iii. 14. 507 D, et comm. ad loc. 7, 8 *Conscientia iusti*: *conscientia teste* supra iii. 14. 9, 10 *rerum indifferentia est*: i. e. res ipsae neque bonae sunt neque malae; cf. Cic. *de Fin.* iii. 16 § 53, Sen. *Ep.* 82 § 10. 10 *Diaspenis*: Sub hoc nomine quis lateat nescio; forsan *Diogenes*; Woelfflinus (v. infra) conicit *Bias Prieneus*. *Pecunia* etc.: v. Woelfflin. *Caec. Balb.* p. 23 ex cod. Monacensi xii. 1 *Pecunia auaro supplicium est, profuso decus, parricidium proditori*; cf. W. Burley *de Vita et Moribus Philosophorum* (ed. Colon. 1472 fol. 13): (Epimenides) *etiam aiebat*: *Pecunia auaro supplicium est, liberali decus, parricidium proditori.* 11 *Fugienda* etc.: Haec, quae in nostris Macrobii exemplaribus non exstant, ad finem *Sat.* ii. 8 addenda esse disputavit Pontanus. Inveniuntur in pseudo-Senecae libro *de Moribus* inscripto § 144 et ap. Hieron. *Apol. adv. Rufin.* iii. 39 (Migne *P. L.* xxiii. 485) qui *Fuganda* pro *Fugienda* habet et Pythagoricam sententiam esse asseverat; cf. Iamblich. *de Vita Pythag.* c. 7 § 34. Eadem Pythagorae dat W. Burley *de Vita et Moribus Philosophorum* (fol. 17).

Hanc enim esse ortum deliciarum uberrimum superius
776 a dictum est, de quo quatuor uirtutum flumina oriuntur. E diuerso et Epicureorum ortus fontem suum habet libidinem, qui et ipse parturit flumina quae irrigant uniuersam hanc uallem lacrimarum et miseriae, in quam eiectus est exul qui quod libuit quam quod licuit facere praeelegit. Et quidem quasi unus riuus est amor habendi, quo ad sufficientiam rerum copia quaeritur, in quo auaritia laborat praeter licitum possidere uel scire. Alter uero luxuriae lenocinia diffundit et defluit in uarias uoluptates, dum ad tranquillitatis et letitiae gaudia tendens aspirat. Tertius uires colligit, quibus tueatur naturae libertatem et cuiusuis molestiae propulsare possit iniurias, et cum uiribus habun-
b dauerit, prosilit in odibilem tirannidis uenam. Quartus ab appetitu celebritatis et reuerentiae, dum eminentiam quaerit, fallaciter intumescit. Haec sunt quatuor flumina quae infundunt et circumeunt orbem et de fonte peruersae uoluntatis scaturiunt, qui sedem habet in imo et originem contrahit a luto uanitatis. Cum autem excreuerint, diuersos ex se pariunt riuos et quasi intumescentibus aquis diluuii mundum obruunt, animantia perimunt, et sic omnia delent ut terra uideri possit in solitudinem redigenda, nisi quia paucas, id est octo, animas, resurrectionis scilicet filios, domus Domini archa conseruat. Hi sunt utique quos ex omni carne Dominus praeelegit. Verumtamen qui sunt in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.
c Et quidem amor commodi, de quo praedictum est, has quasi mare alterum fundit aquas; et inualescente malitia uelut

15 apetitu S 17 circueunt AS 24 hii S 25 Verumptamen A 27 comodi S

1 *superius*: v. supra vii. 17. 675 A; cf. Greg. M. *Mor.* ii. 49 § 76 in Iob. i. 19 (Migne *P. L.* lxxv. 592). 5 *uallem lacrimarum*: v. Ps. lxxxiii. 7. 23 *paucas* etc.: v. 1 Petr. iii. 20. *resurrectionis filios*: v. Luc. xx. 36. Octonarius numerus apud veteres resurrectionem significavit; v. Ambros. in Luc. vii. 11, Aug. *de Serm. in Monte* c. 12 (Migne *P. L.* xv. 1745, xxxiv. 1235); cf. Hieron. *Dial. adv. Lucif.* 22 (Migne *P. L.* xxiii. 176). 24 *domus Domini archa*: v. Hieron. l. c. 25 *Verumtamen* etc.: Ps. xxxi. 6.

chatharactis celi apertis uarias pluit Dominus in augmentum diluuii delinquendi occasiones, permittens ut subtracta gratia qui in sordibus est sordescat amplius, et quem proprio committit arbitrio quasi ulciscens ferit. Non quod appetitum commodi, si temperatus sit, dicam esse culpabilem, aut copiam rerum sufficientem aut letitiam mentis aut naturalem libertatis amorem aut eminendi meritum ducam in crimine; sed nichil istorum quod pollicetur affert; eo quidem modo quo quaeritur, contrarium potius operatur effectum. Haec autem omnia bona sunt, si eis docente gratia recte filius aduersus carnem luctans et sanguinem et a Patre gaudii et exultationis benedicendus utatur et d
eisdem quasi florido frugifero et iocundo induitur uestimento. Si uero sanguineus fraterque carnalis, contempnens matris gratiae familiaritatem, haec omnia morum indumenta usurpet, nec fragrant nec decent nec pascendo reficiunt. Et hoc est forte quod uestes Esau placuisse scribuntur in Iacob, et eis aut non usus aut odorem suauitatis dedisse patri non scribitur Esau. Nam, dum bonis abutitur sensibus, integris gratus esse non potest. Ergo uana bonorum species nec satiat nec letificat nec liberat nec exaltat. Porro aduersus luxuriam, auaritiam, cenodoxiam quaedam superius dicta sunt; uirium affectatio quodammodo hactenus mansit intacta, quae, etsi libertatis et celsitudinis 777 a
uideatur afferre suffragium, a ueritate utriusque perniciosius abducit errantem. Haec est enim quae perniciosissimam inducit pestem et, tirannidis procurans ortum,

---

1 catharactis C²A : cataractis M : catarectis S 4 quo CBS 5 comodi CS 16 parcendo M 22 *post* auaritiam *add.* et S

---

1 *chatharactis* etc. : v. Gen. vii. 11. 3 *qui in sordibus* etc. : v. Apoc. xxii. 11. 10 *si eis* etc. : Quae sequuntur ad historiam Esau et Iacob Gen. xxvii narratam respiciunt. Secundum hanc interpretationem, Isaac Deum significat, Rebecca autem gratiam; Iacob pro hominibus spiritualibus ponitur, Esau pro carnalibus (cf. Aug. *Serm.* iv. 3, Migne *P. L.* xxxviii. 34); vestes denique filii natu maioris, quibus filium minorem induit Rebecca, pro rebus externis, quae bene utenti bonae, male autem utenti malae evadere solent. 11 *aduersus carnem* etc. : cf. Eph. vi. 12. 23 *superius* : v. supra cc. 2 seqq. 25 *suffragium* : i. e., ut videtur, *opinionem* sive *famam*.

compagem quietis et pacis, qua nichil salubrius est, molitur extinguere. Siquidem haec flumina caritatem extinguunt his quibus uita negatur. In his Tantalus laborat in fabulis citra satietatem, et sermo propheticus degentium in his aquis increpat sitim. Sitientes ergo ad aquas inuitat oppositas, quae a spiritu profluunt, absque commutatione gratis accepturos a gratia uinum et lac. Quare, inquit, appenditis argentum non in panibus, et laborem uestrum non in saturitate? Audite audientes me et comedite
b bonum, et delectabitur in crassitudine anima uestra. Non utique in illa in qua delectationem non habet anima sed caro; in illa in qua recalcitrauit dilectus incrassatus, impinguatus, dilatatus, sed in qua benedicitur filius, ut in rore superuenientis gratiae et pinguedine liberi arbitrii uoluntatem Dei prudenter intelligat, potenter impleat, toleret patienter. Hae itaque impinguantes et dulces aquae sunt et quae alias omnes temperant, quia his salsuginem earum absorbuit lignum crucis et dulcorauit eas, et sapientiae celestis infusio easdem in salutem animarum et satietatem fecit esse potabiles. Hae quoque liberant et totius tirannidis incursum impediunt aut premunt aut puniunt. Non ergo uanae uires sed ueritas liberat in aequitate consistens; et, licet uanitas promittat liberationem, uere liberi nequaquam sunt nisi quos Filius liberauerit.
c Tu naturae gratiae et gloriae distingue libertatem, et inuenies nullam earum de uanitate contingere, nec tibi conditio magis seruilis occurret quam tiranni. Si enim ubi Spiritus Domini ibi libertas, miserrima profecto seruitute deprimitur quem spiritus nequam exagitat.

---

uel -rus
7 accepturos A: accepturus S   14 superuenientes A

---

2 *haec flumina* etc.: v. Cant. viii. 7.   3 *Tantalus*: qui, ut ait Ovidius, *Amor.* ii. 2. 43 *quaerit aquas in aquis et poma fugacia captat.*   5 *Sitientes* etc.: v. Isa. lv. 1, 2.   12 *recalcitrauit* etc.: v. Deut. xxxii. 15.   13, 14 *in rore* etc.: v. Gen. xxvii. 39.   17, 18 *salsuginem* etc.: v. Exod. xv. 25. Lignum quo iniecto dulces fecit aquas Moyses crucem significare docet Aug. *Quaest. in Hept.* ii. 57 (Migne *P. L.* xxxiv. 616).   22 *ueritas liberat*: v. Ioann. viii. 32.   24 *uere liberi* etc.: v. Ioann. viii. 36.   27, 28 *ubi Spiritus* etc.: 2 Cor. iii. 17.   29 *quem spiritus nequam exagitat*: ut Saul qui tyrannus erat; v. 1 Reg. xvi. 14.

Cap. 17. *In quo tirannus a principe differat; et de tirannide sacerdotum; et in quo pastor fur et mercennarius ab invicem differunt.*

In quo princeps differat a tiranno, dum reuolueretur auctore Plutarco Institutio Traiani, superius dictum est et quae principis sint officia aut rei publicae membra diligenter expositum. Vnde facilius et paucioribus poterunt innotescere quae e regione dicenda sunt de tiranno. Est d ergo tirannus, ut eum philosophi depinxerunt, qui uiolenta dominatione populum premit, sicut qui legibus regit princeps est. Porro lex donum Dei est, aequitatis forma, norma iustitiae, diuinae uoluntatis imago, salutis custodia, unio et consolidatio populorum, regula officiorum, exclusio et exterminatio uitiorum, uiolentiae et totius iniuriae pena. Haec autem aut uiolentia aut dolo impugnatur, et quasi aut leonis immanitate uastatur aut draconis supplantatur insidiis. Quocumque autem modo id fiat, planum est gratiam oppugnari et Deum quodammodo prouocari ad praelium. Princeps pugnat pro legibus et populi libertate; tirannus nil actum putat nisi leges euacuet et populum deuocet in seruitutem. Imago quaedam diuinitatis est princeps et 778 a tirannus est aduersariae fortitudinis et Luciferianae prauitatis imago, siquidem illum imitatur qui affectauit sedem ponere ad aquilonem et similis esse Altissimo, bonitate tamen deducta. Si enim bonitati studeret esse conformis, nequaquam potentiae aut sapientiae gloriam praeripere moliretur. Remunerandi tamen auctoritate aspirauit fortasse coaequari. Imago deitatis, princeps amandus uenerandus est et colendus; tirannus, prauitatis imago, plerumque etiam occidendus. Origo tiranni iniquitas est

---

2 in quo] quod S *in rubr. cap. praef.* 5 plutharco C 9 tyrannus A 28 Ymago M 29 tyrannus M

---

5 *superius*: v. supra iv. cc. 1 seqq., v. cc. 6 seqq., vi. cc. 1 seqq. 16 *leonis* etc.: cf. Ps. xc. 13 et Augustini in *Enarrationibus in Psalmos* commentarium (Migne *P. L.* xxxvii. 1168). 20 *nil actum* etc.: v. Iuv. *Sat.* x. 155. 22 *Luciferianae* etc.: v. Isa. xiv. 12–14. 30 *occidendus*: cf. supra iii. 15. De iis qui in medio aevo tyrannos occidendos esse docuerunt v. Gierke *Das deutsche Genossenschaftsrecht* iii. p. 565, n. 130.

et de radice toxicata mala et pestifera germinat et pullulat arbor securi qualibet succidenda. Nisi enim iniquitas et
b iniustitia caritatis exterminatrix tirannidem procurasset, pax secura et quies perpetua in euum populos possedisset, nemoque cogitaret de finibus producendis. Essent etiam, sicut magnus pater testis est Augustinus, ita regna quieta et amica pace gaudentia, sicut in composita ciuitate diuersae familiae aut in eadem familia diuersae personae, aut forte, quod credibilius est, omnino regna non essent quae, sicut ab antiquis liquet historiis, iniquitas per se aut praesumpsit aut extorsit a Domino. Et quidem non soli reges tirannidem exercent; priuatorum plurimi tiranni sunt, dum id uirium quod habent in uetitum efferunt. Nec moueat quod reges tirannis uisus sum sociasse, quia, licet rex dicatur a recto quod principem decet, tamen appellatio eius abusu cadit in tirannum. Inde est illud:

c Quo potuit populus quemquam perducere liber,
ascendi, supraque nichil nisi regna reliqui;

et illud:

Spes michi pacis erit dextram tetigisse tiranni.

Et si officium contra officium et recte uiuendi regulam dici licet, sententia unius omnium aperit officia immo uitia tirannorum. Photinus is est (a quo et ipsi possunt non immerito appellari Photiniani) primus in monstris Pelleae domus, id est inter alia portenta Egipti, immunditia et crude-

---

10 hystoriis M 11 exorsit CBA 11, 12 tyrannidem M 12 tyranni M tiranni plurimi A 14 rex licet M[1] 15 apellatio S *post* abusu *add.* etiam C: *add.* et A 16 tyrannum M 20 tyranni M 24 apellari S 25 egypti B

---

2 *arbor* etc.: cf. Luc. iii. 9, xiii. 7, 9. 3 *exterminatrix*: Hoc vocabulum non exhibent Lexica. 6 *Augustinus*: v. Aug. *de C. D.* iv. 15. 9 *quae, sicut* etc.: De regnorum, quae iniquitas per se praesumpsit, origine Iustinum citat Aug. *de C. D.* iv. 6; de regni Israelitici, quod a Domino extorsit iniquitas, origine v. 1 Reg. viii. 4 seqq. Cf. Gierke op. supra cit. iii. p. 524, n. 16. 14, 15 *rex dicatur a recto*: v. Isid. *Orig.* ix. 4 (Migne *P. L.* lxxxii. 342). 17 *Quo potuit* etc.: Luc. *Phars.* ii. 562, 563. *quemquam*: *ciuem* Luc. 20 *Spes* etc.: Verg. *Aen.* vii. 266 (*Pars mihi* etc.). 23 *Photinus*: i. e. *Pothinus*; v. Luc. *Phars.* viii. 483, x. 95; cf. *Enthet.* 1428, 1429 (995 D). 24, 25 *monstris Pelleae domus*: v. Luc. *Phars.* viii. 474, 475.

litate insignis, qui Pompeium leto dampnare ausus aut potius mores tirannorum sueta praesumptione exprimens ait:

Ius et fas multos faciunt, Tholomee, nocentes. d
Dat penas laudata fides, cum sustinet (inquit)
quos fortuna premit; fatis accede deisque,
et cole felices, miseros fuge. Sidera terra
ut distant, ut flamma mari, sic utile recto.
Sceptrorum uis tota perit, si pendere iusta
incipit, euertitque acies respectus honesti.
Libertas scelerum est quae regna inuisa tuetur,
sublatusque modus gladii. Facere omnia seue
non impune licet, nisi cum facis. Exeat aula
qui uult esse pius; uirtus et summa potestas
non coeunt; semper metuet quem seua pudebunt.

Ergo respectus honesti et iusti minimus aut nullus est in facie tirannorum; et, siue ecclesiastici siue mundani sint, omnia posse uolunt, contempnentes quid potentiam antecedat hanc et sequatur. Vtrisque tamen hoc persuaderi 779 a
uellem, diuinum nondum expirasse iudicium quo primigenis et semini eorum inflictum est; quod, quia noluerunt cum possent, inflictum est, ne possint etiam iustitiae obtemperare cum uolunt. Nam et prouerbio dici solet: Quia qui non uult cum potest, non utique poterit cum uolet. Huius uerbi et magnus Basilius auctor est. Rogatus enim a

---

2 tyrannorum M 3 ptholomee CA 19 exspirasse C 21 optemperare A

---

1 *Pompeium leto dampnare ausus*: v. Luc. *Phars.* viii. 483. 3 *Ius et fas* etc.: Luc. *Phars.* viii 484–495. 9 *acies*: *arces* Luc. 19 *primigenis*: i. e. Adam et Hevae. 24 *Rogatus* etc.: Hanc historiam narrat auctor Vitae S. Basilii Graece scriptae et Amphilochio Iconiensi falso attributae, c. 34 (*Acta SS.* Iun. ii. 944; Migne *Patrol. Graec.* xxix–cccii). Istius Vitae exstant tres interpretationes Latinae saec. xii antiquiores; v. Bollandistarum *Biblioth. hagiogr. Lat.* 153, 154. In versione quam typis commisit Rosweydus et in altera 'quae' (ut ait idem) 'hactenus barbaro et rudi stylo, inserto interprete in Vitis Patrum est divulgata' deest hoc de muliercula capitulum; quod tamen continet ea quae ex cod. Casin. 139 ediderunt monachi Casinenses in *Bibl. Casin.* III., *Floril.* 205–219; cuius tamen verba non refert Ioannes. Aliam interpretationem (si quidem alia a Casinensi vere fuerit) capitulum exhibentem *de scriptura quam mulierculae fecit* Basilius, ex codice Marchianensi vetustissimo se legisse testatur Rosweydus (*Vit. Patr.* p. 128 B; Migne *P. L.* lxxiii. 320) sed non typis commisit; quem codicem inter libros bibliothecae Duacensis, quae libros coenobii Marchianensis accepit, in catalogo numeratum haud inveni.

muliercula ut pro ea principi intercederet et cartam eius accipiens sic scripsit principi: Paupercula haec accessit ad me dicens posse me apud te; si ergo possum, ostende. Et dedit mulieri cartam; quae abiens dedit epistolam principi; legensque eam princeps rescripsit haec: Propter uos, o pater sancte, uolui misereri mulierculae, sed non potui
b pro eo quod tributis subiacet. Sanctus uero rescripsit ei: Siquidem uolens non potuisti, bene utcumque se res habet; si autem potens noluisti, ducet te Christus ad indigentium chorum ut quando uoles non possis. Sed organo suo quae semper electis adest Veritas nequaquam defuit. Nam in breui princeps idem, imperiali indignatione temptatus, ductus est uinctus inter captiuos uel pena sua satisfaciens iniuste oppressis. Oratione tamen Basilii post sextum diem de abductione liberatus est, descendente signo imperiali, sicut uir sanctus optauerat. Itaque et tiranni nomine rex et e conuerso interdum principis nomine tirannus appellatur iuxta illud: Principes tui infideles, socii furum. Et alibi: Principes sacerdotum consilium
c fecerunt ut Iesum dolo tenerent et occiderent; qui utique iusto legis iudicio debuerat liberari. Nam et in sacerdotio inueniuntur quam plures, id tota agentes ambitione et omnibus artibus eius, ut sub praetextu officii suam possint tirannidem exercere. Habet enim et res publica impiorum caput et membra sua, et quasi ciuilibus institutis legittimae rei publicae nititur esse conformis. Caput ergo eius tirannus est imago diaboli; anima heretici scismatici sacrilegi sacerdotes et, ut uerbo Plutarchi utar, praefecti religionis, impugnantes legem Domini; cor consiliarii impii, quasi senatus iniquitatis; oculi, aures, lingua, manus
d inermis, iudices et leges, officiales iniusti; manus armata,

16 obtauerat S 18 apellatur S 25 legitime A 29 religionis] regionum CBASM: religionis *ex lib. v. cap. 2 restitui.*

18 *Principes tui* etc.: Isa. i. 23. 19 *Principes sacerdotum* etc.: Matt. xxvi. 3, 4. 28 *Plutarchi*: sc. in Institutione Traiani; v. supra v. 2 (540 B). Hoc loco codicis archetypi scriptor, Dan. iii. 2, 3 forsan memor, *regionum* pro *religionis* scripsisse videtur.

milites uiolenti, quos Cicero latrones appellat; pedes qui in ipsis humilioribus negotiis praeceptis Domini et legittimis institutis aduersantur. Haec quidem omnia possunt a superioribus facillime comprehendi. Michi uero indignari non debent sacerdotes, si et in eis fatear inueniri posse tirannos. Alioquin quorsum est illud propheticum: Fili hominis, propheta de pastoribus Israel, propheta et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus: Ve pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod egrotum non sanastis, quod fractum est non alligastis, quod abiectum non reduxistis, quod perierat non requisistis sed cum 780 a austeritate imperabatis eis et cum potentia; et dispersae sunt oues meae, eo quod non esset pastor, et factae sunt in deuorationem omnium bestiarum agri et dispersae sunt. Quid sibi aliud adesse docet Ezechielis haec imprecatio et increpatio, nisi pastoribus abesse quae adesse debuerant et adesse quae abesse oportuit? Propterea haec dicit Dominus: Ecce ego ipse super pastores et requiram gregem meum de manu eorum et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum nec pascant amplius pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum et non erit ultra in escam eis. Nonne tirannidem sacerdotii uidetur exprimere manifestam, et uitam illorum depingere qui in b omnibus quae sua sunt quaerunt et quae Iesu Christi sunt post tergum faciunt? Siquidem non meum sed alienum est et profecto intemeratae Veritatis oraculum quo apud familiarem Altissimi inter pastorem mercennarium et

2 legitimis A 7 prophetiza M Israel *om.* CBA prophetiza M 8 israhel A 25 eis in escam S 30 mercennarium pastorem M

1 *quos Cicero* etc.: cf. supra vi. 8 (600 B). 6, 7 *Fili hominis* etc.: Ezech. xxxiv. 2–5. 21 *Ecce ego* etc.: Ezech. xxxiv. 10. 27 *quae sua sunt* etc.: v. Philipp. ii. 21. 29 *oraculum*: v. Ioann. x. 11 seqq. 30 *familiarem Altissimi*: i. e. Ioannem evangelistam; cf. Ioann. xiii. 23.

furem differentia manifesta praescribitur; bonus enim pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Cuius si quaeris officium, apud iam dictum prophetam inuenies: Ecce ego ipse requiram oues meas et uisitabo eas, sicut uisitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum. Educam eas de nube, congregabo de caligine, inducam eas in terram suam et pascam eas in montibus Israel in riuis et in cunctis sedibus terrae; c in pascuis uberrimis, in montibus excelsis erunt pascuae earum, requiescent in herbis uirentibus et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Pascam eas et accubare faciam; quod perierat requiram, quod abiectum erat reducam, quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum erat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam. Haec est enim diligentia qua gregibus debent inuigilare pastores. Quod autem subiungit: Et pascam illas in iudicio et iustitia; ei utique respondet quod praemisit: Sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia. Scriptum est enim quia pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abhominabile est apud Deum. Apud homines tamen qui negotiationem exercent grandis uidetur d esse prudentiae sed tamen illicitae, quae calliditas et dolus est, si alio pondere uel mensura sua distrahant et aliis comparent aliena. At in praelato ratio exigit aequitatis ut quod aliis imponit onus ipse praeferat, et quod docere uoluerit opere studeat adimplere. Hoc est enim in iudicio et iustitia pascere et non in austeritate et potentia imperare. Quod utique faciunt qui humeris hominum alligant onera grauia et importabilia et digito suo ea contingere recusant. Vnde sequitur: Et, cum purissimam aquam biberitis, reli-

---

8 israhel A cuntis A 11 israhel A eos CBA[1] 13 cum fractum S 22 prudentie esse C[1]A[1] 30 biberetis SM

---

4 *Ecce ego* etc.: v. Ezech. xxxiv. 11–16. 16, 17 *Et pascam illas in iudicio*: Ezech. xxxiv. 16. 18 *Sed cum* etc.: Ezech. xxxiv. 4. 19 *pondus* etc.: Prov. xx. 10. 24 *At in praelato* etc. usque ad *recusant*: Haec vocabula in cod. C minio notavit Parkerus. 28 *humeris* etc.: v. Matt. xxiii. 4. 30 *Et, cum purissimam* etc.: Ezech. xxxiv. 18–21.

quam pedibus uestris turbabatis, et oues meae hiis quae conculcata pedibus uestris fuerant pascebantur, et quae pedes uestri turbauerant, haec bibebant. Propterea ecce ipse iudico inter pecus pingue et macilentum pro eo quod 781 a lateribus et humeris impingebatis et cornibus uestris uentilabatis omnia infirma pecora donec dispergerentur foras. Mercennarius autem oues quidem uel specie pascit; sed, quia omnia facit ad pretium, si lupum uideat irruentem, dimittit oues et fugit qui non pastor sed mercennarius est nec quidem ouium sed lucri curam habet, canis utique mutus, latrare non ualens ut uel clamore et tumultu lupum absterreat uenientem; siquidem eum timet qui temporalium dirripit facultatem, et eum non attendit qui animam cruciaturus est in gehenna. Cecus siquidem est ad grandia et quae nullius sunt perhorrescit. De his inquit: Ve prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum et nichil uident; quasi uulpes in desertis prophetae tui, Israel. Non b ascendistis ex aduerso neque opposuistis murum pro domo Israel ut staretis in praelio in die Domini. Nichil enim in eis libertatis est ut mundi potestatibus obloquantur, nichil uirtutis ut ueritatem in periculo tueantur; in omnibus lucrum, in nullis aut paucis quaerunt salutem animarum. Dum in suis optineant, dum ad ambitionis aut auaritiae succedat uotum, eorum quae Ihesu Christi sunt iactura contempnitur. Fiat pax in diebus eorum, sint fetosae oues, boues crassae, promptuaria plena, cibis et uasis onusta mensa in admirationem intuentium splendeat, uariae et pretiosae suppellectilis operosus cultus habundet, honorentur et colantur a turbis, ditentur, uisitentur a subditis in muneribus, sit denique liberum impune et sine nota facere c quicquid libido dictauerit, ad singula dicent: Euge, euge, ut iuxta increpationem propheticam luto absque paleis

---

1 his M 13 diripit BAS 16 secuntur SM 17 israhel A

---

7 *Mercennarius* etc.: v. Ioann. x. 12, 13. 10 *canis* etc.: v. Isa. lvi. 10. 12 *eum timet* etc.: v. Matt. x. 28. 15, 16 *Ve prophetis* etc.: Ezech. xiii. 3–5. 32 *luto absque paleis* etc.: v. Ezech. xiii. 10 seqq.

liuisse peccati indurati parietem uideantur qui praecipiente Domino fuerat fodiendus ut rueret et abhominationes pessimae a domo Domini disperirent. Hi sunt qui consuunt puluillos, sub capite uniuersae etatis ceruicalia supponentes, ut capiant animas, et lac comedant, lanis operiantur ouium quas quasi in somnum negligentiae uel audaciae induxerunt. Fur autem conuincitur ab operibus suis quia non uenit nisi ut furetur et occidat et mactet et perdat. Inimicus utique d perniciosus et apertus qui nec rem pastoris habet nec speciem, et nec ad lucrum pascit sed suum lucrum reputat, etiam cum occidit. Pastori itaque debetur amor, quia diligit; mercennario patientia, quia uidetur amantem imitari; furi uero non debet Ecclesia nisi penam. Si sciret paterfamilias qua hora fur ueniret, uigilaret utique et non sineret perfodi domum suam. Vocem pastoris audiunt oues et sequuntur; uocem mercennarii interdum audiunt, sed eum, quia non uadit ad uitam, sequi contempnunt; uocem furis aspernantur horrent et fugiunt, quia in manu eius uident et in ore audiunt opera mortis; siquidem non modo fur est et latro sed lupus rapax, sequipeda leonis 782 a qui rugiens circuit quaerens quem deuoret. Quis ergo illum non repellat aut saltem fugiat qui ad hoc ouile ingreditur ut mactet et occidat? Si quis, Apostolus inquit, episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sed nescio quo pacto res in contrarium uersa est ut, cum omnes fere desiderent episcopari, cum quod appetunt adepti fuerint, otio marcent; aut, quod turpius est, in uanitatis operibus occupantur. Quanta curratur ambitione uolui quidem superius sed, ut se res habet, plene non potui explanare; et profecto quam inutiliter multi uersentur in gradu optato referre difficilius potero. Vnum tamen scio, quia non ea

2 abominationes A 4 subponentes ASM 8 ut *om.* S 16 secuntur S 23 Apostolus *om.* S 29 res se A

3 *qui consuunt* etc.: v. Ezech. xiii. 18. 5 *lac comedant* etc.: v. Ezech. xxxiv. 3. 7 *Fur autem* etc.: v. Ioann. x. 10. 13 *Si sciret* etc.: Luc. xii. 39. 15 *Vocem pastoris* etc.: v. Ioann. x. 3 seqq. 20 *leonis* etc.: v. 1 Petr. v. 8. 23 *Si quis* etc.: 1 Tim. iii. 1. 27, 28 *marcent, occupantur*; Accuratius scripsisset *marceant, occupentur*. 29 *superius*: v. supra vii. 19.

auiditate currunt ut pro aliis animas ponant qui fortunae munuscula uel, quod rectius dixerim, gratiae Dei temporalia dona, in hunc tamen concessa usum ut promereantur eterna, b recusant in necessitate fratribus erogare. Hanc tamen esse pastoralis officii formam praemonstrauit tam exemplo quam uerbo pastorum princeps. Ergo tanto currentes ambitu mercennarii properant aut fures fieri. Bene tamen agitur cum ouibus quae illius custodiae demandantur qui eas uel ad pretium pascat. Nam et in ipsis mercennariis gradus et differentiae sunt. Laxant quidem omnes retia in capturam; sed hi in capturam animarum et rerum, illi res piscantur dumtaxat, contempto periculo animarum; et saepe turbant omnia, quo piscandi ad uotum uberior succedat occasio. Miraberis uariam supellectilem et Cresi, c ut dicitur, facultates apud eos qui praedicant pauperem Christum et, quia suis non coguntur stipendiis militare, euangelizant ut comedant et euangelistarum stipendiis abutantur. Calicem quidem in quo Ioseph augurari consueuerat in sacci sui ore reuoluunt, sed non descendit in manus. Lingua siquidem sacerdotis calix est eius qui in ueritate est et praefiguratione nominis interpretatur Saluator mundi, institutus ut uaticinetur abscondita, et fidelium mentes potet eo Spiritu quo repleti discipuli uerbum fidei et salutis eructuantes in Iudaea ebrii reputati sunt, dispensantes granum frumenti quod in terram cordis eorum ceciderat et iam in castitate eloquii eorum fructum

---

11 sed hi in capturam *om.* CBA: *habet* A *marg.* hii A *marg.* S
17 euuangelizant A: ewangelizant S euuangelistarum A: ewangelistarum S

---

6 *pastorum princeps*: sc. Christus. 10 *Laxant* etc.: v. Luc. v. 4. 14 *Cresi* etc.: v. Hieron. *Ep.* 127 § 4 (Migne *P. L.* xxii. 1089). 16 *suis non coguntur* etc.: v. 1 Cor. ix. 7. 18 *Calicem* etc.: v. Gen. xliv. 2 seqq. 20 *Lingua siquidem sacerdotis* etc.: v. Ambros. *de Ioseph patriarcha* i. 11 § 64 (Migne *P. L.* xiv. 666), Isid. *Quaest. in Gen.* 30 § 26 (Migne *P. L.* lxxxiii. 275). 21 *praefiguratione* etc.: v. Matt. i. 21. 22 *ut uaticinetur abscondita*: v. Matt. xiii. 35. 23 *discipuli* etc.: v. Act. App. ii. 13 seqq. 24 *uerbum* etc.: v. Ps. xliv. 2. *eructuantes: Eructuavit* pro *eructavit* habet in Ps. xliv. 2 vers. Lat. antiqua; v. Sabatier ad loc. (*Bibl. Sacr. Lat. vers. antiqu.* ii. 91). 25 *granum* etc.: v. Ioann. xii. 24, 25.

d plurimum Domino germinabat. Alii quidem sine Euangelio de Euangelio uiuunt, et bene si uiuunt tantum ut non etiam luxurientur. Hos uix mercennarios dixerim qui non laborant ut manducent sed sine labore non manducare, quod necessitatis est, sed otiari et luxuriari desiderant. Omnibus quidem qui pastoris exercent officium gratia debetur et reuerentia; et qui Christum quacumque ratione annuntiant et lucrum faciunt, cum sua tamen et pro sua utilitate, animarum pastoribus et salutis dispensatoribus aggregentur, sintque amici, sint et uenerabiles, et patrum letentur honore; etsi mercennarii sunt, mercede sua me numquam priuabuntur auctore. Vtinam sit in istis qui uerbum Dei loquatur, qui edificet Ecclesiam Dei uel ad
783 a lucrum. Non inuideo lucro, si opera antecedat. Qui uero sic inhiant lucris ut quae Christi sunt uniuersa contempnant, etsi nec heresin doceant nec contentionibus Ecclesiam scindant, nec pastoris nec mercennarii digni sunt nec honore nec nomine. Non loquor de legatis. Ecclesiam Romanam, quae parens auctore Deo et nutricula fidei et morum est et non potest ab homine iudicari et argui celesti priuilegio munita, relinquo intactam; nec enim credibile est quod ea committere praesumant uel dignentur, quae de iure gentilium in praesidibus prouinciarum et proconsulibus, id est legatis Cesaris, constat esse illicita. Qua uero impudentia hoc attemptare audeat discipulus Crucifixi,
b uicarius Petri, pastor animarum, quod uigente infidelium disciplina uicarius imperatoris sub officio consulis rector corporum praesumere non audebat? Pena repetundarum

1, 2 euuangelio A *bis* 10 agregentur AS 11, 12 nunquam me AS 16 etsi] et sic BAM 21 incredibile CBAS

2 *de Euangelio uiuunt*: v. 1 Cor. ix. 14. 3, 4 *qui non laborant ut manducent*: cf. 2 Thess. iii. 10. 7 *debetur reuerentia*: v. Iuv. *Sat.* xiv. 47. *qui Christum* etc.: v. Philipp. i. 18. 14 *Qui uero* etc. usque ad *nomine* in cod. C minio notavit Parkerus. 20 *non potest ab homine iudicari*: iuxta sententiam eorum qui, ut fertur, ad Marcellinum papam dixerunt *Prima sedes non iudicabitur a quoquam.* De fabula ista, quam refert Nicolaus I papa in epistola ad Michaelem imperatorem a. 865 missa (Migne *P. L.* cxix. 940), v. supra ad vii. 19, 683 D. 21 *relinquo intactam*: minio notavit Parkerus. 24 *constat*: scilicet e *Dig.* i. 16. 6 et 18. 6.

ex superioribus liquet, et tam institutis legum quam historiarum exemplis seculo nostro innotuit, et quod nisi in causa esculenti et poculenti iudici a prouincialibus accipere non licebat, ita tamen ut accepta nequaquam cederent in muneris rationem. Quis ergo credet quod patres ecclesiae, iudices orbis et, ut ita dicam, clarissima lumina mundi diligant munera, sequantur retributiones, prouincias concutiant ut excutiant, loculos exinaniant alienos ut solident suos, uerbis praedicent paupertatem et criminibus ad diuitias properent, bonorum spiritualium dampnent com- c mercia ut cum eis dumtaxat in talibus contrahere liceat, id agentes ut omnibus sint terrori, amentur a nullo, quietem doceant ut faciant rixas, humilitatem indicant et simulent ut uendicent fastum, alienam pulsantes et suam fouentes auaritiam, dictantes largitatem, tenacitati insistentes; et, ut paucis loci huius amfractus et uolumina spatiosa complectar, cum sceleratis et flagitiosis omnibus ponentes portionem aut flagitia uendicantes in solidum, ut uideatur concilium uanitatis, iniqua gerentium sinagoga, ecclesia malignantium, in quorum manibus iniquitates sunt et dextera eorum repleta est muneribus? Absit ut hoc quisquam audeat suspicari; ne cadat in quemquam tantum scelus ut os suum ponat in celum et patrum quae non sunt d uidenda denudet. Omnia eorum alba sunt et decora, nichil in eis est quod canino morsui pateat aut sannam, ut satiricus ait, posticam uereatur. Si tamen quispiam hoc praesumpserit, ei uno ualidissimo respondebitur argu-

1, 2 hystoriarum M 10 damnent CB 16 anfractus AS 19 *post* gerentium *add.* in CBAM synagogas M 24 uidenda *scripsi* : pudenda CBASM 26, 27 hoc quispiam A^1

1 *ex superioribus* : v. supra v. 16. 2, 3 *nisi in causa* etc. : v. *Dig.* i. 18. 18. 6 *clarissima lumina mundi* : v. Verg. *Georg.* i. 5, 6. 7 *diligant* etc. : v. Isa. i. 23. 17 *cum sceleratis* etc. : v. Ps. xlix. 18. 19 *concilium uanitatis* : v. Ps. xxv. 4. *iniqua gerentium sinagoga* : v. Eccli xxi. 10; Graece *συναγωγὴ ἀνόμων*, quae verba (ut etiam *συναγωγὴ ἁμαρτωλῶν* xvi. 7) vertit Vulgatus interpres *synagoga peccantium.* 19, 20 *ecclesia malignantium* : v. Ps. xxv. 5. 20 *in quorum* etc. : v. Ps. xxv. 10. 22 *cadat* etc. : v. Verg. *Ecl.* ix. 17. 23 *os suum* etc. : v. Ps. lxxii. 9. *patrum* etc. : v. Gen. ix. 23. 25 *sannam* etc. : v. Pers. *Sat.* i. 62.

mento, cui resistere et contradicere non audebunt omnes aduersarii nostri. Quo? inquis. Opera, inquam, quae ipsi faciunt, testimonium perhibent de eis. Si locum quaeris, effectum quo de causae sinceritate constet attende; cuius enim opus bonum est, ipsum quoque bonum est. Si auctorem, eum qui ait: A fructibus eorum cognoscetis eos; non enim potest arbor mala fructus bonos facere aut
784 a conuersim arbor bona fructus malos. Possent pro eis, si quis tamen est qui eis censeat detrahendum, plura proponi; sed in defensione eorum hoc unum sufficiat. Constat enim quia Apostolorum oportet adorare uestigia et illos esse ut patres honorandos, colendos ut dominos, qui eorum possident sedem et imitantur uitam. Illos potius haec pagina respicit qui plumis uehuntur pensilibus, in saturitate disputant de ieiuniis, et quod uerbis astruunt operibus destruunt; in curru eunuchi reginae Ethiopum clausis oculis Scripturas locuntur et lectitant, et eum qui sicut ouis ad occisionem ductus est et os suum coram se tondente non aperuit respicere dedignantur aut nequeunt, nec discipulum ueritatis
b interpretem, donec descendant ad aquas quibus mundentur ab operibus mortuis, dignantur colligere. Vtique, licet Scripturarum insideant rotis et pennatorum animalium impetu perferantur, lingua eorum, cum de superioribus disputauerit, terram lingit; nec Scripturas intelligunt, quia cor eorum non aperit scientiarum Dominus qui aperuit, sicut in Actibus Apostolorum scriptum est, cor Lidiae purpurariae ut audiret ea quae dicebantur a Paulo, quae fidelius humili obedientia mandatorum quam disputatione uerbosa Deum timentibus innotescunt. Fur autem quis sit duplici ratione colligitur. Nam ille qui de conuersatione

4 de causae] deesse CBA 17 loquuntur A 30 dupplici M conuersione CB

2 *Opera* etc.: v. Ioann. v. 36. 3 *locum*: De hoc loco cf. Cic. *Top.* 18 § 67. 6 *A fructibus* etc.: Matt. vii. 16, 17. 14 *plumis* etc.: v. Iuv. *Sat.* i. 158, 159. 15, 16 *in curru* etc.: v. Act. App. viii. 27 seqq. 20, 21 *mundentur* etc.: v. Hebr. ix. 14. 22 *Scripturarum* etc.: v. Ezech. i. 5 seqq. cum Greg. M. *Hom. in Ezech.* vii. § 8 (Migne *P. L.* lxxvi. 843, 844). 25 *scientiarum Dominus*: 1 Reg. ii. 3. *qui aperuit* etc.: v. Act. App. xvi. 14.

terrena per superbiae scalam ambitionis et uitiorum gradibus innitentem in ouile ascendit Christo contempto, id est c neglecta recta uia et plana sinuosis amfractibus liminaria suffodit aut parietum iuncturas irrumpit aut per tegulas infusus illabitur, profecto fur est et latro. Qui uero Christo aperiente ostium, id est Ecclesia uocante, ingreditur, et postmodum sub umbra pastoris efficitur persecutor, id est spoliat mactat occidit et perdit, fur indubitatus est. Tu uide in quo gradu ponendi uideantur quibus non sufficit diuini iuris licentia tondere et deuorare pecus nisi secularium legum implorent auxilia et officiales principum facti ea committere non uerentur quae facile alius quilibet publicanus erubescat. Interim uoluptati seruient aut auaritiae, et qui eos elegerunt uel admiserunt in custodiam sui depopulantur et premunt, mortemque eorum desiderant d quos foueri oportebat in carne et spiritu. Tenent profecto memoriter illud propheticum: Ecce constitui te super gentes et regna ut euellas et destruas et disperdas et edifices et plantes. Quae ergo plantata inuenerunt, nituntur auellere, ut edificent sibi domum Domini in muneribus manus aut linguae aut obsequii, aut eos substituant explantatis quos eligit affectio carnis, id est aut genitos a se aut sibi ab aliis carnaliter genitos. Immensum hic aperitur opus et uia calamo dilatatur; sed subsisto, parcens articulis qui publicis aspectibus ingeruntur. Si quis autem hic quippiam dici durius calumpniatur, si ea quae a patribus dicta sunt legerit, michi facile ueniam indulgebit. Si enim 785 a tirannus secularis iure diuino et humano perimitur, quis tirannum in sacerdotio diligendum censeat aut colendum? Quod si istud uidetur acerbum, illum qui non nisi uera loquebatur et dulcia in patrocinium aduoco beatum Gregorium, qui acerbius ista persequitur. Et, ut cetera taceam,

---

3 amfranctibus C: anfractibus A: anfranctibus S 6 hostium S 22 elegit S 27 legent CB[1]

---

2 *in ouile ascendit* etc.: v. Ioann. x. 1. 10, 11 *nisi secularium legum implorent*: minio notavit Parkerus. 17 *Ecce constitui* etc.: Ier. i. 10. 20 *edificent* etc.: v. Is. xlv. 13.

hoc ipsius omnibus notum est, quia scire praelati debent quod, cum ipsi delinquunt, tot mortibus digni sunt quot ad subditos perditionis exempla transmittunt.

Cap. 18. *Ministros Dei esse tirannos; et quid tirannus: et de moribus Gai Caligulae et Neronis nepotis eius et exitu utriusque.*

Ministros Dei tamen tirannos esse non abnego, qui in
b utroque primatu, scilicet animarum et corporum, iusto suo iudicio esse uoluit per quos punirentur mali et corrigerentur et exercerentur boni. Nam et peccata populi faciunt regnare ypocritam et, sicut Regum testatur historia, defectus sacerdotum in populo Dei tirannos induxit. Siquidem primi patres et patriarchae uiuendi ducem optimam naturam secuti sunt. Successerunt duces a Moyse sequentes legem, et iudices qui legis auctoritate regebant populum; et eosdem fuisse legimus sacerdotes. Tandem in furore Domini dati sunt reges, alii quidem boni, alii uero mali. Senuerat enim Samuel et, cum filii eius non ambularent in uiis suis sed auaritiam et immunditias sectarentur, populus, qui fortasse et ipse meruerat ut ei tales
c praeessent sacerdotes, a Deo, quem contempserat, sibi regem extorsit. Electus est ergo Saul, regis tamen iure praedicto, id est qui filios eorum tolleret ut faceret aurigas, et filias ut panificae fierent et focariae, et agros et praedia ut ea pro libito distribueret seruis suis, populumque totum seruitutis premeret iugo. Idem tamen christus Domini dictus est, et tirannidem exercens regium non amisit

---

2 deliquunt S 7 tyrannos M 11 hipocritam A hystoria M 19 inmunditiam A 26 Domini *om.* B 27 tyrannidem M

---

1 *scire* etc.: Greg. M. *Reg. Pastor.* iii. 4 (Migne *P. L.* lxxvii. 54); quem locum citat epistola illa Nicolai I papae ad Lotharium regem quam referunt Anselmus Lucensis *Coll. Canon.* xii. 36 et Gratianus *Decret.* II. xi. 3. c. 3 (Migne *P. L.* cxix. 1150, cxlix. 531, *Corp. Iur. Canon.* ed. Friedb. i. 643). 10 *peccata* etc.: v. Iob xxxiv. 30. 13 *uiuendi ducem* etc.: v. Cic. *de Amicit.* 5 § 19. 16, 17 *in furore* etc.: v. Os. xiii. 11. 18 *Senuerat* etc.: v. 1 Reg. viii. 1 seqq. 26 *Idem* etc.: v. 1 Reg. xii. 3 et alibi.

honorem. Incussit enim Deus timorem omnibus, ut eum
quasi ministrum Domini, cuius quodammodo gestabat
imaginem, uenerarentur. Amplius quidem adiciam; etiam
tyranni gentium reprobati ab eterno ad mortem ministri
Dei sunt et christi Domini appellantur. Vnde propheta; d
Ingredientur portas Babilonis duces, uidelicet Cirus et
Darius; ego enim mandaui sanctificatis meis et uocaui
fortes meos in ira mea et exultantes in gloria mea. Ecce
quia sanctificatos uocat Medos et Persas, non quod sancti
essent, sed Domini aduersus Babilonem implebant uolun-
tatem. Alias quoque: Ecce ego adducam, inquit, Nabu-
godonosor seruum meum, et, quia bene michi seruiuit apud
Tirum, dabo ei Egiptum. Omnis autem potestas bona,
quoniam ab eo est a quo solo omnia et sola sunt bona.
Vtenti tamen interdum bona non est aut patienti sed mala,
licet quod ad uniuersitatem sit bona, illo faciente qui bene
utitur malis nostris. Sicut enim in pictura fuscus aut
niger color aut aliquis alius per se consideratus indecens 786 a
est, et tamen in tota pictura decet; sic per se quaedam
inspecta indecora et mala, relata ad uniuersitatem bona
apparent et pulchra, eo omnia sibi adaptante cuius omnia
opera ualde sunt bona. Ergo et tiranni potestas bona
quidem est, tirannide tamen nichil est peius. Est enim
tirannis a Deo concessae homini potestatis abusus. In hoc
tamen malo multus et magnus est bonorum usus. Patet
ergo non in solis principibus esse tirannidem, sed omnes
esse tirannos qui concessa desuper potestate in subditis
abutuntur. Porro, si potestas accedat sapienti, qui rerum
omnium nouit et habet usum, omnibus bonis grata est
et omnibus utilis. Si uero cadat in insipientem, etsi bonis,
quibus omnia cooperantur in bonum, mala esse non possit, b

---

6 Cyrus M 11 inquid A: inquit adducam C[1] 11, 12 nabu-ghodonosor C 12 seruiuit michi bene S 13 tyrum M egyptum BA: aegyptum M 21 pulcra A

---

5 *christi Domini appellantur*: v. Isa. xlv. 1 de Cyro. 6 *Ingredientur* etc.: v. Isa. xiii. 2, 3. 11 *Ecce ego adducam* etc.: v. Ezech. xxvi. 7, xxix. 18, 19. 21, 22 *cuius omnia opera ualde sunt bona*: v. Gen. i. 31; cf. Aug. *Conf.* vii. 12 (Migne *P. L.* xxxii. 743). 31 *quibus omnia* etc.: v. Rom. viii. 28.

molesta tamen ad modicum temporis est. Nam eam utrisque contingere manifestum est, licet (exigente malitia temporis nostri qui in nos flagellum Domini iugiter prouocamus) malis, id est insipientibus, sepius concedatur. Quid enim in rebus humanis Romano imperio potentius potest ulla memoria recordari? Si temporum series ab urbe condita reuoluatur, illud inueniuntur mali gessisse frequentius. Quis enim Gaio Caligula Augusti tertio successore tetrior aut immanior praeter Neronem, qui antecessores et successores omnes turpitudine uitae et inauditis flagitiis superauit? Hic autem Caligula omnium flagitiosissimus tantum rexit aut potius torsit imperium, ea quidem crude-
c litate ut propriae inuidens felicitati de conditione suorum temporum quereretur eo quod nullis insignirentur calamitatibus publicis. Ille siquidem ortu suo pacauerat secula qui delere uenerat contradictionis et mortis imperium. Licet enim haec immensitas pacis asscriberetur Augusto, Christo tamen potius asscribenda est, qui ciuis Romanus indictione census asscriptus est regnante Augusto. Siquidem euangeliorum et historiarum ueridica relatione constat quia sub eo natus est auctor unicus pacis, Deus homo, uirginis filius Christus, cuius eterna dispositio ad ueram pacem et felicissimi regni beatitudinem conscripsit electos, cuius aduentus multis praenuntiatus est et patefactus
d indiciis. Nam, ut Orosius refert, cum Cesar Iulio interfecto ex Apollonia rediens urbem ingrederetur, hora circiter tertia repente liquido ac puro sereno circulus ad speciem celestis arcus orbem solis ambiit; et hoc octauo Idus Ianuarii die qui dicitur Epiphaniorum creditur accidisse, quo Cesar

20 euuangeliorum A: ewangeliorum S hystoriarum M

11 *omnium flagitiosissimus*: Oros. vii. 5 § 1. 13 *de conditione* etc.: Oros. vii. 5 § 2 ex Suet. *Calig.* 31. De auctoribus quos in his capitulis secutus est Orosius v. Zangemeisteri app. crit. in *Corp. Script. Eccles. Lat.* Vindobonensi tom. v. 15 *Ille*: sc. Christus. *pacauerat secula*: Iani portis ab Augusto per duodecim fere annos clausis; v. Oros. vi. 22 §§ 1 seqq. 18 *qui ciuis* etc.: cf. Oros. vi. 22 §§ 6 seqq. 25 *Nam, ut Orosius* etc.: v. Oros. vi. 20 §§ 1–5.

primum Iani portas sopitis finitisque omnibus bellis ciuilibus clausit et Augusti adeptus est nomen, apicem declarans imperii, ut penes unum doceretur summa rerum et potestatum esse, quam monarchiam nominant Greci. Refert idem historicus quod, cum a Sicilia rediens receptis legionibus a Pompeio et Lepido triginta milia seruorum dominis restituisset et omnia superiora populi debita donanda litterarum etiam monimentis abolitis censuisset, in diebus ipsis fons olei largissimus de taberna meritoria per totum diem 787 a
defluxit, illum utique manifeste adesse imperio nuntians qui seruos diaboli peccatores iusto Dei dominio subdere uenerat et pauperum misereri. Cum ergo a facie Christi silerent omnia et tantas miserationes Altissimi obstupesceret mundus, summa rerum et potestatum in tertium ab Augusto Caligulam cecidit. Cuius ferocia, ut breuibus liqueat, exclamasse fertur: Vtinam populus Romanus unam tantum ceruicem haberet! Et quia hostis deerat, magno et incredibili apparatu profectus est hostem quaerere, otiosisque uiribus Germaniam Galliamque percurrens in ora Occeani circa prospectum Britanniae substitit, Romamque reuersus est, belli deficiente materia et nullo expleto negotio nisi b
quod Belinum Britannorum regis filium, quem pater expulerat, cum paucis in deditionem accepit. Infestissimus quidem Iudeis extitit et sacra Ierosolimorum loca prophanari et statuis repleri iussit et se coli ut Deum. Pilatum Iudeae praesidem tantis coartauit angoribus ut sua se transuerberans manu malorum compendium mortis celeritate quaesierit. Sorores, quas primum stupro polluerat, dampnauit exilio, et post omnes simul exules iussit occidi. Ipse autem a suis protectoribus occisus est. In secreto eius inuenti sunt duo libelli, continentes lectissimorum nomina

---

1 Iani] iam CB 5 istoricus A 13 opstupesceret A 28 *post* quas *add.* kaligula CBASM

---

5 *cum a Sicilia* etc.: v. Oros. vi. 20 § 6. 15 *Cuius ferocia* etc.: v. Oros. vii. 5 §§ 2–10. 22 *Belinum*: *Minocynobelinum* Oros.; *Adminio Cynobellini Britannorum regis filio* Suet. *Calig.* 44; Belinum autem quendam, Brenni Romae expugnatoris fratrem, in Britannia regnavisse ex Galfr. Monumet. *Hist. Reg. Brit.* iii. 1 didicerat Ioannes.

ciuium quos morti destinauerat; eratque alterius inscriptio
gladius, alteri pugio. Archa quoque ingens multiplicium
c uenenorum inuenta est, quibus Claudio Cesare iubente
demersis maria ipsa magno piscium exitio protestante
traduntur infecta. Successit auunculo Caligulae (Claudio
tamen interposito) Nero Cesar; rerum uitiorumque succes-
sor, immo transgressor, petulantiam libidinem luxuriam
auaritiam crudelitatemque scelere quouis exercuit. Teste
namque Orosio percitus petulantia, omnia paene Italiae et
Graeciae theatra perlustrans, assumpto etiam uarii uestitus
dedecore, cericas (id est cornicines) citharistas tragedos et
aurigas saepe uisus est superasse. Libidinibus quoque
tantis exagitatus est ut ne a matre quidem uel sorore
ullaue consanguinitatis reuerentia abstinuisse referatur,
uirum in uxorem duxerit, ipse a uiro ut uxor acceptus sit.
d Luxuriae tam effrenatae fuit ut retibus aureis piscaretur,
purpureis funibus; frigidis et calidis lauaret unguentis;
nullam uestem bis induit, nec umquam minus mille carrucis
confecisse traditur iter. Denique urbis Romae incendium
uoluptatis suae spectaculum fecit; per sex dies septemque
noctes ardens ciuitas regios pauit aspectus. Horrea quadro
structa lapide magnaeque illae ueterum insulae, quas dis-
currens flamma adire non poterat, magnis machinis quondam
ad externa bella praeparatis labefactae atque inflammatae
sunt, ad aditorum mansiones bustorumque diuersoria in-
felici plebe compulsa. Quod ipse ex altissima Mecenatiana
788 a turre prospectans, letusque flammae (ut aiebat) pulchritu-
dine, tragico habitu Heleifeles odam sonat, sacerdotales
hymnos ciuitatis in qua solis splendor colitur decantabat.

9 ithalie S: ithaliae M 10 etiam *om.* S[1] 27 pulcritudine AS 28 helerfeles B 29 himnos AS: ymnos M

5 *Successit* etc.: v. Oros. vii. 7 §§ 1–12. 25 *aditorum mansiones*: *monumentorum* Oros. 28 *Heleifeles* etc.: *Iliadam decantabat* Oros.; *Halosin Ilii decantauit* Suet. (*Ner.* 38). Suspicor in codice aliquo exstitisse (verbis Orosii et Suetonii, ut ita dicam, contaminatis) *halosin iliadam*; hoc autem in id quod hic legimus corruptum esse; tandem *Heleifeles odam*, quasi esset *Heliopolis odam*, de *sacerdotalibus hymnis ciuitatis in qua solis splendor colitur* (cf. Macrob. *Sat.* i. 23 § 10) interpretatum esse aut Ioannem ipsum aut Orosii nescio quem glossatorem quem sub oculis habebat Ioannes.

Auaritiae autem tam praeruptae extitit ut post hoc incendium urbis, quam se Augustus ex lateritia marmoream reddidisse iactauerat, neminem ad reliquias rerum suarum adire permiserit. Cuncta, quae flammae quoquo modo superfuerant, ipse abstulit; centies centena milia sextertium annua a senatu conferri sibi imperauit; plurimos senatorum nulla extante causa bonis priuauit; negotiatorum omnium sub una die, tormentis quoque adhibitis, omnem penitus censum abstorsit. Crudelitatis autem rabie ita effrenatus est ut plurimam senatus partem interficeret, equestrem ordinem pene destitueret. Sed ne parricidiis quidem abstinuit; matrem, fratrem, sororem, uxorem ceterosque b omnes cognatos et propinquos sine hesitatione prostrauit. Auxit hanc molem facinoris eius temeritas impietatis in Deum. Nam primus Romae Christianos suppliciis et mortibus affecit ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit. Ipsumque nomen exstirpare conatus beatissimos Christi apostolos Petrum cruce Paulum gladio interfecit. Mox acerbissime miseram ciuitatem obortae undique oppressere clades. Nam subsequente autumno tanta urbi pestilentia incubuit ut triginta milia funerum in rationem Libicinianae uenirent. Britannica denique clades e uestigio accidit, qua duo praecipua oppida magna ciuium sociorumque clade et cede direpta sunt. Praeterea c in oriente magnis Armeniae prouinciis amissis Romanae legiones sub iugum Particum missae, egreque Siria retenta est. In Asia tres urbes, hoc est Laodicie Ierapolis Colose, terrae motu conciderunt. Haec Orosius fere; cuius uerbis et sensu eo libentius utor quod scio Christianum et magni discipulum Augustini propter religionem fidei nostrae ueritati diligentius institisse. Haec quidem possunt et apud alios historicos inueniri diffusius, qui tirannorum atrocitates et exitus miseros plenius scribunt. Quae si

17 extirpare AS 20 autumpno AM 21 xxx CBASM 22 denique] deinde SM 26 syria M 28 consciderunt A 32 hystoricos M

19 *acerbissime* : *aceruatim* Oros. 22 *Libicinianae* : *Libitinae* Oros. 29 *Christianum* etc.: v. Oros. i. prolog.

quis diligentius recenseri uoluerit, legat ea quae Trogus Pompeius, Iosephus, Egesippus, Suetonius, Quintus Curtius, Cornelius Tacitus, Titus Liuius, Serenus et Tranquillus
d et alii historici, quos enumerare longum est, suis comprehenderunt historiis. Ex quibus facile liquebit quia semper tiranno licuit adulari, licuit eum decipere et honestum fuit occidere, si tamen aliter coherceri non poterat. Non enim de priuatis tirannis agitur sed de his qui rem publicam premunt. Nam priuati legibus publicis, quae constringunt omnium uitas, facile cohercentur; in sacerdotem tamen, etsi tirannum induat, propter reuerentiam sacramenti gladium materialem exercere non licet, nisi forte, cum exauctoratus fuerit, in Ecclesiam Dei cruentam manum extendat; eo quidem perpetuo optinente ut ob eandem causam non consurgat in eum duplex tribulatio. Praeter rem tamen non uidetur, si haec, quae dicta sunt, aliquibus astruamus exemplis.

789 a Cap. 19. *De morte Iulii Cesaris et aliorum gentilium tirannorum.*

Occurrit ergo imprimis domus Cesarea, qua nichil potentius aut gloriosius ulla etate recolit mundus. Siquidem

2 egisippus S 4 hystorici M 5 hystoriis M 18 tyrannorum BS *in rubr. cap. praef.*

1, 2 *Trogus Pompeius*: cuius *Historias Philippicas* in epitomen redegit Iustinus. 2 *Iosephus*: quem interprete Rufino legit Ioannes. *Egesippus*: Ita nuncupata est (perverso Iosephi nomine, ut videtur) vetus ista Iosephi interpretatio abbreviata et augmentata, de qua v. Teuffel *Gesch. der römischen Literatur* ed. 1890 (ii. §§ 433–5, 6, pp. 1110, 1111). *Quintus Curtius*: sc. *Historiarum Alexandri Magni* scriptor. Perperam ex hoc loco collegit S. Dosson (*Étude sur Q. Curce*, p. 364) Ioannem nostrum Q. Curtii libros sub oculis habuisse. 3 *Cornelius Tacitus*: Illius libros quidem Ioanni ignotos esse, nomen autem ex Orosio notum esse credo. *Titus Liuius*: Etiam Livii ipsius libri ad Ioannem non pervenerant; quorum tamen epitomen a Floro factam, forsan praeter illam etiam compendia alia (v. supra ad vi. 15) habuit. *Serenus*: De Sammonico Sereno, quem laudat Macrobius *Sat.* iii. 16 § 6, 9 § 6, cogitare licet: sed suspicor Ioannem, nominibus historicorum quae hic refert ex scriptore nescio quo antiquiore desumptis, etiam haec verba *Serenus et Tranquillus* transcripsisse, quae vice notae nomini Suetonii adscripta essent et ad Isidori *Diff.* i. § 536 (Migne *P. L.* lxxxiii. 64) respicerent. Apud Petrum Blesium, qui in *Ep.* ci. (Migne *P. L.* ccvii. 314) nomina cetera ex hoc loco (ut videtur) citat, desunt *Serenus et Tranquillus.* 5, 6 *quia semper tiranno* etc.: cf. supra iii. 15 (512 c). 14 *non consurgat* etc.: v. Nahum i. 9.

Iulius Cesar primus orbem prudentiae et rei militaris uiribus adquisiuit. Homo perpaucorum et cui nullum expresse similem adhuc edidit natura mortalium. Licet enim Cicero eum alicubi criminetur quod citra omnem utilitatis aut honestatis speciem delectabatur iniuriis, adeo ut eum ipsum peccare iuuaret, idem tamen tantis laudibus eundem effert ut deorum censeat munus ex uirtutibus temperatum Romano indultum imperio, utpote qui nec prosperis extolli nec aduersis frangi nouerit, magnificus sine crudelitate, sine b
temeritate magnanimus. Quamuis enim si alius esset, posset temerarius uideri, Cesar tamen audax uideri non debet, cuius uoluntas deorum aspirante fauore semper infra potestatem fuit. Nemo ferum expertus est Cesarem, nisi superbia rebellaret; prouocatus iniuriis pronus fuit ad ueniam; quos uicit uiribus prudentia antecessit. Excessus eius uidebantur sperare et ad iustitiam aspirare; quod ex eo conici potest quod nullum tempus sibi uoluit esse philosophiae expers. His uidetur Orosius pro parte consentire. Cum enim in Egipto magna pars militum eius cecidisset, et ipse, sicut Lucanus meminit, cogeretur respicere Sceuam qui, singulari uirtute eminens inter Cesarianos, obsedit c

muris calcantem menia Magnum,

insistentium Egiptiorum ui pressus Cesar scapham ascendit, qua mox pondere sequentium grauata et mersa per ducentos passus ad nauem una manu elata, qua cartas tenebat, natando peruenit. Hic tamen, quia rem publicam armis occupauerat, tirannus reputatus est et magna parte senatus consentiente strictis pugionibus occisus in Capitolio. Sed et ibi honestatis memor extitit; ut enim animaduertit se

---

4 eum cicero S 5, 6 ipsum peccare eum A[1] 13 est *om.* S 19 egypto B: aegypto M

---

4 *Cicero* etc.: v. *de Off.* iii. 21 §§ 82–85, ii. 24 § 84. 6 *idem* etc.: Vnde laudes Caesaris quae sequuntur desumpserit Ioannes, equidem nescio. 19 *magna pars* etc.: v. Oros. vi. 15 § 33. 20 *respicere* etc.: v. Luc. *Phars.* x. 543–546. 24 *insistentium* etc.: v. Oros. vi. 15 § 34. 30 *ut enim animaduertit* etc.: v. Suet. *Iul.* 82.

strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit, simul sinistra
manu sinum ad ima deduxit, quo honestius caderet. Suc-
cessor eius Augustus felicissimus omnium se sub intermina-
tione penae dominum est prohibitus appellare et ciuem
d gerens tirannidis rem declinauit et notam. Tiberius autem
a Iulio tertius ueneno obiit; cuius morte ita letatus est
populus ut Terram matrem et Deos Manes orarent ne
mortuo sedem ullam darent nisi inter impios. Et, licet
ueneficium detestabile semper fuerit, uenenum quo ille
extinctus est orbis censuit esse uitale. Signum ueneni
certum habitum est quod cor inter ossa cremati inuentum
est incorruptum. Ea enim rerum estimatur natura ut
tinctum ueneno igne confici nequeat. Tertius tirannus
Gaius Caligula occisus est a domesticis suis. Tiberius
Claudius, quintus a Iulio, etsi tirannidem uitauerit, mani-
festis, ut alter Tiberius, ueneni signis extinctus est. At
Nero sextus a Iulio omnium immanissimus et uilissimus
790 a hunc exitum habuit. Postquam enim, deformitate ueterum
officiorum et angustiis flexurisque uicorum offensus, ut prae-
dictum est, urbem incendit, ab omni populo, sicut Suetonius
Tranquillus refert, desertus est, et cum ingressus in
cubiculum quaereret percussorem et non inueniret, omnes
quippe discesserant: Ergo ego, inquit, nec amicum nec
inimicum habeo? Idem paulo antequam se confoderet
scrobem coram se fieri praecepit ad corporis sui modulum
componique in ea si qua inuenirentur marmoris frusta et
aquam simul et ligna conferri ad curandum cadauer, flens
ad singula atque itidem dictitans: Qualis artifex pereo!

---

4 prohibitus est SM   15 V^us C   19 uiciorum CBAS¹M

---

2 post *ima* add. *crura* Suet.   3, 4 *se sub interminatione* etc.: v. Suet. *Aug.* 53, Oros. vi. 22 § 4.   6 *ueneno obiit*: cf. Suet. *Tib.* 73, Oros. vii. 4 § 18.   *cuius morte* etc.: v. Suet. *Tib.* 75.   10 *Signum ueneni* etc.: v. Plin. *H. N.* xi. c. 71 § 187.   14 *occisus est a domesticis suis*: v. Oros. vii. 5 § 9.   15, 16 *manifestis* etc.: v. Oros. vii. 6 § 18.   18 *deformitate* etc.: v. Suet. *Ner.* 38.   19 *officiorum*: *aedificiorum* Suet.   19, 20 *ut praedictum est*: v. supra c. 18 (787 D).   20 *ab omni populo* etc.: v. Suet. *Ner.* 40.   21 *cum ingressus* etc.: v. Suet. *Ner.* 47.   25 *scrobem* etc.: v. Suet. *Ner.* 49.

Cum autem audiret se a senatu adiudicatum supplicio, quale id esset interrogauit. Et cum comperisset debere nudi hominis ceruicem furcem inseri, corpus uero uirgis ad b necem caedi, conterritus duos pugiones, quos secum extulerat, arripuit, temptataque utriusque acie rursus condidit causatus nondum esse fatalem horam. Ac modo Sporum hortabatur ut lamentari inciperet, modo orabat ut se aliquis ad mortem coexemplo animaret. Interdum segnitiem suam his uersibus increpabat:

Viuo deformiter, turpius pereo.

Iamque equites appropinquabant quibus praeceptum erat ut uiuum extraherent. Quod ut sensit, ferrum adegit iugulo, in eoque consumpta est omnis familia Cesarum. Et ne in sola illa familia aduersus tirannidem tantum licere legibus quispiam suspicetur, Vitellius nonus a Iulio (Galba et Othone inter Neronem et Vitellium intersertis) turpissime c protractus est a cellula, in quam se contruserat, nudusque deductus per Viam Sacram, passim fimum in os eius coniectantibus aliis, et a populo Romano apud Gemonicas scalas minutissimis ictibus excarnificatus, unco tractus est in Tiberim. Duodecimus Domitianus (Vespasiano et Tito interpositis) post multam et cruentam tyrannidem a suis crudeliter interfectus est. Ex qua causa tamen in Christianos mitius egerit auctore Eusebio Cesariensi paucis aperiam; cuius uerba sunt haec libro tertio capite decimo octauo: Apud ipsum uero Domitianum, cum iussisset omnes perimi qui de genere Dauid et regia stirpe descenderant, sicut uetus habet traditio, delati sunt quidam quasi essent de posteritate Iudae, quem fratrem fuisse Saluatoris d

---

3 ceruici M furcam M 8 exemplo S^1 (9 *add.* S^2): cum exemplo A^2 25 iii CBASM: iii° M 25, 26 xviii CBAS: xviii° M 26 uero ipsum A^1

---

8 *ad mortem coexemplo*: *ad mortem capessendam exemplo* Suet. 16 *turpissime* etc.: v. Oros. vii. 8 § 8. 19 *Gemonicas*: *Gemonias* Oros. 22 *a suis* etc.: v. Oros. vii. 10 § 7. 26 *Apud ipsum* etc.: Euseb. *Hist. Eccles.* iii. 19, 20 sec. vers. Rufini (ed. Mommsen. p. 233). 27 *descenderant*: *descenderent* Ruf.

secundum carnem tradunt. Duplicique urgebantur inuidia ueluti qui ex genere Dauid et ex ipsius Christi propinquitate descenderant. Quae Egesippus per ordinem his uerbis refert: Adhuc autem uiuebant quidam de carnali Domini nostri genere nepotes Iudae eius qui secundum carnem frater Domini dicitur; quos quidam detulerunt tamquam ex Dauid stirpe uenientes. Hos quidam Reuocatus nomine, qui in hoc missus fuerat, perducit ad Domitianum Cesarem. Nam et ipse formidabat de aduentu Christi, sicut et in initio Herodes. Interrogati ergo a Domitiano si essent ex familia Dauid, confessi sunt. Tunc quaesiuit quantis possessionibus uel quantis facultatibus essent praediti. At illi 791 a responderunt quod utrisque non amplius esset in bonis quam nouem milibus denariorum ex quibus singulis media pars pro portione deberetur. Neque haec sibi in pecunia subsistere, sed in estimatione terrae, quae eis esset in quadraginta minus uno iugere constituta, per quam suis eam manibus excolentes uel ipsi alerentur uel tributa dependerent. Simul et testes ruralis et diurni operis manus labore rigidas et calle obduratas praeferebant. Interrogati uero de Christo quale sit regnum eius uel quis ipse aut unde aut quando uenturus, responderunt quod non huius mundi regnum neque huius terrae ei designetur imperium, sed celeste ei per angelorum ministeria praeparetur; quando scilicet aduenturus in gloria de uiuis ac mortuis iudicabit et restituet unicuique b pro factis et meritis suis. Ad haec Domitianus, cum in eis nichil criminis inueniret et uilitatem eorum quam maxime contempneret, abire eos liberos iussit. Haec illi; ex quibus patet quod non ex mansuetudine, quae decet principem, sed fastu impio a nonnullis fidelium crudelitatis suae cohibuit rabiem. Si ergo ad tantam paucitatem et paupertatem genus regale deductum est ut regnante Domitiano de stirpe

---

2 dauid genere S 5 eius iudae M 13 essent AM 14 ix CBAM 14 pars media S 16 xl CBS 26 suis et meritis A 27 uilitatem] utilitatem M 28 contemneret CB

---

1 *Duplicique*: *quique duplici* Ruf. 28 *illi*: sc. Hegesippus et Eusebius.

Dauid uix duo potuerint inueniri, quis sibi in carne et sanguine propagatis perpetuitatem esse confidit? Et, quia Ecclesiam Dei immo et totum imperium lacerauit Domitianus, eodem in se Dei usus iudicio et ipse laceratus est; cuius cadauer populari sandapila per uispilliones exporta- c
tum atque ignominiosissime sepultum est. Successor eius Nerua omnia acta eius reuocauit in irritum et, asscriptus principibus non tirannis, morbo confectus diem obiit, Traiano adoptato in regnum. Qui tanta moderatione successit ut, sicut Augustus felicissimus, ita et iste imperator optimus diutissime habitus sit, et, ut ferunt, apud Seleuciam urbem Isauriae profluuio uentris extinctus est. Ei successit Helius Adrianus, pater patriae, qui rem publicam iustissimis legibus ordinauit et Iudeos scelerum suorum perturbatione exagitatos, ut in Palestinam irruerent, ultima caede perdomuit, ultusque est Christianos, quos illi excruciabant, praecepitque ne cui Iudeo introeundi Ierosolimam esset licentia, Christianis tantum ciuitate permissa, quam d
in optimum statum murorum instructione reparauit praecepitque uocari Heliam de praenomine suo. Antonius cognomento Pius tranquille et sancte gubernauit imperium, succedens Adriano cum liberis suis, et merito pius et pater patriae nominatus est, et intercedente Iustino philosopho se Christianis benignum exhibuit. Marcus Antoninus Verus successor Pii cum Aurelio Comodo fratre suscepit imperium. Aurelius autem casu morbi, quem Graeci apoplexiam uocant, suffocatus interiit; eoque defuncto frater solus rei publicae praefuit, uir quem admirari quam laudare, si Eutropio creditur, facilius est. A principio

---

5 populari *Suet. Oros.*: popularis CBASM 12 ysaurie A 18 permissa ciuitate S

---

5 *cuius cadauer* etc.: Oros. vii. 10 § 7. 7 *omnia acta* etc.: saltem *primo edicto suo cunctos exules revocant*, ut refert Orosius vii. 11 § 2. 10 *ut, sicut Augustus* etc.: v. Eutrop. viii. 5 § 3; cf. supra v. 8 (559 A). 11 *ut ferunt* etc.: Oros. vii. 12 § 8. 13 *Adrianus* etc.: v. Oros. vii. 13. 20 *Antonius*: i. e. *Antoninus*. *Antonius* etc.: v. Oros. vii. 14. 24 *Marcus Antoninus* etc.: v. Oros. vii. 15 §§ 1, 3, 4. 28 *uir quem* etc.: v. Eutrop. viii. 11 § 1.

uitae tranquillus et constans adeo ut ab infantia uultum nec gaudio nec merore mutauerit, philosophiam edoctus
792 a Stoice eique deditus, uita pariter et eruditione philosophus, institutus est ad philosophiam per Apollonium Calcedonium, ad scientiam litterarum Grecarum per Cheronessem Plutarchi nepotem, Latinas autem eum Fronto nobilissimus orator docuit et pro quorundam opinione Plutarchi nepos. Inter cetera bellum gessit quod prae magnitudine Punicis conferri potest. Et, licet orationibus militum Christianorum, sicut idem Imperator litteris suis dicitur attestatus, magna bella confecerit, grauis eorum exarsit persecutio multique sanctorum martirio coronati sunt. Postremo Lucio Comodo filio suo in regnum assumpto in Pannonia
b constitutus repentino morbo interiit. Lucius Antonius Comodus, quintus decimus ab Augusto, per omnia crudelitatis luxuriae et obscenitatis dedecora deprauatus, gladiatoriis quoque armis saepissime depugnauit et in amphitheatro feris sese frequenter obiecit. Interfecit etiam plurimos senatores, maxime quos aduertit nobilitate industriaque excellere. Flagitia regis pena urbis insequitur; nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta flammatio bibliothecam illam maiorum cura studioque compositam edesque alias iuxta sitas rapaci turbine concremauit. Fertur tamen beatus Gregorius bibliothecam combussisse gentilem, quo diuinae paginae gratior esset locus et maior

---

3 stoyce A 4 appollonium B 5 chenoressem M 13 commodo SM asumpto S 15 commodus S 16 dedecore A 18 amphiteatro AS 22 bibliotecam AS: bibliotecham M 24 combusisse M

---

5 *Cheronessem*: *Chaeronensem* Eutrop,; sc. Sextum. 7 *et pro quorundam opinione Plutarchi nepos*: De his verbis, quae non ex Eutropio desumpta sunt, v. supra ad. c. 13 (764 B). 9 *Et, licet* etc.: v. Oros. vii. 15 §§ 4 seqq. 14 *Lucius* etc.: v. Oros. vii. 16 §§ 1–3. *Antonius*: i. e. *Antoninus*. 24 *Fertur* etc.: Haec usque ad *accidisse* minio notavit Parkerus in cod. C. *Fertur tamen* etc.: cf. supra i. 26 (461 A). Hoc, ut iam dictum est, primus scriptorum cuius opera adhuc exstant narrat Ioannes noster. Cf. Gregorii ipsius epistolam notissimam xi. 54 (Migne *P. L.* lxxvii. 1171, 1172; xi. 34 *M. G. H.*, *Epp.* ii. 303) ubi Desiderium episcopum Viennensem, quia eum grammaticam docere fama est, vehementer increpat.

auctoritas et diligentia studiosior. Sed haec sibi nequaquam obuiant, cum diuersis temporibus potuerint accidisse. Comodus autem, cunctis incommodus, in domo Vestaliani c strangulatus est, uiuus ante hostis humani generis iudicatus. Et haec quidem est descriptio tiranni, qua explicatur res quae latet in nomine. Sicut ergo dampnatum hostem licet occidere, sic tirannum. Haec tamen non impediat supputatio ueritatem historiae, quoniam hic Galbae Othonis et similium ratio neglecta est. Nec quis quotus sit imperatorum attenditur, sed quomodo omnium domuerit tirannidem aut represserit clementia Dei, qui pro decreto iustitiae, quando uult, flagellum inducit in delinquentium penam et, quando uult, quos fecit penitentes admittit ad ueniam. Decreueram hic subsistere et ad alias a Romanis transire historias; sed quia in cathalogum imperatorum ille, a quo genti meae nomen est, Seuerus occurrit, qui d aduersus Christi nomen tyrannidem grauem exercuit, illum adhuc solum adiciam, ne Seueriae uel Seresberiae nostrae parcere uidear. Sed profecto hanc prophanam in Christianos et Ecclesiam persecutionem celestis ultio e uestigio prosequuta est. Emerserunt enim continuo bella ciuilia, quibus Romani sanguinis plurimum effusum est. Hic quidem Affer genere, Tripolitanus ab oppido Lepti, natura seuus, multis saepe bellis lacessitus, fortissime quidem rem publicam sed laboriosissime rexit. Congressus est cum multis gentibus ut de multis triumpharet. Pescenninum

---

2 poterint CBA 3 incomodus S vestiliani M 4 uiuus] unius CBAM 6 damnatum CB 7, 8 subputatio A: suputatio S 8 otthonis S 13 penitentes fecit A 15 catalogum A 16 occurit A 20 ecclesiasticam CABM 23 afer CBAM opido S 26 Phescenninum A

---

3 *Comodus* etc.: v. Oros. vii. 16 § 4. *Vestaliani*: *Vestiliani* Oros. 18 *Seueriae*: cf. supra vi. 18 (614 A). Humfredus Lhuyd, nescio an quemquam praeter Ioannem ipsum secutus, in *Comm. Britann. Descript. Fragm.* 1572 p. 15 haec habet: *Et eiusdem maris littus legentes sequuntur Seueriani, nunc Wylshyriensis* (l. *Wylshyrienses*), *quorum ciuitas Caerseuerus, aliis Caer Caradoc dicitur, nunc uero Sarysbury ab Anglis uocitatur.* 19 *hanc prophanam* etc.: v. Oros. vii. 17 §§ 4–6. 22, 23 *Hic quidem* etc.: v. Oros. vii. 17 §§ 1–3, 7, 8. 26 *Pescenninum*: *Pescennium* Oros.

Nigrum ad tirannidem aspirantem uicit et interfecit; Iudeos et Samaritas rebellantes ferro cohercuit; Parthos
793 a Arabas Adiabenosque superauit. Hic est Seuerus gentium uictor, qui in Britannias defectu pene omnium sociorum tractus, magnis ibi grauibusque praeliis saepe gestis, receptam partem insulae a ceteris indomitis gentibus uallo distinguendam putauit. Itaque maximam fossam firmissimumque uallum crebris insuper turribus communitum per centum uiginti duo milia passuum a mari ad mare duxit. Ibique, sicut Orosius et alii historici referunt, apud oppidum Eboracum morbo obiit. Siquidem Britannia uenena semper exhorruit et in principes non nouit sed pro suis principibus inuictos gladios exercere. Praefatum uero oppidum in id uirium et temeritatis temporis processu excreuit ut urbibus antiquis audeat se conferre; hoc ei forte tanti imperatoris contulit sepultura. Ipsum tamen gentilium ritu et infidelium prauitate tirannidem in Chri-
b stianos exercuisse et penas sceleris luisse certum est. Nemo enim a seculo se apostatae angeli egit imaginem, qui dampnationis eius et confusionis non fuerit particeps.

Cap. 20. *Quod auctoritate diuinae paginae licitum et gloriosum est publicos tirannos occidere, si tamen fidelitate non sit tiranno obnoxius interfector aut alias iustitiam aut honestatem non amittat.*

Longum est si gentilium tirannorum ad tempora nostra seriem uoluero trahere; sed unius hoc etatis non memora-

2 coercuit CB 5 ibi magnis A[1] 9 xx duo CBAS: xxii° M 11 opidum S britania M 14 opidum S 20 damnationis CB 21 autoritate A 22 tyrannos BS *in rubr. cap. praef.*

10 *alii historici*: i. e. Eutrop. viii. 19 § 1; cf. Spartian. c. 19, cuius tamen librum habuisse Ioannem nihil indicat. *apud* etc.: Haec verba usque ad *exercere* in cod. C. minio notavit Parkerus. 11 *Siquidem Britannia* etc.: Ita ait de veneficio Franciscus Baconus: *non est nostri generis nec sanguinis*; vide et haec verba et quae sequuntur ap. Spedding *Letters & Life of Bacon*, v. pp. 215, 216. 16 *sepultura*: Seuerum apud Eboracum sepultum esse asserit Radulfus de Diceto (ed. Stubbs i. 68).

bitur homo. Hoc enim mentem effugit et linguam uincit. Libellus tamen qui De Exitu Tirannorum inscriptus est quid de tirannis sentiam plenius poterit aperire, diligenti c tamen compendio, ut nec de prolixitate tedium nec de breuitate obscuritas generetur. Sed, ne Romanae historiae uilescat auctoritas, quae plerumque ab infidelibus et de infidelibus scripta est, hoc diuinae et fidelis historiae comprobetur exemplis. Vndique enim apparet quia, ut ait Valerius, ea demum tuta est potentia quae uiribus suis modum imponit. Et sane nichil tam praeclarum est aut tam magnificum quod non moderatione desideret temperari. Primum ergo tirannum nobis obicit diuina pagina Nembroth robustum contra Dominum uenatorem (quem et Ninum dici nonnullae testantur historiae, etsi ratio temporis non adquiescat), eumque fuisse reprobum superius dictum est. Regnare siquidem uoluit et non a Domino, et sub eo turrem d in celum erigere conata est ceca dispergenda et confundenda mortalitas. Progrediamur ad eum quem populo diuina praefecit electio datumque in reprobam dominandi non regnandi uoluntatem deseruit adeoque afflixit ut urgente doloris angustia mortem sibi cogeretur inferre. Nichil enim aut minimum prodest sana assumptio, si consequens uita dissentit, nec initia rerum apud iudicem optinent, cuius sententia pendet ex fine. Regum et libri Dierum celebris historia est, in qua auctore Ieronimo Israel edocetur sub tirannis ab initio laborasse, et Iuda praeter Dauid

---

7 hystoriae M 15 adquiscat S 24 Regnum CBA

---

2 *Libellus* etc.: Hic libellus aut numquam in lucem prodiit aut omnino amissus est. 9 *ea demum* etc.: Val. Max. iv. 1. ext. 8. 12 *Nembroth* etc.: v. Gen. x. 8, 9. 14 *nonnullae testantur historiae*: ut *Recognitiones S. Clementis*, quas Latine vertit Rufinus, iv. 29 (Migne *Patrol. Graec.* i. 1327). *etsi ratio* etc.: v. Aug. *de C. D.* xvi. 3. 15 *superius*: v. supra i. 4 (394 B). 16 *Regnare* etc.: v. Os. viii. 4. *sub eo turrem* etc.: v. Aug. *de C. D.* xvi. 4. 18 *eum*: sc. Saul. 19 *datumque in reprobam* etc.: cf. Rom. i. 28. 21 *mortem* etc.: v. 1 Reg. xxxi. 4. 24 *Regum* etc.: v. Hieron. *Praef. in Libr. Samuel et Malachim* (Migne *P. L.* xxviii. 553, 554). *libri Dierum*: i. e. libri qui Paralipomena apud Graecos Latinosque dicuntur; v. Hieron. loc. cit. 25 *auctore Ieronimo*: v. Hieron. *in Ierem. xxii.* 14 (Migne *P. L.* xxiv. 811).

Iosiam et Ezechiam reges omnes reprobos habuisse mon-
794 a stratur. Salomonem tamen et forte aliquos aliorum in Iuda conualuisse facile crediderim, Domino reuocante. Michique facile persuadebitur populum durae ceruicis et corde indomabili et qui semper restitit Spiritui sancto et non modo Moysen famulum legis sed Deum dominum legis abhominationibus gentium ad iracundiam prouocauit pro principibus meruisse tirannos. Nam tirannos quos peccata impetrant inducunt et erigunt penitentia delet excludit et perimit. Et quidem ante reges suos, sicut Iudicum narrat historia, seruierunt saepenumero filii Israel sub tirannis, multis et uariis pro dispensatione diuina afflicti temporibus, saepeque sunt clamantes ad Dominum liberati. Licebatque finito tempore dispensationis nece tirannorum excutere iugum de
b ceruicibus suis; nec quisquam eorum, quorum uirtute penitens et humiliatus populus liberabatur, arguitur, sed iocunda posterorum memoria quasi minister Domini memoratur. Quod suppositis liquet exemplis. Seruieruntque filii Israel Eglon regi Moab decem et octo annis; et postea clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem uocabulo Aoth inclitum filium Iera filii Gemini, qui utraque manu utebatur pro dextra. Miseruntque filii Israel per illum munera Eglon regi Moab; qui fecit sibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmae manus et accinctus est eo subter sagum in dextro femore obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon
c crassus nimis. Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios qui cum eo uenerant. Et reuersus est de Galgalis,

6 moisen S 15 quisquam *scripsi*: quemquam CBASM 17, 18 memoratur] honoratur A *marg.* S 18 subpositis S 19 x SM viii CBASM 21 gera SM 22 israhel A 27 ei obtulisset A

2 *Salomonem* etc.: De Salomonis poenitentia cf. Hieron. *in Ezech. xliii.* 10 *seqq.* (Migne *P. L.* xxv. 419). 4 *populum* etc.: v. Exod. xxxii. 9, Ezech. ii. 4, Act. App. vii. 51. 10 *sicut Iudicum narrat historia*: praesertim in capitulo iii. 14 *excutere iugum* etc.: v. Gen. xxvii. 40. 18 *Seruieruntque* etc.: Iudic. iii. 14 seqq. 21 *inclitum*: Hoc vocabulum addidit Ioannes: v. Orig. *in Iud. Hom. iv.* (Migne *Patrol. Graec.* xii. 967) *Aioth qui interpretatur laus*; cf. Hieron. *de Nom. Hebr.* (Migne *P. L.* xxiii. 810).

ubi erant idola, dixitque ad regem: Verbum secretum habeo ad te O rex. Et ille imperauit silentium. Egressisque omnibus qui circa eum erant, ingressus est Aoth ad eum. Sedebat autem in estiuo cenaculo solus. Dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno. Extendit Aoth manum sinistram et tulit sicam de dextro femore suo infixitque eam in uentrem eius tam ualide ut capulus ferrum sequeretur in uulnere ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium sed ita, ut percusserat, reliquit in corpore. Statimque per secreta naturae alui stercora proruperunt. Aoth autem clausis diligentissime ostiis et obfirmatis sera per posticum egressus est. Et alibi: Sisara fugiens peruenit ad tentorium d
Iahel uxoris Abner Cinei. Erat enim pax inter Iabin regem Asor et domum Abner Cinei. Egressa igitur Iahel in occursum Sisarae dixit ad eum: Intra ad me, domine mi, intra, ne timeas. Qui, ingressus tabernaculum eius et opertus ab ea pallio, dixit ad eam: Da michi obsecro paululum aquae quia ualde sitio. Quae aperuit utrem lactis et dedit ei bibere et operuit illum. Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi et, cum uenerit aliquis interrogans te et dicens: Numquid hic est aliquis? respondebis, nullus est. Tulit itaque Iahel uxor Abner clauum tabernaculi, assumens pariter et malleum. Et ingressa abscondite et cum silentio est posuitque supra tempus capitis eius clauum 795 a
percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram. Qui soporem morti socians defecit et mortuus est. Laudemne ergo aut uituperium consecuta est posterorum? Benedicta, inquit Scriptura, inter mulieres Iahel uxor Abner Cinei, et benedicatur in tabernaculo suo. Aquam petenti lac dedit et in fiala principum obtulit butirum. Sinistram manum misit ad clauum et dextram ad fabrorum malleos,

1 ydola CBA 5 trono A 12 hostiis S offirmatis SM 25 timpus C²AB² 32 dexteram B

13 *Sisara* etc.: Iudic. iv. 17 seqq. 14, 15, 23, 29 *Abner*: potius *Aber*. 28, 29 *Benedicta* etc.: Iudic. v. 24 seqq.

percussitque Sisaram quaerens in capite uulneris locum et tempus ualide perforans. Vt autem et ab alia constet historia iustum esse publicos occidi tirannos et populum ad Dei obsequium liberari, ipsi quoque sacerdotes Domini b necem eorum reputant pietatem et, si quid doli uidetur habere imaginem, religione misterii dicunt Domino consecratum. Sic Holofernes non uirtute hostili sed suis uitiis gladio mulieris occubuit et, qui uiris formidabilis fuerat, luxuria et ebrietate uictus, a femina interfectus est. Nec feminae ad tirannum patuisset accessus, nisi hostilem animum pia simulatione texisset. Non est enim dolus qui seruit fidei et militat caritati. Siquidem fidei est quod increpat sacerdotes qui diuinae miserationi praescripserant tempus ex pacto hostibus se dedituri et urbem, nisi infra quinque dies eis Dominus subueniret. Caritatis autem quod nulla formidabat pericula, dum fratres et populum Domini ab hostibus liberaret. Nam et hoc egredientis in c salutem indicant uerba: Fac, inquit, Domine, ut gladio proprio eius superbia amputetur et capiatur laqueo oculorum suorum in me, et percuties eum ex labiis caritatis meae. Da michi in animo constantiam ut contempnam illum et uirtutem ut euertam eum. Erit enim memoriale nominis tui, cum manus feminae deiecerit eum. Vocauit ergo abram suam et descendens in domum suam abstulit a se cilicium et exuit se uestibus uiduitatis, et lauit corpus suum, et unxit se mirra optima, et discriminauit crinem capitis sui, et imposuit mitram super caput suum, et induit se uestibus iocunditatis suae, cingens sandalibus pedes suos, assumpsit- d que dextralia et lilia et inaures et anulos, et omnibus ornamentis suis ornauit se. Contulitque ei splendorem

2 timpus AS^{2}M^2 6 ymaginem M mysterii M 15 v S
16 formidauit S 19, 20 occulorum A^1 21 contemnam CB
25 *post* uiduitatis *add.* sue A 30 hornamentis S hornauit S

7 *Holofernes*: in libro Iudith. 13 *increpat* etc.: v. Iudith viii. 9 seqq. 18 *Fac* etc.: Iudith ix. 12 seqq. 23 *Vocauit* etc.: Iudith x. 2 seqq. 29 *dextralia*: ed. Vulg. hodierna *dextraliola* habet; v. Sabatier ad loc.

Dominus, quoniam omnis ista compositio non ex libidine sed ex uirtute pendebat. Et ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit ut incomparabili decore oculis omnium appareret. Illuc ergo perueniens et publicum captans hostem dixit Iudith Holoferni: Sume uerba ancillae tuae quoniam, si ea secutus fueris, perfectam rem faciet Deus tecum. Viuit enim Nabugodonosor rex terrae, et uiuit uirtus tua quae est in te ad correptionem omnium animarum errantium, quoniam non solum homines sed et bestiae agri seruiunt illi per te et obtemperant ei. Nuntiatur enim uirtus et industria animi tui uniuersis gentibus, et 796 a
indicatum est omni seculo quia tu solus potens es et bonus in omni regno eius, et disciplina tua omnibus gentibus praedicatur. Et adiciens ait: Veniens nuntiabo tibi omnia, ita ut adducam te per mediam Hierusalem et habebis omnem populum Israel sicut oues quibus non est pastor; et non latrabit uel unus canis contra te, quoniam haec mihi dicta sunt per prouidentiam Dei. Quid quaeso insidiosius excogitari, quid captiosius dici potest hac mistici dispensatione consilii? Dixit itaque Holofernes: Non est talis mulier super terram in aspectu et pulchritudine et sensu uerborum. Cor enim eius concussum ardebat in concupiscentia eius. Dixitque: Bibe nunc, et accumbe in iocunditate, quoniam inuenisti gratiam coram me. Ipsa uero, b
quae luxuriari non uenerat, fidei et fortitudinis suae instrumento usa est luxuria aliena. Etiam et crudelitatem, quam semel sopiuit blanditiis, in populi liberatione caritatis armis occidit. Percussit ergo Holofernem in ceruicem et abscidit caput eius et tradidit illud ancillae suae ut poneretur in peram reportandum in urbem, quae salutem fuerat consequuta in manu feminae. Hoc tamen cauendum

---

3 pulcritudinem AS: pulchredinem M 6 sequutus S 10 optemperant AS 12 et bonus es S 21 pulcritudine S 26 Etiam *om.* S

---

5 *Sume* etc.: v. Iudith xi. 4 seqq. 14 *Veniens* etc.: v. Iudith xi. 15. 20 *Non est talis* etc.: Iudith xi. 19. 22 *Cor enim* etc.: v. Iudith xii. 16 seq. 28 *Percussit* etc.: v. Iudith xiii. 10 seq.

docent historiae, ne quis illius moliatur interitum cui fidei aut sacramenti religione tenetur astrictus. Nam et Sedechias ob neglectam fidei religionem legitur captiuatus; et, quod in alio regum Iudae non memini, eruti sunt oculi eius, quia Deum, cui iuratur, etiam cum ex iusta causa
c cauetur tiranno, lapsus in perfidiam non proposuit ante conspectum suum. Sed nec ueneni, licet uideam ab infidelibus aliquando usurpatam, ullo umquam iure indultam lego licentiam. Non quod tirannos de medio tollendos esse non credam sed sine religionis honestatisque dispendio. Nam et Dauid, regum quos legerim optimus, et qui excepto sermone Vriae Ethei in omnibus inculpatus incessit, licet tirannum grauissimum sustineret et eum perdendi saepe nactus fuerit occasionem, ei tamen parcere maluit, confisus de misericordia Dei, qui eum sine peccato poterat liberare. Decreuit ergo expectare patienter ut ille uisitaretur a Do-
d mino reddita caritate aut in praelio caderet aut alias iusto Dei iudicio moreretur. Siquidem uel ex eo potest insigniri patientia eius quod, cum horam clamidis eius praecidisset in spelunca et alibi de noctu castra ingressus custodum negligentiam increpasset, ipsum regem coegit profiteri quia Dauid causam agebat iustiorem. Et hic quidem modus delendi tirannos utilissimus et tutissimus est, si qui premuntur ad patrocinium clementiae Dei humiliati confugiant et puras manus leuantes ad Dominum deuotis precibus flagellum quo affliguntur auertant. Peccata etenim delinquentium uires sunt tirannorum. Vnde Achior dux omnium filiorum Amon saluberrimum hoc consilium dedit
797 a Holoferni: Perquire, inquit, nunc, domine mi, si est aliqua iniquitas populi in conspectu Dei eorum, et ascendamus ad

4 occuli A[1] 14 maluit parcere M 16 patienter expectare C[1]A[1] 19 preacidisset M 23 est et tutissimus M 27 achion CBSM 29 nunc domine mi inquit A[1]: nunc inquit domine mi S

2, 3 *Sedechias* etc.: v. 2 Paralip. xxxvi. 13, 4 Reg. xxiv. 7. 12 *Vriae*: v. 2 Reg. xi. 2 seqq. 13 *tirannum*: sc. Saul; v. 1 Reg. xxiv. 4 seqq., xxvi. 7 seqq. 21, 22 *quia Dauid* etc.: v. 1 Reg. xxiv. 18. 22 *Et hic quidem* etc.: Haec verba usque ad *tirannorum* in cod. C. minio notavit Parkerus. 27 *Achior* etc.: v. Iudith v. 5, 24, 25.

illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi et subiugati erunt sub iugo potentiae tuae. Si autem non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere, quoniam Deus eorum defendet illos et erimus in opprobrium uniuersae terrae.

Cap. 21. *Omnium tirannorum finem esse miseriam; et quod in eos Deus vindictam exercet, si manus cesset humana, et hoc in Iuliano apostata et multis sacrae Scripturae patet exemplis.*

Finis enim tirannorum confusio est; ad interitum quidem, si in malitia perseuerant; si reuocantur, ad ueniam. Nam et ipsi flagello paratur incendium, cum in correctionem filiorum eo fuerit usus Pater. Et inquit: Acab reueritus b est faciem meam; non inducam malum hoc in diebus eius. At Iezabel in seuitia perseuerans condigno crudelitatis exitu sanguinem suum canibus lingendum praebuit in loco ubi sanguinem innocentis Naboth linxerant canes. Quod si ita innocentis Nabuthae sanguis exquiritur, numquid tot innocentum sanguis irrequisitus erit? Vineam iusti concupiuit impietas et in permutationem eius totius regni iura amisit. Punitur autem malitia semper a Domino; sed interdum suo, interdum quasi hominis utitur telo in penam impiorum. Afflixit Pharao populum Dei et ab eodem grauissimis, sicut in Exodo legitur, flagellatus est plagis. Quas breuiter ut fidelius teneantur, metro comprehensas c curaui inserere:

Prima rubens unda, ranae tabesque secunda.
Inde culex tristis, post musca nociuior istis.

---

4 erimusque S obprobrium SM 6 tyrannorum CBS *in rubr. cap. praef.* 12 correctione C²A 17 nabot S 18 Nabuthae innocentis M sanguinis CB 24 est *om.* S

---

13 *Acab* etc.: v. 3 Reg. xxi. 29. 15 *Iezabel* etc.: Memoria fallitur Ioannes, qui poenas quas Achab luisse narratur in uxorem eius Iezabel transtulit; v. 3 Reg. xxi. 19, xxii. 38; de Iezabel v. 3 Reg. xxi. 23, 4 Reg. ix. 36. 23 *Pharao* etc.: v. Exod. vii seqq. 27 *Prima* etc.: De hisce versiculis v. Hauréau *Les mélanges poétiques d'Hildebert de Lavardin* pp. 121, 122. Dubito tamen an, ut vult ille

Quinta pecus strauit, uesicam sexta creauit.
Pone subit grando, post brucus dente nefando.
Nona tegit solem, primam necat ultima prolem.

Nec curo quis uersus fecerit, hoc solum attendens, quia plagas Egipti sub Pharaone satis compendiose comprehendit. In his tamen omnibus non est auersus furor eius a populo Dei, sed egredientem persequens cum curribus et equitibus suis in mari submersus est. Aquis ergo pro muro ad populi defensionem et pro telo ad subuersionem tiranni usus est Dominus. Salmanasar quoque regnante Ezechia premebat
d populum Domini, conuersusque rex in preces aduersus minas tiranni clipeum diuinae protectionis opposuit. Vnde et eum per prophetam confortauit Dominus dicens: Non ingredietur urbem hanc nec mittet in eam sagittam nec occupabit eam clipeus nec circumdabit eam munitio. Per uiam qua uenit reuertetur, et ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Protegamque urbem hanc et saluabo eam propter me et propter Dauid seruum meum. Factum est ergo in nocte illa. Venit angelus Domini et percussit castra Assiriorum centum octoginta quinque milia; cumque diluculo surrexisset, uidit omnia corpora mortuorum et recedens abiit. Et reuersus est Sennacherib rex Assiriorum
798 a et mansit in Niniue. Cumque adoraret in templo Nesarach Deum suum, Adramelech et Sarasar filii eius percusserunt eum gladio fugeruntque in terram Armeniorum; et regnauit Eseradon filius eius pro eo. Nec moueat si alio et alio nomine censeatur in diuersis historiis, quia pro tradi-

2 nephando M 5 egypti M 10 Salmanassar A 20 v S 22 senacherib AM 25 Armeniorum] armeniorum S *marg.* M: assiriorum (*uel* armeniorum) CBS: assiriorum A

vir doctus, Petro Pictori (si quidem a. 1200, ut dicunt, floruit) recte attribui possint, quippe qui Ioanni nostro a. 1153 iam sint noti. Praeter codices MSS. quos enumerat Hauréau, alius saec. xiii scriptus penes me est qui eosdem versus continet et de quo nonnulla in appendice subiunxi. 6 *In his* etc.: Isa. ix. 12. 7 *egredientem* etc.: v. Exod. xiv. 28. 8 *Aquis ergo pro muro*: v. Exod. xiv. 29. 10 *Salmanasar* etc.: v. 4 Reg. xviii. 9 seqq. 11 *conuersusque* etc.: v. 4 Reg. xix. 14 seqq. 13 *prophetam*: sc. Isaiam. 13, 14 *Non ingredietur* etc.: 4 Reg. xix. 32 seqq.

tione Hebreorum, sicut Ieronimus auctor est, idem pentanomius extitit. Dictus est enim Salmanasar et Sennacherib et Phul et Teglad Phalasar et Sargon. Nisi enim polinomius habeatur, historicorum quadam contrarietate dissidentium quandoque uacillabit auctoritas. Hic ergo angelico gladio primum aduersus exercitum usus est Dominus, deinde aduersus impium manibus filiorum. Ipsa quoque natura uindictas stupet interdum Altissimi et hominum prouocante malitia Creatoris sui legibus mirabiliter b adquiescit. Hinc est quod aduersus Dominum Nabugodonosor intumescens exacto septennio bestiam egit et penitens est denuo reuersus in hominem rebus restitutus et regno, licet eo postmodum meruerit misero exitu spoliari. Ad tempora transeo Christiana, quoniam in omni gente et populo manifesta est nequitia tirannorum et euidens pena. Iulianus uilis apostata et sordidus imperator dolo potius quam uiribus persecutus est Christum, nec tamen uiribus temperauit. Nam sub eo grauissima Christianorum exorta est persecutio, dum Galilei, quem dicebat, conatu impio nomen moliebatur extinguere. Verum dum aduersus Parthos infaustam expeditionem ageret et idolis in reditu c suo pro sacrificio cedem deuoueret Christianorum, magni Basilii aliorumque sanctorum precibus misertus est Deus, Mercuriumque martirem destinauit qui tirannum in castris mandato beatae Virginis lancea perforauit morientemque coegit impium confiteri Galileum Christum scilicet, quem persequebatur, esse uictorem et de se triumphasse. Cum enim praefatus episcopus fideles Cesariae in ecclesia perpetuae Virginis genitricis Dei pernoctantes in orationibus collegisset, ipsa nocte beatam Virginem in uisione sanctus

2 senacherib CM 21 ydolis CBM 24 martyrem B destinauit martirem M[1] 30 uisionem A

1, 2 *pentanomius*: quasi πεντώνυμος; v. Hieron. *Comm. in Isa. xxxvi.* 1 (Migne *P. L.* xxiv. 381); cf. *Comm. in Isa. xx.* 1 (ibid. 188). 10 *aduersus Dominum* etc.: v. Dan. iv. 26 seqq. 19 *Galilei quem dicebat*: sc. Christi; v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 47 (Migne *P. L.* lxix. 1062). 20, 21 *Verum dum aduersus Parthos* etc.: v. Oros. vii. 30 § 4. 24 *Mercuriumque martirem* etc.: v. *Vit. S. Basilii* cc. 36, 37 (*Act. SS.* Iun. ii. 944). 29 *Dei pernoctantes* etc.: v. Luc. vi. 12.

agnouit et huiusmodi consolationem accepit: Vocate, inquit
d illa, michi Mercurium, et abibit interficere Iulianum in Filium meum et Deum tumide blasphemantem. Sanctus autem, cum armatura sua adueniens, uelociter abiit et aduocans quae apparuerat magnum Basilium, dedit ei librum habentem in historia omnem mundi facturam dextrorsum uero hominem a Deo plasmatum. In principio autem libri superscriptio erat: Dic. In fine, homine iam plasmato: Parce. Suscipiens itaque librum legit ab initio usque ad Parce. Similem quoque uisionem uidit eadem nocte quaestor Iuliani in expeditione Libanius. Rediens Basilius ad martirium sancti Mercurii nocte ipsa Mercurii arma non repperit, sed die sequenti inuenit eadem et lanceam recenti sanguine cruentatam. Orosius tamen de Mercurio martire non facit mentionem, sed in expeditione
799 a Parthica tirannum refert obuii militis telo esse peremptum. Eutropius quoque, qui Romanam eleganti compendio describit historiam, peremptum fatetur in castris, sed nullum exprimit cedis auctorem; persecutionem tamen, quam eodem auctore in Christianos supra modum exercuit, ei constat plurimum nocuisse. At Historia Tripartita diligentius persequitur flagitia Iuliani et quanta immanitate persecutus sit Christum, quem Galileum nominabat, toto sexto uolumine comprehendit. Ex quibus ad laudem Galilei nonnulla inserui compendiose decerpta ab his quae de eo Socrates Theodoritus et Sozomenus teste Cassiodoro tradiderunt. Iulianus ergo, e regio sanguine oriundus et ex Constantio nepos Constantini Magni, qui Bisantium a suo
b nomine Constantinopolim appellauit, ab initio extitit Christianus, crescensque in auditoriis Constantinopolitanae urbis exercebatur in basilica, ubi doctores erant, habitu priuato procedens. Pedagogum habebat nomine Mar-

6 hystoria M 15 martyre A 16 particha A 18 hystoriam M 27 e] de CS: ergo e *om.* A 28 bizantuim ASM 29 constanopolim C

14 *Orosius* etc.: v. Oros. vii. 30 § 6. 17 *Eutropius* etc.: v. Eutrop. x. 16 §§ 2, 3. 27 *Iulianus* etc.: v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 1 (Migne *P. L.* lxix. 1027 seqq.).

conium, gramaticum Niclodem Laconensem. Rethoricam uero legebat apud Eubolium sophistam iam opera et diligentia magni Basilii Christianum; prouidebat enim imperator ne apud paganum sophistam legens ad impietatis dogmata declinaret. Profecit ergo ut ei fama deferret uires imperii gubernandi. Vnde in suspicionem ductus imperatori, ab urbe regia iussus est abstinere missusque Nicomediam prohibitus est conuenire apud Libanium sophistam Sirum paganumque, qui ibi a pedagogis Con- c stantinopolitanis expulsus morabatur. Vtebatur tamen lectione librorum eius, et, in rethorica proficiens, Maximo philosopho Ephesio, quem postea quasi artes magicas exercentem Valentinianus imperator fecit occidi, familiaris effectus est. Cumque ab eo uerba philosophica praegustasset, coepit eius imitari religionem, magis et magis cupidine succensus imperii. Imperatorem uero timens suspicionemque cauens, tonsus monachicam simulabat uitam, agens proditorem in habitu Christiano, et in ecclesia Nicomediae lector ordinatus sic furorem declinauit imperatoris. In manifesto autem sacros Christianorum legebat libros et latenter exercebatur in philosophia, inualescente semper ambitione imperii; unde et amicis dicebat felicia fore tempora quibus ipse rerum potiretur imperio. Et quidem d manus non euasisset imperatoris, nisi imperatrix Eusebia inueniens latitantem et pro eo intercedens optinuisset ut ad philosophandum mitteretur Athenas. Refert Theodoritus quod exinde discurrens omnem Helladam uates quaerebat, consulens an ad imperium perueniret. Inuentoque uiro qui se potentissimum in magica fateretur, introductus est ab eo in locum idolorum, ut in adito euocatos a mago demones praesens consuleret. Quibus sollemniter apparentibus compulsus est Iulianus frontem suam crucis munire signaculo; 800 a

1 Retoricam S 2 ebolium S[1] 9 syrum M 13 ualentianus CBA 21 exercebatur latenter A philosophia *Cassiod.* : philosophica CBAS : phylosophica M 26 theodoricus B : teodoritus CASM 30 ydolorum CBAM 31 solenniter BM : sollenniter A : sollempniter S : sollemniter C 32 signacula C

1 *Niclodem* : *Nicoclem* Cassiod. 2 *Eubolium* : *Ecebolum* (v. l. *Eubolum*) Cassiod.; Ἐκηβόλιον (= Ἑκηβόλιον) Socr.

quo facto repente demones disparuerunt. Magus itaque coepit culpare Iulianum; at ille, praetendens metum, crucis se dixit obstupuisse uirtutem, eo quod signum hoc demones fugerint. Non suspiceris hoc, bone uir, inquit magus, quia timuerint sicut ais, sed abhominati hoc signum potius abscesserunt. Et ita capiens miserum, odio Christiani signaculi repleuit Iulianum. Post haec, sicut Socrates auctor est, imperator, euocans Iulianum, eum constituit Cesarem, et, data sorore Constantia in uxorem, ipsum contra barbaros destinauit ad Gallias. Successit ergo ei fecitque sibi initium uincendi barbaros, quod amorem suum apud milites
b collocauit. Fertur etiam quod, dum in aliquam ciuitatem fuisset ingressus, corona laurea, quibus solent ornari ciuitates, inter columnas pendens, rupto fune super caput eius decidit eumque aptissime coronauit. Quo facto cuncti clamauerunt quia ei signum foret imperii. Congrediens deinde cum hostibus tanta felicitate prouectus est ut a militibus appellaretur Augustus. Cumque corona deesset imperialis, unus signa portantium torquem, quem habebat, capiti eius circumposuit; et hoc modo factus est imperator Iulianus. Quae uero postea gesserit ille philosophus, iudicent audientes. Nam in ipso principio omnia pro libito disponebat figmentumque Christianae religionis abiecit et
c singularum urbium templa aperiens idolis offerebat, dicens seipsum esse pontificem paganorum. Intestino quoque bello lacerasset imperium, nisi ei degenti in Tracia fuisset mors imperatoris Constantii nuntiata. Vt uero fauorem multitudinis sibi conciliaret, ius sibi praeferendae religionis omnibus indulgebat. Studebat ob hoc omnibus omnia fieri. Hinc uanae gloriae causa largus, hinc affectata simulatione philosophi parcus, hinc a ciuilitate fictitia comis, hinc grauis a mole imperii et, quod maxime erat, ne crudelis haberetur mansuetudinem mentiebatur. Ceterum qualis

5 abominati A pocius signum C[1]A 14 columpnas ASM capud A 19 portantum SM 24 ydolis CB offerrebat CB 25 paganorum pontificem A

29 *omnibus omnia fieri*: v. 1 Cor. ix. 22.

esset religione monstrabat. Episcopos ergo in exilium deportatos iussit euocari et confiscatas eorum sibi reddi substantias. Templa quoque paganorum uelociter suis d necessariis praecepit aperire, et quae eis ablata fuerant incunctanter restituere sanciuit. Palatio expulit eunuchos tonsores et cocos; eunuchos quidem eo quod uxor eius obierat, post quam non duxit aliam; cocos autem quia more philosophi cibis simplicibus utebatur; tonsores quoniam, ut ipse ait, unus sufficit multis. Scriptores plurimum uenerabatur cultoresque disciplinarum, sed maxime philosophantes. Vnde et fama uiros huiusmodi undique congregabat circa palatia, qui circumamicti palliis magis habitu quam magisterio pandebantur. Erantque graues uniuersis Christianis seductores uiri et imperatoris semper 801 a religioni fauentes. Noctibus uigilans conscribebat libros, quos in senatu publice recitabat. Solus enim imperatorum a Iulio Cesare in curia recitauit orationes. Publicum cursum mularum et caballorum inhibuit, iubens eos utilitatibus publicis ministrari. Haec eius opera laudant pauci plurimique uituperant, quia remoto fastu palatii contemptibile uideatur imperium. Apud Sozomenum fertur quia mox in ipso principio sic aperte et impudenter negauit Christianam fidem ut quibusdam sacrificiis et inuocationibus, quas expeditiones pagani uocant, et sanguine immolato nostrum baptisma studeret ablui et abrenuntiare ecclesiasticae confessioni. Ex illo enim tempore tam secretim quam publice et in templis pagani licenter sacrificia celebrabant. Fertur b autem quia, dum aliquando sacrificaret, ostensum sit ei in uisceribus hostiae signum crucis corona circumdatum. Quo uiso alii quidem perterriti uerae religionis uirtutem et Christiani dogmatis eternitatem intellexerunt, eo quod corona uictoriae indicium est et ambitus circularis in se rediens est finis ignarus; princeps autem, confortans eos, sibi prospera monstrari asseruit et quia signum dogmatis

2 sibi *om.* CA 5 sanccuiit A 24 inmolatio S[1]: inmolaticio A *marg.* S[2]M 34 monstrari prospera A[1] asseruerit SM

21 *Apud Sozomenum* etc.: v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 2.

Christiani coherceretur, ne ei dilatari liceret circuli termino esse conseptum. Cum autem adhuc pueri Gallus et Iulianus ad sepulturam Mammae martiris opere inter se diuiso certatim basilicam fabricarent, res dictu mirabilis et forsitan
c incredibilis accidisse narratur. Galli namque pars augebatur utiliterque crescebat; Iuliani uero labores alii quidem fodiebantur, alii terra ipsa euomente ruderibus implebantur, aliquotiens terrae deposita fundamenta copulari non poterant, ac si quaedam uiolenta uirtus ab inferiore loco ea repercutiendo depelleret. Res prodigiosa uisa est omnibus existimantibus quia non esset uir ille in Christiana religione salubris. Nec falso; quod patuit ex post facto. Nam ecclesias et ministros possessionibus et priuilegiis spoliauit et, quod nimis graue et plane iniuriosum est, clericos iussit militibus aggregari duci prouinciae seruituros, plurimosque eorum curiae tradidit. Populum uero Christianum cum uxoribus et filiis inscribi praecepit et tamquam uicaneos
d tributa persoluere; et Galileos omnes censuit infelici diminutioni capitis subiacere. In initio autem, Christianis parcens, mitior uisus est, sciens priores persecutores nichil profecisse in pena Christianorum, qui magis inde creuerunt et facti sunt gloriosi pro uero dogmate morientes. Inuidens ergo eorum gloriae, abstinuit a tormentis, iudicans esse necessarium ut sermone potius et admonitione ad paganitatem colendam populum suaderet, sperans etiam hinc se monstrare clementem. Dicitur enim quia, dum Constantinopoli apud Fortunam sacrificaret urbis, accessit ad eum Maris episcopus Calcedonae et publice impium et sine Deo apostatam uocitauit. At ille solam ei improperans cecitatem, eo quod senex cecus manu alterius agebatur,
802 a adiecit: Neque Galileus Deus tuus curare te potest. Respondit Maris: Gratias ago Deo, qui hoc egit ne te uiderem

---

1 coerceretur CB 3 matris *forsan* A^1: martyris A^2 7 *post* euomente *add.* et A 15 agregari S 24 ammonitione M

---

2 *Cum autem* etc.: v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 3. 12, 13 *Nam ecclesias* etc.: v. ibid. vi. 4. 19 *In initio* etc.: v. ibid. vi. 5. 26 *Dicitur* etc.: v. ibid. vi. 6.

pietate nudatum. Imperator autem silens abscessit, philosophum simulans, ut ostentatione patientiae paganitatem roboraret. Lege autem inhibuit ne Galileorum filii poetarum rethorum et philosophorum legerent disciplinas. Propriis, inquit, telis secundum prouerbium uulneramur; ex nostris enim armati, ex nostris conscriptoribus contra nos bella suscipiunt. Posuit et aliam legem, praecipiens Galileos expelli militiis. Adiecit et aliam ut Galileis bona auferrentur, quoniam Christus eorum eos pauperes esse praeceperat. Scripsit Apollinaris, uir doctus et ingeniosus, eroycis uersibus pro Homeri poemate Hebraicam antiquita- b tem et in alio opere imitatus est comedias Menandri fabulositate deducta. Euripidis quoque tragedias et liram Pindari secutus est; et absolute dicendum quia, ex diuinis scripturis argumenta sumens, omnes enciclias lectiones tempore paruo composuit, numero uirtute moribus conscriptione karactere et dispositione Grecorum ualde pares. Fecit et librum nobilem Ad ipsum Imperatorem siue Contra Philosophos, in quo tacitis sacrae Scripturae testimoniis illos irrefragabili ratione desipere probauit et se uera sentire de Deo. Quae legens imperator claris tunc scripsit episcopis: Legi et reprehendi. Cui episcopi rescripserunt: Etsi legisti, non agnouisti; si enim agnouisses, nequaquam reprehen- c disses. Basilii autem Capadoceni creditur haec fuisse epistola. Veniens Antiochiam imperator eo quod ei esset barba ualde promissa derisus est, dicentibus Antiochenis: Tondeatur, ut ad funes barba eius proficiat. Et, quia taurum consueuerat immolare, taurum et aram suo formari praecepit in solio. Lacerantes ergo dicebant: Iste taurus euertit mundum; et, nisi eum Libanius reuocasset, grauiter afflixisset

---

3, 4 poetharum CB 11 eroicis S ebraicam SM 12 Menandri] in euandri CBA[1]: euandri A[2]: meuandri SM 15 enciclias] encleticas (i. artificiosas) M: encidias AS 20, 21 de deo sentire A[1] 25 imperator antiochiam M 26 prolixa A[2]S[2] antiocenis S[1]

---

3 *Lege* etc.: v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 17. 6 *ex nostris conscriptoribus*: *conscriptionibus* Cassiod. 8 *Adiecit* etc.: v. ibid. vi. 39. 10 *Scripsit Apollinaris* etc.: v. ibid. vi. 37. 25 *Veniens* etc.: v. ibid. vi. 40.

Antiochenos, aduersus quos tum librum satis urbanum scripsit. Vt autem etiam Iudeos denuo animaret et armaret in Christum, templum Ierosolimis eos instaurare praecepit.
d Concurrentibusque quos de toto orbe conuocauerat, plurima ministrauit, misitque praesidem impiorum executorem dignissimum praeceptorem. Aiunt enim quoniam ad repurgium faciendum argenteas amas et cophinos et scaphas habuerint; cumque fodere iam coepissent, statuta quidem die hoc multitudo plurima faciebat. Nocte uero spontanea terra de ualle crescebat. Solutis itaque prioris fundamenti reliquiis, noua omnia praeparabant. Cumque gipsi et calcis multa modiorum milia congregassent, uis magna uentorum repente respirans tempestates atque procellae subito factae quicquid congregatum fuerat disperserunt. Adhuc autem uesanientibus eis et nequaquam diuina longanimitate correptis, maximus primo terrae motus factus est; et quisquis non fuerat diuinis misteriis imbutus, uehementer attritus
803 a est. Cum uero neque hoc terrerentur indicio, ignis ex fundamentis quae suffodiebantur egrediens plurimos fodientium concremauit, aliorum membra dissoluit. Nocte plurimis in uicina porticu dormientibus cadens subito cum tecto ipsa porticus dormientes oppressit. Alia uero die in celo signum splendens crucis salutaris apparuit, sed etiam Iudeorum uestes crucis signaculo sunt impletae, non signatae tamen splendenti colore sed nigro. Haec itaque Dei rebelles considerantes et diuina contremiscentes flagella, ad propria sunt reuersi, confitentes esse Deum qui ab eorum progenitoribus ligno probatur appensus. In his tamen omnibus non est auersus furor impii, sed indurato corde praecepit ut, quicumque sacrificare nollent, palatium non
b intrarent et neque collegio neque foro neque arbitrio neque dignitate nec qualibet administratione participarentur.

---

1 antiocenos S 7 amos A: hamos S²M 17 mysteriis M 19 subfodiebantur A 19, 20 fodiendium C 23 celum CBA 32 amministratione M

---

2 *Vt autem etiam Iudeos* etc.: v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 43. 30 *praecepit* etc.: v. ibid. vi. 30.

Cum uero torquebantur Christiani aut spoliabantur, eis patientiam indicebat quoniam hanc Galileus eorum expresso uerbo legis et testimonio operis suos docuerat sectatores. Vnde et multi Christianorum retrorsum abierunt aut strati metu aut capti dolo, et inualescebat seuitia paganorum. Vt autem ad ydolatriam milites facilius assuescerent, studuit ad priscum scema reformare illud signum sublimius Romanorum quod Constantinus in formam crucis mutauerat. Verum in publicis imaginibus Iouem, quasi de celo sibi coronam defendentem et purpuram, Mercurium quoque et c
Martem in se respicientes, uelut pro testimonio sapientis et fortis depingebat; hoc agens in imaginibus ut sub occasione imperii latenter adorarentur Dii et hoc modi subiecti clanculo fallerentur, exinde sic capti facilius impleturi quod uellet. Si uero detrectarent, torquerentur tanquam imperii contemptores. Approbabat autem studia Christianorum, licet persequeretur fidem; et exercitia uirtutum, quo paganorum roboraret errorem, apud Galileos non uera mentiebatur esse sed ficta. Decreuit ergo eis uirtutes praeripi et paganos Christianis absque fide moribus institutos philosophiae uoluit esse cultores, sicut Arsacio pontifici Galatiae scripta ab eo in hunc modum docet epistola: Paganorum ritus nondum agitur secundum intentionem nostram propter cultores eius in negligentia positos. Nam deorum claritas d
magnitudo atque sublimitas omni oratione omnique spe maior est. Sed propitii sint nobis dii propter negligentiam quam habemus, cum illorum prouidentia in paruo tempore tanta mutatio facta sit quantam neque orare primitus quiscumque praesumpserat. Cum ergo credimus hoc posse sufficere, nequaquam respicimus quemadmodum superstitionem Christianorum auxit cura peregrinorum et circa sepulturas et mortuos multa solatia honestaeque conuersa-

7 sullimius SM 10 deferentem A: deferentem (uel ostendentem) S[2]M 11 uelud S
24 neglegentia A[2] 25 sullimitas SM

1 *Cum uero* etc.: v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 39. 5, 6 *Vt autem* etc.: v. ibid. vi. 30. 16 *Approbabat* etc.: v. ibid. vi. 29.

tionis studia non uera sed ficta. Quas res arbitror apud nos debere sub ueritate geri. Non itaque sat est te talem esse sed omnes absolute circa Galatiam sacerdotes. Quos aut
804 a deprecare aut ratione flecte aut certe festinanter a sacerdotali ministerio remoue, nisi diis cum coniugibus et filiis atque seruis colla submiserint, non ferentes ulterius eorum seruos aut filios hoc facere contempnentes aut Galileos impie contra deos agentes et impietates pietatibus praeponentes. Deinde cunctos admone ut sacerdos neque ad spectacula procedat neque in tabernis bibat aut cuilibet arti operibusque turpibus aut impudentibus praesit. Qui obediunt honorentur, inobedientes expelle. Xenodochia constitue per singulas ciuitates, ut nostra peregrini clementia fruantur, non tantum nostri, sed etiam extranei pecunia indigentes. Vt habeas unde fiat, interim decreui singulis annis triginta milia tritici modios per uniuersam dari
b Galatiam et sexaginta milia uini sextarios. Horum quinta pars pauperibus templa obseruantibus debet expendi, reliqua peregrinis indigentibusque distribui. Turpe namque est ut Iudeos non abiciant sed potius nutriant impii Galilei et suos pariter nec non etiam nostros, nostri uero nostrorum solatio deserantur. Quapropter doce etiam collationes facere paganos ad talia ministeria paganorumque uicos offerre primitias frugum. Eosque huiusmodi benefactis institue docens eos hoc opus olim fuisse nostrorum. Homerus enim hoc probat introducens Emenium talia facientem. Nos ergo neque bona nostrorum imitamur, sed aliis remittimus, negligentia non confusi, magis autem deorum reuerentiam respuentes. Si igitur haec te facien-
c tem ego cognouero, letitia plenus ero. Praesides prouinciarum rarius domi suscipe, frequenter eis scripta transmitte. Ingredientibus eis ciuitatem sacerdotum nullus occurrat. Cumque ad templa uenerint deorum, intra ianuas eos nemo praecedat militum forte aut praecedentium officiorum, sed

7 contemnentes CB 12 honerentur CB 16 xxx CBAS 18 templis S 33 nemo eos A[1]

26 *Emenium*: *Eumaeum* Cassiod.

qui uoluerit subsequatur. Cum ad ipsum limen templi peruenerit, priuatus existat. Tu enim, sicut nosti, intus es iudex; hoc enim etiam sacra sanctio uidetur exigere. Obedientes igitur pro ueritate pii sunt, reluctantes uanae gloriae comprobantur. Quid enim patiatur aut quod mereatur auxilium qui Matrem deorum propitiam habere noluerit? Qui ergo eam neglexerint, non solum sine querela non erunt sed
etiam nostrae indignationis impetum sustinebunt. Neque d
enim fas est ut illi parcatur qui Deos habuerit inimicos. Suade siquidem eis ut, si mea uolunt frui tuitione, omnes Matri deorum studeant offerre culturam. Haec quidem scripsit, et ad similitudinem ecclesiae demonum templa constituit, et instituit ministros in diuersis gradibus ad instar clericorum, ut essent qui ceteros docerent cultum perfidiae et penitentes post culpam secundum traditionem Christianorum correctione mediocri reformarent. Nichil autem quod a paganis committeretur in Christum enorme uidebatur. Adeo quidem ut nec seuire in mortuos inhumanum aut crudele paganis uideretur. Vnde in ciuitate Sebasta
Iohannis Baptistae sepulchrum aperuerunt ignique tradi- 805 a
derunt, ossa uero ac puluerem disperserunt. Si uel capita flagitiorum eius uel summatim quae per ipsum in orbe aduersus Ecclesiam gesta sunt, uoluero enarrare, multis magnisque uoluminibus tanta egebit materia. Sed prograediamur ad finem, quem pius Galileus, intemeratae uirginis Filius, impio persecutori suo ad consolationem Ecclesiae suae et ad gloriam maiestatis, qua Patri coaequalis et consubstantialis est, potenter inflixit. Procingens ergo se ad Persicam expeditionem pro more misit Delphos et Delum atque Dodonem, consulens an expediret ad bella procedere. Vates itaque uniuersi uictoriam promittebant, uno inter cetera animati responso, quod pro ex-
emplo mendacii ac seductionis inserere non pigebit. Est b
autem huiusmodi: Nunc omnes aggredimur Dei uictoriae

6 noluerint S 19 sebastea S²

19 *Vnde in ciuitate* etc.: v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 15. 28 *Procingens* etc.: v. ibid. vi. 44.

trophea referentes circa fluuium Thirem; horum ego dux ero belligerator Mars. Quisquis ergo Phicium Musarum principem et dominum rationis credit, uim et mentem carminis huius interpretetur. Quo miser animatus, omnimodam sibi uictoriam somnians, etiam Galileos delere praeparabat. A plurimis tamen, ut oportuit, uilis apostata contemptus est. In Antiochia namque uir quidam optimus pedagogus adolescentium habitabat, eratque ibi famosissimus sophista Libanius, expectans uictoriam Iuliani habensque prae oculis minas eius. Ait ergo ueram deridendo religionem: Nunc fabri Filius quid putas agit? At pedagogus
c completus gratia dixit: O sophista, Creator omnium, quem tu fabri filium nominasti, locellum sepulturae Iuliano componit. Post paucos dies mors nuntiatur Iuliani, et in locello aduectus est, minarumque timor euacuatus. Eodem quoque tempore uir religiosissimus Iulianus cognomento Saba subitae hilaritatis causam a ministris interrogatus respondit: Ferus sacrae uineae deuastator penas exactus est uastationis suae iacetque mortuus terroribus minisque frustratus. Sed exprimendus est ordo quo decessit impius persecutor. Cum ergo tam ciues quam hostes bello Persico laboribus et fame multipliciter afflixisset, ueniens Thesiphontem ciuitatem in tantum obsedit regem ut crebris legationibus ei offerret partem regni, dum solutus bello
d discederet; quod contempsit imperator elatus nec attendens quia uincere quidem bonum est, superuincere nimis inuidiosum. Confidebat enim magicis artibus, et, arbitratus secundum Pithagoream opinionem animas diuersa corpora peragrare, se credebat possidere animam Alexandri aut quod potius in altero corpore esset alius Alexander. Querebantur ergo Romani de principe qui bellum finire nolebat, resistebant tamen insistentibus Persis ita ut frequenter nunc ii

1 tirem A[1] 3 uim] ueri CA[1]MS 5 sompnians AM: sopnians S 7 anthiochia A 8 adholescentium AM 22, 23 thesifontem SM 25 imperator contempsit C[2]A[2]SM 28 pitagoream M: pigtagaream S[1]: pigtagoream S[2] 32 instantibus S nunc ii *om.* B: hii SM

2 *Phicium*: i. e. Pythium. 15 *Eodem* etc.: v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 45.

nunc illi uerterentur in fugam. Porro Iulianus in equo residens exercitum confortabat, inermis quidem, spe felicitatis suae praesumens; contra quem iaculum repente delatum discurrens per brachium in eius latus immersum est. Ex 806 a hoc uulnere suscepit terminum uitae. Qui uero iustissimum intulit uulnus, hactenus ignoratur. Sed alii quendam inuisibilium hoc intulisse ferunt, alii unum pastorum Ismahelitarum, alii militem fame et itinere fatigatum; sed, siue homo siue angelus fuerit, patet quia diuinis iussionibus ministrauit. Aiunt enim quia, cum fuisset uulneratus, mox manum compleuit sanguine suo et in aerem proiecit dicens: Vicisti, Galilaee, vicisti; et in eo ipso confessus uictoriam est, etsi blasphemus. Defunctus est autem tertio anno imperii sui, uitae tricesimo primo; nimium tamen uixisse uisus est bonis; qui non modo in ecclesiis sed etiam in theatris praedicabant uictoriam Galilaei. Omnes enim clamabant: Maxime fatue, ubi sunt uaticinia tua? Vicit Deus et b Christus eius. Defuncto impio inuenta sunt in templis simulachra stupenda principis et mira insignia sapientiae conclamatae et famosissimae pietatis. Nam in Carris aperto templo, quod usque ad reditum suum clausum esse praeceperat, inuenta est mulier a capillis appensa, manus extensas habens, aperto utero, in cuius iecore euentum belli Persici fuerat speculatus. In Antiochia quoque archas in palatio plurimas humanis capitibus plenas inuenerunt et demersa puteis innumera corpora mortuorum. Prodigiosa et scelesta illius, quae nec imperatorem nec philosophum decuerunt, sed impium et magum, Dei hostem et hominum, Tripartita latius pandit Historia. In gente quoque c Britanniarum, sicut quaedam nostratum testatur historia, ad compescendam et puniendam tirannidis rabiem glorio-

---

8 hismaelitarum A: ismaelitarum S 19 simulacra BS 19, 20 conclamate sapientie A[1] 22 apensa S 24 Anthiochia M 27 illius et scelesta A[1] 29 hystoria M

---

3 *contra quem* etc.: v. Cassiod. *Hist. Trip.* vi. 47. 15 *qui non modo* etc.: v. ibid. vi. 48.

sissimi martiris et regis Eadmundi manum exercuit. Cum enim Suanus Britanniae insulam, quam ex magna parte occupauerat, uastaret spoliaret et membra Christi persecutionibus multis affligeret, indictione census, quem lingua Anglorum Danageldum nominant, prouinciam onerauit, praecepitque possessiones memorati martiris conferre in censum. Supplicatumque est ei; contempsit preces. Missus a martire religiosus frater sub interminatione inhibuit ne ecclesiam Christi, domum martiris, et liberam familiam eius tirannus indebita premeret seruitute. Sed impietas ad
d preces absurduit, intumuit ad prohibitionem, ad minas induruit, et conuitiis et iniuriis afficiens humilem nuntium Dei ultricem accelerauit manum, flagellum prouocauit, et patientia Dei contempta temeritate cecus incurrit in mortem. Nec mora. Inter milites agens in castris solus, sicut ipse confessus est, cum telo uidit adesse beatum Eadmundum increpantem eum durissime et caedentem ad mortem. Nam tirannus e uestigio expirauit. Et ab ea quidem die, licet insula graues tirannos habuerit, ecclesia beati Eadmundi a praefata indictione fisci mansit immunis. Nemo enim eorum martirem ausus est prouocare aut in opprimenda ecclesia eius periculum facere sui. Nostris tamen tempori-
807 a bus Eustachius filius Stephani, qui in Ecclesiam Dei seuire decreuerat, cum omnia pro uiribus depopulatus esset, et terram beati Eadmundi, cui omnes praedones detulerant, uideret opulentam, sibique non esset, consumptis opibus

---

7 preces contempsit A[1] 8 martyre B 9 martyris A 11 absorduit C: obsurduit BS 15 *post* mora *add.* Nam tirannus e uestigio expirauit P 17, 18 Nam tirannus e uestigio expirauit *om.* P 18 tyrannus AM exspirauit M

1, 2 *Cum enim Suanus* etc.: cf. Flor. Wig. *Chron.* ed. Thorpe i. pp. 168, 169, sub a. 1014; et *Lib. miraculorum S. Edmundi* ap. Martène & Durand *Vet. Script. et Monum. ampl. coll.* vi. 824 seqq. 15 *Inter milites* etc.: Haec usque ad *mortem* minio notavit Parkerus in cod. C. 21 *martirem ausus est prouocare*: etiam haec minio notavit Parkerus in cod. C. 22, 23 *Nostris tamen temporibus* etc.: a. 1153; cf. Gerv. Cantuar. ed Stubbs i. p. 155. Hanc rem primus auctorum quorum adhuc exstant libri narrat Ioannes noster. 25 *detulerant*: i. e. pepercerant honoris causa; v. Ducange s. v. *deferre.*

regni, unde semel et secundo militibus era procederent (iam enim defecerant donatiua) praedia iam dictae ecclesiae depopulatus est. Nondum tamen digesserat cibum quem de facultatibus loci acceperat ipsaque die antequam se domi suae reciperet, quae nimis uicina erat, tactus est martiris manu et letali percussus morbo die circiter octaua rebus cessit et uita. Quid moror in paucis? Vbi sunt, ut de domesticis loquar, Gaufridus, Milo, Ranulfus, Alanus, Simon, Gilebertus, non tam comites regni quam hostes publici?

---

4 que] quoque A: queque C 5 tractus S 8 Rannulfus S Symon M 9 Gillebertus SM

---

5 *tactus est martiris manu*: minio notauit Parkerus in cod. C. 8 *Gaufridus* etc.: De iis quorum hic mentionem facit Ioannes v. J. H. Round, *Geoffrey de Mandeville*, p. 276. *Gaufridus*: i. e. Galfridus de Magnavilla, Essexiae comes, de quo v. *Gest. Stephani* ed. Howlett, pp. 103 seqq.; cf. J. H. Round, *Dict. Nat. Biog.* xxxvi. 22 seqq., s. v. Mandeville. Isti Galfrido *Deus*, ut ait *Gest. Steph.* auctor, *dignum malitiae suae finem imposuit* a. 1144. *Milo*: i. e. Milo Herefordiae comes, de quo v. *Gest. Steph.* ed. Howlett, pp. 102 seq.; cf. J. H. Round, *Dict. Nat. Biog.* xxi. 438 seqq., s. v. Gloucester. Anno 1143 *sine poenitentiae fructu*, teste *Gest. Steph.* scriptore, *miserabiliter occubuit.* *Ranulfus*: i. e. comes Cestriae, de quo v. *Gest. Steph.* ed. Howlett, p. 107. Anno 1153, ut narrat Gerv. Cant. (ed. Stubbs i. p. 155), *per quendam Willelmum Peverellum, ut fama fuit, ueneno infectus, post multos agones militaris gloriae uir insuperabilis audaciae, uix sola morte territus et deuictus, uitam finiuit temporalem et sepultus est.* *Alanus*: comes de Richmond (v. Round, *Geoffrey de Mandeville*, p. 157), *uir* (si *Gest. Steph.* ed. Howlett, p. 72 credamus) *immensae truculentiae et doli.* Obiit a. 1146, ut ex Chronico ecclesiae Namnetensi refert G. W. Watson ap. G. E. C. *Complete Peerage*, vi. 345, *Alanus comes in Anglia atque in Britannia strenuissimus, cui meritis erat minoris Britanniae regiam dignitatem reintegrare. Iuuenis quidem fuit crudelissimus et praedo, uir autem factus fuit pater patriae et ecclesiae uigilantissimus amator.* *Simon*: i. e. Simon de Senlis comes de Northampton; de quo v. C. L. Kingsford, *Dict. Nat. Biog.* li. 248, 249 s. v. Senlis. Anno 1153, ut ait Henricus Huntendunensis (ed. Arnold p. 288), Henrici II *hostes immanissimos et summa potentia praeditos, filium scilicet regis Eustachium et Simonem comitem de Norhamtune, Dei prouidentia nil tale metuentes in eodem demoliuit tempore, unde uirtus et spes omnium ei rebellantium emarcuit euentu. Vterque iuuenis eodem morbo eadem deperierunt hebdomada.* 9 *Gilebertus*: i. e. Gilbertus de Clare, dictus Strongbow, comes Pembrochiae, pater Ricardi illius qui Hiberniae victor temporibus Henrici II exstitit. Vide *Gest. Steph.*, ed. Howlett, pp. 127, 128. Mortem obiit Gilbertus a. 1148 et apud Tinternam, cuius fundator fuerat Walterus pater eius, sepultus est; v. Dugdale, *Monast.* ed. 1825, v. 270.

b Vbi Willelmus Saresberiensis? Vbi Marmio qui impellente beata Virgine incidit in foueam quam parabat? Vbi alii, quorum uel nomina conficerent librum? Horum utique malitia insignis est, infamia celebris, infelix exitus et quem praesens etas ignorare non potest. Si ergo quis antiquas nescit historias, si ignorat quomodo Cirus, cui reges terga praebebant, a regina Scitarum Tamiri prostratus est, si casus et praecipitia praecedentium non recolit tirannorum, uel ea quae oculis ingeruntur inuitis attendat, et luce clarius intuebitur omnes tirannos miseros esse.

Cap. 22. *De Gedeone forma praesidentium et Antiocho.*

Quid itaque sibi uelint qui rem publicam, id est populum Dei, indebito seruitutis iugo nituntur opprimere, non uideo,
c nisi forte ea de causa potentiam appetant ut tormenta

1 Guillelmus CBSM saresbiriensis S 3 nomina uel A[1]

1 *Willelmus Saresberiensis*: De eo v. Round, *Geoffrey de Mandeville*, p. 276. Eodem anno, ut refert *Gest. Steph.* scriptor (ed. Howlett, p. 96), quo etiam interiit Milo comes Herefordiae (de quo supra), *Willelmus . . . ciuitatis Saresbiriae praeceptor eo tempore et municeps, horrendis in somnis, ipsa Virgine, ut aiunt, sibi assistente, deterritus minis, sed et dirissimis ineuitabilis aegritudinis correptus flagellis, lento tandem cruciatu tortus interiit.* Comitis titulum non habuit ideoque a Ioanne haud inter comites regni nominatur. *Marmio* etc.: i. e. Robertus Marmio (de quo v. C. L. Kingsford, *Dict. Nat. Biog.* xxxvi. 190 seqq.), *homo*, ut ait Willelmus de Novoburgo iii. 12 (ed. Howlett, p. 47), *bellicosus, ferocia, astutia, audacia fere nulli suo tempore impar*, qui *cum . . . praeclaram illam ecclesiam* (sc. Coventrensem) *exclusis seruis Dei et intromissis satellitibus diaboli profanasset, cumque* in pugna contra Ranulfum comitem Cestrensem (de quo supra) a. 1144 facta, *in conspectu suorum pariter et hostium equo spumeo cum fastu nimio ueheretur, suae artis immemor, nam crebras, ut dicitur, in campo fossas fecerat, quibus hostes uel arcerentur uel impedirentur, iudicio inquam Dei, suae artis uel operis immemor, incidit in foueam quam fecit; fractoque femore emergere non valens, a quodam ignobili hostilium partium satellite, cunctis hinc inde uidentibus, capite truncatus est.* Cf. Henr. Huntend. ed. Arnold, p. 277 *inter ingentes suorum cuneos coram ipso monasterio* (sc. Coventrensi) *solus interfectus est et excommunicatus morte depascitur aeterna.* 1, 2 *impellente beata Virgine*: cuius in honorem dedicatam ecclesiam Coventrensem in castellum converterat Marmio (v. Henr. Huntend. loc. cit.). 2 *incidit* etc.: Ps. vii. 16; quem de eadem re citat Will. de Novoburgo (v. supra). 6 *Cirus* etc.: v. Iustin. i. 8. 14 *potentiam* etc.: v. Sap. vi. 7.

miseriae potenter ferant. Si enim regere tantum appeterent, non dominari, onus officii metientes, nequaquam tanta currerent auiditate. Voluntas enim regentis de lege Dei pendet et non praeiudicat libertati. At tiranni uoluntas concupiscentiae seruit et legi reluctans, quae libertatem fouet, conseruis iugum seruitutis conatur imponere. Docet haec Scriptura, cui contraire non licet. Dixerunt omnes uiri Israelis ad Gedeon: Dominare nostri tu et filius tuus et filius filii tui, quia liberasti nos de manu Madian. Quibus ille ait: Non dominabor uestri, nec dominabitur in uos filius meus, sed dominabitur Dominus. Dixitque ad eos: Vnam d
petitionem postulo a uobis, date michi inaures ex praeda uestra. Videor michi in huius litterae facie quod dixeram intueri. Nam Gedeon, qui interpretatur circumiens inutile uel temptatio iniquitatis eorum, nomine et uerbis uidetur principis officium indicare. Eius enim est circumire inutilia et ea uel delere uel reuocare ad frugem et quod iniquum deprehendit excludere a finibus suis, ut sibi aduersus hostes procedat uictoria. Defertur honor dominii et recusat; legi tamen subicit quos a iugo seruitutis absoluit. Patri filiorum successiuus defertur honor; at ille Deum maluit honorari. Quis eorum recte huic assimilabitur qui fas nefasque confundunt, et uersantur in laboribus et erumpnis, ut filios possint non tam honoris quam rapinae 808 a
et iniquitatis habere heredes? Quis est enim qui legem Dei et iustitiam eius, quae in sola caritate consistit, filiis anteponat? Qui amat, inquit, patrem aut matrem aut filios

2 mentientes CBASM[1] 4 tyranni A 7 haec] hoc AS 8 israhelis A 14 circuiens AS 16 circuire S 16, 17 inutilia circuire A[1] 24 erumnis C

7 *Dixerunt* etc.: Iudic. viii. 22–24. 14 *interpretatur*: ab Hieron. in *Lib. de nomin. Hebr.* (Migne *P. L.* xxiii. 810); *inutile* tamen deest ap. Hieronymum. Legimus tamen in *Interpretatione nominum Hebraicorum* quae inter Bedae opera typis committi olim solita est (ed. Basil. 1563 t. 3, p. 567, ed. Colon. 1612 t. 3, p. 422), sed quae Remigio Autissiodorensi (ut ait Oudinus; v. Migne *P. L.* xc. 95) in mss. codicibus optimis attribuitur, *Gedeon, circumiens in utero* etc.; cf. pseudo-Bed. *Quaest. super lib. Iudicum* c. 5 (Migne *P. L.* xciii. 425). 23 *fas nefasque confundunt*: v. Ov. *Met.* vi. 585, 586. 26 *quae in sola caritate consistit*: v. Matt. xxii. 37–40, Rom. xiii. 8. 27 *Qui amat* etc.: Matt. x. 37.

plus quam me, non est me dignus. Et profecto qui transitoria Christo praeponunt, ipsis transitoriis citius transeunt: nec eorum perpetuatur gloria apud quos, postpositis aliis, Christus manet inglorius. Ergo casum timeat princeps qui liberorum aut carnis motus affectu honorem diuinum minuit immemor caritatis. Sed nemo est qui in Deum se fateatur insurgere; insurgunt tamen plurimi, et iam ista palam fiunt. Intrauit Antiochus sanctificationem cum
b superbia; et hoc quidem faciunt multi. Ozias, quem litterae irrefragabiles iustum in multis fuisse commemorant, mortuo Zacharia sacerdote, cui cognomen fuit intelligens, ordinem sacerdotalem non tam pie quam audacter inuasit et reclamantibus Leuitis: Nonne tu es Ozias rex et non sacerdos? audire contempsit. Statimque lepra partem illam corporis eius inuasit quam sacerdos ex lege auri tegebat lamina, ut iuxta imprecationem propheticam facies eius ignominia repleretur. Rex quidem notus est et ex coeuis regibus et eo maxime quod anno mortis eius natus est Romulus, a quo genus est Romanorum. Imitantur plurimi Oziam sacerdotalia praesumentes, sed lepram eius paucissimi erubescunt. Plures tamen sequuntur Antiochum,
c qui non cum deuotione, ut offerat uice sacerdotis, sancta ingreditur, sed ut deleat si quid est in templo Domini sanctum. Cum enim Antiochus desolationis et abhominationis ydolum fabricasset, libros legis Dei combussit igni et scidit eos; et apud quemcumque inueniebantur libri testamenti Domini, et quicumque obseruabant legem Dei, secundum edictum regis Antiochi trucidabant eum. Vidi temporibus meis nonnullos sacerdotali se immiscentes officio et humeros temerarie supponentes, ut archam prae-

12 aucdacter A 17 repleretur ignominia A[1] 21 secuntur SM 30 subponentes S

7, 8 *ista palam fiunt*: v. Iuv. *Sat.* ii. 136. 8 *Intrauit* etc.: v. 1 Machab. i. 23. 9 *Ozias* etc.: v. 2 Paralip. xxvi. cum commentario Hieronymi in *Ep.* xviii. ad Damasum papam scripta (Migne *P. L.* xxii. 361 seq.). 15 *sacerdos ex lege* etc.: v. Exod. xxviii. 38. 16 *iuxta imprecationem* etc.: v. Ps. lxxxii. 17. 24 *Cum enim Antiochus* etc.: v. 1 Machab. i. 57 seqq. 30 *ut archam* etc.: v. 1 Paralip. xv. 15.

riperent ab humeris Leuitarum, loci immemores qui in praesentem diem dicitur Ozae percussio. Alios uidi qui libros legis deputant igni nec scindere uererentur, si in manus eorum iura peruenirent aut canones. Tempore regis Stephani a regno iussae sunt leges Romanae, quas in d
Britanniam domus uenerabilis patris Theodbaldi Britanniarum primatis asciuerat. Ne quis etiam libros retineret edicto regio prohibitum est et Vacario nostro indictum silentium; sed, Deo faciente, eo magis uirtus legis inualuit quo eam amplius nitebatur impietas infirmare. Quis autem in tot milibus regnare affectantium esse uult similis Gedeoni? Aut quis legem sibi uult dominari et populo? Omnibus tamen illud deberet sufficere quod Gedeon a subditis petit, id est, si solas ex praeda sibi consequatur inaures. Si enim quae lex loquitur, indicare curauerit, et ei obediens populus adquiescat ut non sit iniquitas et contradictio in ciuitate; et populo, cui praeest, debet profecto sufficere praesidenti.

Cap. 23. *Consilio Bruti utendum esse aduersus eos qui pro summo pontificatu non modo certant sed scismatice dimicant; et quod tirannis nichil quietum.* 809 a

Sed esto ut his liceat qui carnales sunt contendere de primatu, uiris ecclesiasticis hoc usquequaque arbitror esse

2 Ozae] ore CS[1] 6 theobaldi AS: Teodbaldi M 13 *post* tamen *add.* unum *SM* 19 cismatice S *in indice*: scismate S *in rubr. cap. praef.* 20 tyrannis S *in rubr. cap. praef.* 21 hiis S

1 *loci* etc.: v. 2 Reg. vi. 6–8. 2, 3 *qui libros legis deputant igni*: minio notavit Parkerus in cod. C. 5, 6 *quas in Britanniam* etc.: cf. Gerv. Cant. ed. Stubbs ii. p. 384 *Theobaldus . . . Thomae clerici Lundoniensis* (postea archiepiscopi) *industria fretus, egit apud Celestinum papam . . . ut amoto Henrico* (Blesensi episcopo Wintoniensi) *Theodbaldus in Anglia legatione fungeretur. Oriuntur inde discordiae graves, lites et appellationes antea inauditae. Nunc leges et causidici in Angliam primo vocati sunt quorum primus erat magister Vacarius.* De Vacario consule Rashdall, *Universities of Europe*, ii. pp. 335 seqq., Liebermann, *Eng. Hist. Review* xi. pp. 305 seqq., T. E. Holland, *Dict. of Nat. Biog.* lviii. 80 seqq. 6, 7 *Britanniarum primatis*: De primatu *totius Britanniae*, quem hic *Britanniarum* vocat Ioannes, cf. H. Boehmer, *Die Fälschungen Erzbischof Lanfranks von Canterbury*, p. 83 et passim. 13 *Gedeon* etc.: v. Iudic. viii. 24.

illicitum. Carnalium tamen exemplo sub imagine religionis obrepit impietas, et iam non modo contenditur pro sacerdotio sed pugnatur. Antiqui quondam trahebantur inuiti et proni ad martirium, primas cathedras carcere peius et cruce fugiebant. Contra iam palam loquuntur sacerdotes et prouerbium nullum dicunt. Nolumus, inquiunt, martires esse, sed sedium nostrarum gloriam non damus alteri. Misera quidem et miserabilis uox in ore sacerdotis qui Christum sic agnoscit ut se nolle eum sequi palam con-
b fiteatur. Dubitari poterit an uerus moriatur confessor qui persecutorem, si opus fuerit, non expectat? Ait enim Ciprianus: Episcopus si timet, actum est de eo. Sed liceat timere; non stare in necessitate, illicitum est. Fugitiuus inutilis infamis est. Est tamen in quo uidentur imitari constantiam martirum, si pro cathedra scilicet fuerit decertandum. Fertur a quibusdam et uerum est quod super Romano pontificatu ab ambitiosis quandoque, immo saepe, litigatum, et non sine sanguine fraterno sancta sanctorum ingressus sit pontifex. Concitata sunt iterum bella plusquam civilia, et Cesarem et Pompeium et quicquid
c Philippis, Leucade, Mutinae, in Egipto Hispaniaue praesumptum est, quicquid impie gestum, pugna sacerdotalis absoluit. Numquid Christiani sanguinis procurant effusionem ut eis prae ceteris liceat pro grege, quod pastoris est,

---

5 locuntur SM 14 infamis] nefamis M 14, 15 constantiam martyrum imitari S 21 egypto BAM

---

2 *contenditur pro sacerdotio sed pugnatur*: minio notavit Parkerus in cod. C. 4 *primas cathedras*: Matt. xxiii. 6. 5 *palam* etc.: v. Ioann. xvi. 29. 7 *gloriam* etc.: v. Isa. xlii. 8 et xlviii. 11. 12 *Ciprianus* etc.: v. Cypr. *Ep.* lix. (ad S. Cornelium papam) c. 2 (ed. Hartel p. 667; Migne *P. L.* iii. 823). 16 *Fertur a quibusdam* etc.: cf. de Damasi papae accessione Faustini et Marcellini *praef. ad Libellum Precum ad Imperatores* (Migne *P. L.* xiii. 82, 83). Haud tamen dubito quin de tumultibus et stragibus quarum mox infra (812 B) mentionem sit facturus praecipue cogitet Ioannes. 16, 17 *quod super Romano pontificatu*: minio notavit Parkerus in cod. C. 18 *et non sine sanguine* etc.: Ad Heb. ix. 3, 7 respicit. 20 *bella plusquam ciuilia*: Luc. *Phars.* i. 1. 21 *Philippis* etc.: locis in bello ciuili, de quo scripsit Lucanus, celeberrimis. 22, 23 *gestum, pugna sacerdotalis absoluit*: minio notavit Parkerus in cod. C. 24 *pro grege* etc.: v. Ioann. x. 11, 15.

animas ponere? Numquid ecclesiam diruunt, prophanant sancta, ut sit quod edificari et sanctificari oporteat? Concutiunt populos, regna sollicitant, ecclesiarum diripiunt facultates, forte ut sibi faciant materiam promerendi, ut componant omnia, ut pauperibus miserendi et prouidendi aliis concurrentibus necessitatem praeripiant. Si enim ut plura sibi impune liceant, si ut pecuniam congregent, si ut carnem et sanguinem foueant dilatent et corrumpant, si ut familiam nobilitent, si denique ut gloriam suam quaerant in clero dominantes non forma facti gregis ex animo, licet labiis et simulatione officii pastorem induant, tyrannis d quam principibus facilius accedunt. Dicunt philosophi et uerum arbitror nichil in rebus humanis utilius homine, et in ipsis hominibus principe ecclesiastico uel mundano nemo utilior; e diuerso nichil homini perniciosius homine, et in eis tirannus secularis aut ecclesiasticus perniciosior est. Sed profecto in utroque genere secularem ecclesiasticus antecedit. Sal enim infatuatum ad nihil omnino ualet, nisi ut proiciatur foras et concultetur ab hominibus. Porro

usque adeo solus ferrum mortemque timere
auri nescit amor, pereunt discrimine nullo
amissae leges; sed, pars uilissima rerum,
certamen mouistis, opes.

Ergo diuidatur unitas, integritas scindatur, sinceritas cor- 810 a rumpatur, maculetur et sanctitas, mundi nouum iudicium celebretur, et princeps eius, qui in passione Christi eiectus est, rediens scandala spargat ut beatus sit qui non capitur tendiculis eius:

---

1 prohanant B 4 matteriam A 6 coherentibus CBA 7 liceat ASM 10 dominantes in clero A[1] 18 fatuatum B 22 sed, pars *om.* CBASM

---

10 *in clero* etc.: v. 1 Petr. v. 3. 11, 12 *tirannis quam*: minio notavit Parkerus in cod. C. 12 *Dicunt philosophi* etc.: v. Cic. *de Off.* ii. 3 §§ 11, 12. 18 *Sal enim* etc.: v. Matt. v. 13. *infatuatum*: *si euanuerit* Vulg.; v. Sabatier ad loc.; cf. supra ad v. 16 (581 D). 20 *usque adeo* etc.: Luc. *Phars.* iii. 118–121. 26 *princeps eius*: sc. diabolus; v. Ioann. xii. 31.

———Tantone nouorum
prouentu scelerum quaerunt uter imperet orbi?
Vix tanti fuerat ciuilia bella mouere
ut neuter.

Rectissimam eminendi uiam docuit Christus, qui discipulos suos regibus gentium noluit conformari ut dominentur in subditis et qui potestatem exercent benefici dicantur; sed b qui maior est sponte minoretur et solum prae ceteris iure quiete, uiribus et contentione remota, sibi uendicet officium ministrandi. At isti aliam praetulerunt, ascendentes ex aduerso fratrum, et ministrandi humilitate reiecta appetunt prae regibus gentium dominari; nec dubium quin frigescente immo extincta caritate sedem suam et ipsi ponant ad aquilonem; siquidem productos odere pares. Vtinam secuti essent qui ea uiderunt tempora consilium Bruti, a quo eum imminente bello ciuili Catonis auertit auctoritas. Decreuerat enim manus suas ab armis continere ciuilibus, quibus quanto quisque libentius et fortius immiscetur, tanto iniquior et immanior est. Ait ergo:

Nunc neque Pompeii Brutum nec Cesaris hostem
post bellum uictoris habes.

c Si ergo sapiant hi pro quorum dominio scismatici litigant, eos solos concurrere patiantur, alterutri metuant opem ferre, incerti quis uictor futurus sit, certique quanta quam grauis ruina uictis immineat.

---

13 imo S caritate immo extincta A 21 post] sed M 22 hii ASM

---

1 *Tantone* etc.: Luc. *Phars.* ii. 60–63. 5, 6 *qui discipulos suos* etc.: v. Luc. xxii. 25 seqq. 10 *At isti aliam*: minio notavit Parkerus in cod. C. 11, 12 *reiecta appetunt prae regibus gentium dominari*: minio notavit Parkerus in cod. C. 12 *frigescente* etc.: v. Matt. xxiv. 12. 13 *et ipsi*: ut rex Babyloniae secundum Isa. xiv. 13, quem locum de diabolo interpretantur ut ceteri Patres sic etiam Aug. *in Ps. lix.* 10 (Migne *P. L.* xxxvi. 721), quem hoc loco sequitur Ioannes noster. Ed. Vulg. hodierna habet *sedebo in lateribus aquilonis*; Augustinus autem in loco supra cit. *ponam sedem meam ad aquilonem.* 14 *productos odere pares*: Luc. *Phars.* iv. 710; *productos* de iis qui ad dignitatem aliquam ampliorem evecti sint intellegere videtur Ioannes. 15 *consilium Bruti* etc.: v. Luc. *Phars.* ii. 234 seqq. 20 *Nunc neque Pompeii* etc.: Luc. *Phars.* ii. 283, 284.

Nulla manus belli mutato iudice pura est.

Nam et

uictrix causa Deo placuit sed uicta Catoni.

Gaudeat plane mundus, cum alter solus uicerit, sed propensiori letetur gaudio, si uicerit uterque uel neuter. Conueniant ergo, si placet, in Licaonia insula aut alio, si quis tamen locus bellis siue duillis est aptior; nam antiqui, teste d Quintiliano, bellos dicebant quos modo duillos appellamus; et sine orbis et urbis periculo uincat alteruter duillorum quem Deus scilicet approbauerit aut uictorem esse permiserit. Victus quoque, si id uictori placeat, demergatur in Tyberim aut, si cum eo mitius agendum uidetur, retrudatur in Cauam, cui cum abbas loci claustrum, immo carcerem, aperuerit, protestetur se non illud ei qui dampnatur praeparasse, sed uicto; siquidem

nulla fides umquam miseros elegit amicos.

Qui uero uicerit, id est qui uiolentior fuerit, in Liparem aliamue insulam exul perpetuus deportetur ad marmora secanda aut ad metalla dampnetur. Facinus enim schismatis quos inquinat aequat; nisi quia plerumque qui fortior immo ferocior, idem et iniquior est. Quid perniciosius aut 811 a odibilius bello ciuili? Nichil plane, praeter rabiem scismaticorum aut hereticam pestem. Quorum utrum perniciosius sit non facile dixerim, si tamen in his numerus est ut

6 insula licaonia SM 7 duellis BA 8 alias duellos S *marg.* apellamus S 13 Cauam *scripsi, auctore v. d. H. A. Wilson*: caueam CBASM 14 damnatur CB 19 fascinus A

1 *Nulla manus* etc.: Luc. *Phars.* vii. 263. 3 *uictrix* etc.: Luc. *Phars.* i. 128. 6 *Licaonia insula*: Sic in medio aevo appellata est insula Tiberina, hodie *Isola di S. Bartolommeo*; v. Gregorov. *Gesch. der Stadt Rom* i. 54. 7, 8 *teste Quintiliano*: v. Quintil. *Inst. Or.* i. 4 § 15. De nomine proprio Duelliorum sive Belliorum agitur apud Quintilianum; quod pro monomachis sive singulare certamen exercentibus accipit Ioannes. 13 *Cauam*: i.e. monasterium SS. Trinitatis in Cava iuxta Salernum, quo retrusi sunt et Theodoricus et Burdinus, antipapa uterque, alter a. 1100, alter a. 1121; v. *Lib. Pontif.* ed. Duchesne, ii. 298, 345, 348, 377. 16 *Nulla fides* etc.: Luc. *Phars.* viii. 535. 19 *Facinus* etc.: v. Luc. *Phars.* v. 290. 22 *Nichil plane* etc.: Haec verba usque ad *altero* minio notavit Parkerus in cod. C.

alterum segregretur ab altero. Cessabunt plane bella ciuilia, si praesumptioni desit temeritatis adiutor. Nec est qui conciues possit urgere ad furorem, nisi eos aliquatenus ipsa delectet insania. Vtique necessitas confurendi aut nulla omnino aut ut multum imaginaria est. Haec quoque permultis maximisque periculis patet, quorum nemo satis declinat euentum, nisi praecaueat facultatem. Innuit hoc poeta grauissimus aut, si iuxta Quintilianum rectius dicere malueris oratorem, non repugno, dum constet praecauenda b esse etiam quae possunt euenire pericula et uniuersitatem ab uno quolibet cogi non posse ut sceleri obsequatur inuita. Ait enim:

> Hic quamuis nullo maculatus sanguine miles
> quae potuit fecisse timet. Quid pectora pulsa?
> quid uesane gemis? quid fletus fundis inanes?
> Nec te sponte tua sceleri parere fateris?
> Vsque adeone times quem tu facis esse timendum?
> Classica det bello; diros tu neglige cantus:
> signa ferat; cessa: iam iam ciuilis Erinis
> concidet et Cesar generum priuatus amabit.

Sic, sic, si Ecclesia Dei erigatur in Spiritus libertatem, si ministerium sceleris subire detrectet, aut omnino scismata sopientur aut, manente compage unitatis, soli inter se sci- c smatici dimicabunt. Interim contineat Ecclesia manus suas, quoniam gladius Petri, qui sanguinem carnali sitiebat affectu, mandato Domini ad praesens tegitur in uagina, et discipuli eradicare zizania properantes praecipiuntur messores angelos expectare. Oret unitatis integritas ut in se colligat dissidentes lapis incisus, in quo fundatur Ecclesia,

---

1 alterum] unum M: *post* alterum *add.* recte S 14 quae] Qui M 22 detrectat BS 29 incissus CBS: inscissus AM

---

4 *confurendi*: Hoc vocabulum, cuius sensus facile intellegitur, non exhibent Lexica. 8 *poeta grauissimus*: sc. Lucanus. *iuxta Quintilianum*: v. Quintil. *Inst. Or.* x. 1 § 90. 13 *Hic quamuis* etc.: Luc. *Phars.* iv. 181–188. *Hic*: *Et* Luc. 14 *pulsa*: *pulsas* Luc. 15 *quid fletus*: *fletus quid* Luc. 18 *diros*: *saeuos* Luc. 21 *Spiritus libertatem*: v. 2 Cor. iii. 17. 25 *gladius Petri* etc.: v. Ioann. xviii. 10, 11. 27 *discipuli* etc.: v. Matt. xiii. 28–30, 39. 28 *unitatis integritas*: sc. integra Ecclesia. 29 *lapis incisus* etc.: v. Isa. xxviii. 16; Dan. ii. 44, 45; Matt. xvi. 18.

quem scismatici reprobant, qui fecit utraque unum, et uestem suam in sortem fidelium integram cedere maluit quam secari. Oret, inquam, ne deficiat fides et expetens in cribro Sathanas non disperdat, conculcet et triticum. Oret pacem, quaerat pacem, et persequatur etiam fugientem. Meminerit eius qui, cum posset producere plus quam duodecim legiones angelorum, exaltatus in cruce omnia adquisiuit; ipsa enim exinanitio adeo meruit exaltari ut ad gloriam eius flectatur omne genu. Scismaticos nocentes accipiunt sed consen- d
tientes iustos nocentes faciunt bella sacerdotalia. Quiescant ergo stantes a longe cum Petro ut uideant finem. Recolant illud ethnicum:

Si celicolis furor arma dedisset,
aut si terrigenae temptarent astra gigantes,
non tamen auderet pietas humana uel armis
uel uotis prodesse Ioui.

Hoc quidem uidetur esse seruandum in his, ubi

quis iustius induit arma
scire nefas.

Nam si hereticus scismaticusue catholicum impugnat, assistere ueritati pium est et Romano pontifici deuotissime famulari. Hoc quidem cum innotuerit; nam scismaticus se catholicum esse saepe mentitur. Quis enim praesumet sum- 812 a
mum iudicare pontificem, cuius causa Dei solius reseruatur examini? Vtique quisquis hoc attemptauerit, laborare quidem sed proficere nequaquam potest. Nec ad unguem nomen

---

1, 2 suam uestem C¹A¹ 6 xii CBS

---

1 *quem scismatici reprobant* etc.: v. Ps. cxvii. 22, Matt. xxi. 42. *qui fecit utraque unum*: Eph. ii. 14. 1, 2 *et uestem suam* etc.: v. Ioann. xix. 23, 24. 3 *ne deficiat* etc.: v. Luc. xxii. 31, 32. 5 *quaerat* etc.: v. 1 Petr. iii. 11. 6 *eius qui, cum posset* etc.: v. Matt. xxvi. 53; Ioann. xii. 32. 7 *ipsa enim* etc.: v. Philipp. ii. 7–10. 11 *stantes* etc.: v. Matt. xxvi. 58. 13 *Si celicolis* etc.: Luc. *Phars.* iii. 315–318. 18 *quis iustius* etc.: Luc. *Phars.* i. 126, 127. 22 *Hoc quidem* etc.: Haec verba usque ad *examini* minio notavit Parkerus in cod. C. 23 *Quis enim* etc.: v. Ennod. *Liber apolog. pro Synodo* (Migne *P. L.* lxiii. 200; Mansi *Conc. nov. coll.* viii. 271) cit. ut ex Symmacho papa ap. Ivon. Carnot. *Decret.* v. 10, *Panorm.* iv. 8 (Migne *P. L.* clxi. 326, 1184) et ap. Grat. *Decret.* II. ix. 3 c. 14 (ed. Friedberg. i. p. 610) *Aliorum hominum causas Deus uoluit terminare per homines, sedis istius praesulem suo sine questione reseruauit arbitrio.*

pontificis arto; habeatur hic pontifex cuiuscumque canonica praecessit electio. Ionas, ut naufragium tolleret, naufragium fecit maluitque perire solus quam alios inuoluere periculis suis; nec tamen regendae nauis curam susceperat. Salomon ab eo maternum conuicit affectum quod integrum meretricis calumniae filium cedere maluit quam partiri. At isti periclitari malunt Ecclesiam et scindi quam honorem non usurpare et innocenti matri Ecclesiae non inferre calumniam.
b Haec est, inquit, mater eius, quoniam ex dilectione refugit sectionem. E contra hic priuignus est qui

ferro rimatur uiscera matris.

Quot et quantos tumultus et strages dedit illa collisio quando filius Petri Leonis aduersus Innocentium bonae memoriae, quintum domini Adriani praecessorem, cuius uitam et felicitatem in se in euum protendat Dominus, conatus est ab aquilone ascendere? Nonne et stellarum partem secum traxit ruina eius? Quis nescit Egidium Tusculanum?

---

5 ab eo] adeo S 6 calumpnie S 8 calumpniam S 13 Petri] patri CB 14 v^tum CB praecessorem *om.* CBS : precessorem domini adriani S *marg.* 16 aquilone] aliquo CB

---

2 *Ionas* etc.: v. Ion. i. 12. 4 *Salomon* etc.: v. 3 Reg. iii. 16 seqq. 11 *ferro* etc.: Haec e versu nescio quo hexametro sumpta esse videntur; cuius auctorem non inveni; cf. tamen Sen. *Med.* 1012, 1013. 12 *Quot et quantos* etc. usque ad *indicium est*: excerpsit Pauli *Mon. Germ. Hist.* xxvii, *SS.*, pp. 49, 50. 13 *filius Petri Leonis*: sc. Anacletus II antipapa, qui electus est Febr. 14 a. 1130 et obiit Jan. 25 a. 1138. *Innocentium*: i. e. Innocentium II, qui papa electus est Febr. 14 a. 1130 et mortem obiit Sept. 24 a. 1143. Vide de Innocentio II et Anacleto II Watterich, *Pontif. Rom. Vit.* ii. 174 seqq.; Jaffé, *Reg. Pontif. Rom.* i. 840 seqq. 14 *quintum*: Inter Innocentium II et Hadrianum IV sederunt Caelestinus II, Lucius II, Eugenius III, Anastasius IV. *Adriani*: i. e. Hadriani IV, Ioannis nostri amico. Ex *Policr.* lib. i prol. apparet Policraticum ad Thomam cancellarium misisse dum Tolosam obsidet Henricus II, i. e. post Iun. 24, 1059 (v. Gerv. Cant. ed. Stubbs p. 167), ex hoc loco ante Sept. 1. eiusdem anni, quo die mortem obiit Hadrianus IV; cf. *Metal.* iv. 42 (945 A). 16 *ab aquilone ascendere*: v. Isa. xiv. 13, 14; Ierem. xlvii. 2. *Nonne et stellarum* etc.: v. Apoc. xii. 4. Stellae detractae, iuxta Walafrid. Strab. in *Gloss. Ord.* ad loc. (Migne *P. L.* cxiv. 732) ii sunt qui illuminant *Ecclesiam doctrina non vita.* 17 *Egidium Tusculanum*: Aegidius, monachus Cluniacensis, cardinalis episcopus Tusculanus a Calixto II papa factus, a 28 Dec. a. 1121 bullis papae illius testis subscripsit (Jaffé,

Quis Petrum Pisanum, cui nullus aut uix similis alter erat in curia? Quis recenseat episcopos qui in tota fere Italia corruerunt? Profecto, dum ruinae illius extabat etate nostra memoria, incredibile est quempiam adeo misere ambitiosum esse ut Ecclesiam scindere non formidet. Neminem ita stupidum esse credo qui non malit c
se deleri quam ut pro eo tanta fiat turbatio. Si, delictis nostris exigentibus, carnificum istorum quisquam ascenderit sedem Petri et ad gubernaculum nauis eius Domino indignante accesserit, plane naufragium non immerito faciet, cum et Petrus uocatus a Domino ad ualidiorem territus auram coeperit mergi, et nauis quae Dominum habebat uectorem de salute desperet, donec Christus dormiens precibus excitetur. Vtique qui misere ascendit, rotatur miserius et miserrime deicietur; nec letos habent exitus quae malo sunt inchoata principio. Discordia certissimum iniquitatis et defectus indicium est; siquidem

minimas rerum discordia turbat, d
pacem summa tenent.

Pheton in fabulis, dum paternos currus affectat, incendit orbem et tandem miseratione Dei et ipse succensus corruit praeceps, curru disiecto. Tunc

isse diem sine sole ferunt:

et, dum flagrat Ecclesia succensa scismate, Christus uidetur abesse. Ycarus quoque, dum elatus iuuenili leuitate fertur in celum, marinis fluctibus mergitur. Deiectus enim est

4 extabit AS: exstabit M quemquam S 16 incoata A 18 minima A[2]

Reg. Pontif. Rom. i. 780); a. 1127 ab Honorio II legatus in Syriam, deinde in Poloniam missus; Romam reversus ab Innocentio II ad Anacletum II migravit, quo tamen mortuo ad Innocentii partes rediit (de Mas Latrie *Trés. de Chron.* 1183). Obiit mortem a. 1138 (Pauli op. cit.). 1 *Petrum Pisanum*: presbyterum cardinalem S. Susannae; v. de eo Zoepffel, *die Papstwahlen*, pp. 286 seqq. 11 *Petrus* etc.: v. Matt. xiv. 29, 30. 12 *et nauis* etc.: v. Matt. viii. 23 seqq. 18 *minimas* etc.: Luc. *Phars.* ii. 272, 273. 20 *Pheton* etc.: v. Ov. *Met.* ii. 1 seqq. 23 *isse* etc.: Ov. *Met.* ii. 331. 25 *Ycarus* etc.: v. Ov. *Met.* viii. 195 seqq.

dum alleuaretur; subuectio siquidem impiorum grauioris
ruinae praeparatio est. Quis autem eo iniquior qui mini-
813 a sterium pacis, sacrificandi officium in rixas mittit et carnifi-
cium? Quorsum quaeso tanta immanitas? Numquid ad
uitam? Sed eorum finis interitus. An ad gloriam? Sed
gloria eorum in confusione est. An ad uoluptatem? ergo
et eorum Deus uenter est. An ut nobilitentur in carne et
sanguine? sed caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.
Nam aduersus carnales non ego sed haec et grauiora his
apostolica intonat tuba: Quorum, inquit, finis interitus,
quorum Deus uenter et gloria in confusione, quia terrena
sapiunt; si, ut suam expleant uoluntatem, aliis dominantes,
quod tirannicum est, eis nichil minus proueniet; tiranno
siquidem nichil tutum est aut quietum. Interroga Damo-
b clem, et se hoc a tiranno Siciliae didicisse fatebitur, cum ei
undique in ardentes prunas ruina immineret, ad primum
nutum et quasi texentis licio dependens gladius inter regales
delitias ceruici illius similis ferienti irrueret. Hoc idem
apud Claudianum astruit Theodosius; ait enim:

Qui terret plus ipse timet, sors ista tirannis
conuenit; inuideant claris fortesque trucident.
Muniti gladiis uiuant septique uenenis;
ancipites habeant artes trepidique minentur.
Tu ciuem patremque geras, tu consule cunctis.
Nec tua te moueant sed publica uota.

Erubesce Sydon, ait mare; quia iam carnalis loquitur quae
uir spiritualis audire non potest. Si enim audirent sacer-
dotes uocem hanc, nequaquam per tela per hostes currerent
c ut primas cathedras occuparent. Sed, licet omnes summi

---

13 tiranicum A 20 tyrannis B 23 arces CB²SM 25 *ante* nec tua *add.* non tibi A²M te tua S¹

---

8 *sed caro et sanguis* etc.: v. 1 Cor. xv. 50. 10 *Quorum* etc.: v. Philipp. iii. 19. 14, 15 *Damoclem* etc.: v. Cic. *Tusc. Disp.* v. 21 §§ 61, 62. 20 *Qui terret* etc.: Claud. *Panegyr. de IV Cons. Honor.* 290–295. 26 *Erubesce Sydon*: Isa. xxiii. 4. 28 *per tela per hostes*: Verg. *Aen.* ii. 358. 29 *primas cathedras*: Matt. xxiii. 6. *Sed, licet* etc.: Haec verba usque ad *laboriosissima* minio notavit Parkerus in cod. C.

pontificatus apicem deferant, quantum salua religione licet fugiendum quam suscipiendum arbitror sapienti. Vt enim ex conscientia uerum loquar, illius laboriosissima et, quantum ad statum praesentis seculi pertinet, miserrima uidetur esse conditio. Si enim auaritiae seruit, mors ei est; sin autem, non effugiet manus et linguas Romanorum. Nisi enim habeat unde obstruat ora eorum manusque cohibeat, ad conuitia, ad flagitia et sacrilegia perferenda aures oculos duret et animum. Tria quidem sunt quae prae ceteris etiam prudentum omne iudicium subuertunt, amor munerum, acceptio personarum, facilitas credendi. Nam ad ista moueri et iustitiam dispensare nullus omnium potest. Ergo et ab his immunem Romanum necesse est esse pontificem, d qui omnium cohercere debet excessus. Si odit munera, quis beneficia conferet in inuitum? Quid largiturus est qui non accipit? Aut quomodo, si non largitur, placabit Romanos? Si personas eorum non accipit, quomodo subsistet ante faciem eorum? Vix enim causam in conclaui poterit pensare sacerdotalem quin eos in consiliis omnibus admittere compellatur. Quid quod cogitur dampnare simoniam munera et retributiones? Si ea sequitur, nonne seipsum propria uoce condempnat? Si in summa potentia minima licentia est, profecto qui legibus praeest, nulli subicitur, ab illicitis artius coartatur. Ergo et Romano pontifici minimum eo ipso quo plurimum licet. Quid ponderosius est sollicitu- 814 a dine omnium ecclesiarum? Apostolicum priuilegium transit ad successores, et plane pars priuilegii est quam Apostolus ad Corinthios loquitur: Quis, inquit, infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror? Si totum non uultis reuoluere, uel istud uendicet qui de primatu contendit et, ut puto, cito faciet locum. Praeterea qui Romanus

7 eorum ora A[1] 9, 10 etiam prudentum *om.* S[1] 14 coercere CB 28 corrinthios A

5 *Si enim* etc. usque ad finem capituli: excerpsit Pauli loc. supra cit. 9 *Tria quidem* etc.: Haec verba usque ad *personarum* minio notavit Parkerus in cod. C. 24 *Ergo et Romano* etc.: usque ad *licet* minio notavit Parkerus in cod. C. 25, 26 *sollicitudine* etc.: v. 2 Cor. xi. 28. 28 *Quis* etc.: 2 Cor. xi. 29. 30, 31 *qui de primatu contendit*: minio notavit Parkerus in cod. C.

pontifex est, eundem, pro conditione Ecclesiae quae nunc est, esse seruum seruorum necesse est; non equidem nuncupatiue ad gloriam, ut quidam opinantur, sed substantiue, utpote qui seruis Dei seruiet uel inuitus. Omnis enim persona Dei seruit et dispensatrix est clementiae uel iustitiae
b suae. Seruit angelus, seruit homo, seruiunt boni, seruiunt mali, et ipse princeps mundi diabolus seruit. Ergo et Romani seruiunt Deo, et tiranni quibus Romanum necesse est seruire pontificem. Adeo quidem ut, nisi seruierit, aut expontificem aut exromanum esse necesse sit. Quis eum ergo seruum seruorum esse ambigit? Dominum Adrianum, cuius tempora felicia faciat Deus, huius rei testem inuoco, quia Romano pontifice nemo miserabilior est, conditione eius nulla miserior. Et, licet nichil aliud ledat, necesse est ut citissime uel solo labore deficiat. Fatetur enim in ea sede se tantas miserias inuenisse ut facta collatione praesentium tota praecedens amaritudo iocunditas et uita felicissima fuerit. Spinosam dicit cathedram Romani pontificis, mantum acutissimis usquequaque consertum aculeis tantaeque molis ut robustissimos premat terat et comminuat humeros, coronam et frigium clara merito uideri quoniam ignea sunt.
c Sed numquam a natali solo Angliae malle exisse aut in claustro beati Rufi perpetuo latuisse dicit quam tantas,

5 deo A[2]S 23 ruffi SM

2 *seruum seruorum*: quo titulo saltem a Gregorii Magni tempore in litteris utuntur pontifices Romani. 4, 5 *Omnis persona Dei*: i.e. et Pater et Filius et Spiritus Sanctus. 11 *Dominum* etc. usque ad *miserior*: minio notavit Parkerus in cod. C, contulitque *Policr.* vi. 24, *Metal.* iv. 42. Cf. Helinand. *Chron.* xlviii. sub a. 1154 (Migne *P. L.* ccxii. 1058): *Huic Adriano papae familiaris fuit Ioannes Salesberiensis et ipse Anglicus natione, qui de eodem Adriano talia refert*: '*Audiui papam Adrianum dicentem quod Romano pontifice nemo miserior est, conditione eius nulla miserabilior. Fatebatur enim se in eadem sede*,' etc. 17 *uita felicissima*: *felicitas* Helin. 18 *Spinosam dicit cathedram Romani pontificis*: minio notavit Parkerus. 18, 19 *mantum*: v. Ducange ed. 1885, v. 235: *Mantum uero olim habitum inter praecipuas summorum Pontificum vestes adeo ut dignitatis inuestituram per illud acciperent.* Vide locos ab eodem citatos, quibus addi potest quod Nicolaum III loqui facit Dantes *Infern.* xix. 69: *Sappi ch'io fui vestito del gran manto.* 20 *premat*: om. Helin. 22 *Sed numquam* etc: usque ad *exisse* minio notavit Parkerus. 22, 23 *in claustro beati Rufi*: *apud Valentiam* add.

nisi quia diuinae dispensationi reluctari non audet, intrasse angustias. Dum superest, ipsum interroga et crede experto. Hoc etiam michi saepissime adiecit, quod, cum de gradu in gradum a claustrali clerico per omnia officia in pontificem summum ascenderit, nichil umquam felicitatis aut tranquillae quietis uitae priori adiectum est ab ascensu. Et, ut uerbis eius utar (nichil enim, cum praesens sum, sui gratia uult apud se absconditum esse ab oculis meis): In incude, inquit, et d malleo semper dilatauit me Dominus; sed nunc oneri quod infirmitati meae imposuit, si placet, supponat dexteram, quoniam michi importabile est. Nonne ergo miseria dignissimus est qui pro tanta pugnat miseria? Sit sane ditissimus qui eligitur, sequenti die pauper erit et infinitis fere creditoribus tenebitur obligatus. Quid ergo erit ei quem nulla uocat electio sed repugnante in membris Christo ambitio ceca et cruenta non sine sanguine fraterno intrudit? Hoc quidem est Romulo succedere in parricidiis, non Petro in commissi dispensatione ouilis.

---

8 occulis S 10 subponat A 18 comissi CB

Helin. Sed abbatia S. Rufi, cum ibi commorabatur Nicolaus postea sub Hadriani IV nomine S. Petri cathedram occupaturus, haud apud Valentiam sed prope Avenionem sita est, unde a. 1159 canonicos Valentiam transtulit Raymundus abbas, probante ipso Hadriano IV iam papa facto: vide Jaffé, *Reg. Pontif. Rom.* ii. 143; cf. *Gall. Christ.* xvi. 360. Non tamen cum B. Haureau (ibid. 359) dubitandum est quin illius domus abbas exstiterit idem Nicolaus qui postea Hadrianus IV dictus est: v. Will. de Novoburgo ii. 6 ed. Howlett, p. 110. 1 *nisi quia* etc.: *intrasse angustias, nisi quia diuinae dispensationi reluctari non auderet* Helin. 3 *Hoc etiam michi sepissime adiecit*: minio notavit Parkerus. 5 *ascenderit*: *ascendisset* Helin. 7 *nichil* etc. usque ad *meis*: om. Helin. 8 *In incude* etc.: cf. Ps. iv. 2 *In tribulatione dilatasti mihi.* 14 *obligatus*: Hactenus citat Helinandus, additque: *Ambire ergo ad summum pontificium et non sine fraterno sanguine ad illud ascendere est Romulo succedere in parricidiis, non Petro in ouibus pascendis. Bene ergo dicitur nec tam nuncupatiue quam substantiue summus pontifex seruus seruorum. Seruiat enim seruis auaritiae Romanis necesse est, adeo ut nisi seruierit fiat aut expontifex aut exromanus* (ut mox infra et supra 814 A, B). 16, 17 *Hoc quidem* etc.: usque ad *ouilis* notavit minio Parkerus.

Cap. 24. *Epicureos numquam assequi finem suum.*

Nisi dissimulet contentiosus quae tamen dissimulari ratio
815 a non permittit, ex superioribus luce clarius liquet Epicureos
numquam assequi finem suum. Cum enim ad tranquillam
aspirent uitam et ad libidinem explendam philosophentur,
immo desipiant (nemo enim quod male libet potest sapienter
implere), hoc per ista Babilonis fluenta nullus assequitur.
Illos quoque Epicureorum nomine censendos arbitror qui
suam uolunt in omnibus implere uoluntatem. Nam, cum
res libidini seruiunt, in uoluptatem transit affectus. Si
affectus affectui non pareat, quo magis uis, torqueris magis,
si tamen sit libido in uoluntate. Alioquin interdum uelle
quod non potes, iocundum est et fructuosum; si forte esurias
et sitias iustitiam, laboriosum tamen. Mundus itaque Epi-
cureis plenus est, eo quod in tanta multitudine hominum
b pauci sunt qui non famulentur libidini, id est corruptae uo-
luntati, sed laboriosae uoluntatis nexibus non impliciti aut
nulli aut pauciores sunt. De loco uoluptatis exclusus est
homo, ex quo libido praeualuit, eo quod uita iocunda et
tranquilla frui non potest cui coeperit libido dominari.
Maluit facere quod libuit quam quod iussus est et proiectus
in locum miseriae in terram laboris missus est, ut ei et
semini suo terra spinas et tribulos germinet et in sudore
uultus comedat panem suum qui in rectitudine uoluntatis
obediens sine difficultate et labore plenam poterat habere
uoluptatem. Siquidem ad necessitatem et uoluptatem
parata inuenerat omnia. Vultus autem, sicut his placet qui

1 D *ante* epicureos *habet* B 2 quae] quem S^3 3 epycureos CBA 5 *post* philosophentur *add.* se retrahant *in S manus longe recentior* 8 epycureorum C 11 affectui affectus C^2A : affectui effectus S 14, 15 epycureis C

7 *Babilonis fluenta*: v. Ps. cxxxvi. 1. *Flumina Babylonis,* ait Aug. ad loc. (Migne *P. L.* xxxvii. 1762), *sunt omnia quae hic amantur et transeunt.* 13, 14 *esurias et sitias iustitiam*: v. Matt. v. 6. 18 *De loco uoluptatis*: sc. Paradiso, unde expulsus est Adam; v. Gen. ii. 10. 21 *Maluit* etc.: v. Gen. iii. 17 seqq. 27 *Vultus autem* etc.: v. Isid. *Orig.* xi. 34 (Migne *P. L.* lxxxii. 401).

curiosius scrutantur uerborum originem, dicitur a uolendo; et sudor eius laborem et angustias indicat corruptae uolun- [c] tatis. Si ergo sudatur in eo qui confirmat cor hominis et etiam in sumendo quod letificat, quid est quod sine labore sibi natura mortalis credat indultum? Anima sibi dictum recolit quod matri omnium nostrum peccatrici sententia Creatoris intorsit. Parit ergo in dolore filios uirtutum quae sine labore parit sobolem uitiorum. Natura namque peccatrix ad malum prona est et corrupta ab adolescentia sua, quae etas origini uicinatur, ut sine labore et difficultate labi et non possit erigi ad bona sine labore et erecta sine difficultate et gratia stare non possit. Parit itaque uitia, filias utique non filios, sine dolore sed proculdubio ad dolorem; [d] sed in dolore filios, sed plane ad gaudium non dolorem. Ergo Epicureus uersatur in dolore, cuius uita filios parit aut filias, et semper praesentes aut futuras ingemiscit angustias. Nam aut, ut cetera taceam, praesentibus non letatur aut, si caecus non est, dum rerum metitur exitus, ea tamquam abeuntia et fugientia deplorat. Letis etenim stare negatum est, nisi quis letetur in illis quae beatum faciunt aut ad perpetuam proficiunt uitam. Praeterit namque mundus hic et omnia desiderabilia eius; quantumlibet blandiatur incautis et dulces fallaciae suae propinet illecebras, nouissima eius quouis absintio amariora sunt. Et, quia ratio praesentem statum eius imperfectum esse usquequaque conuincit, nescio [816 a] quid solidum semper pollicetur in posterum ut in omnibus amatoribus et sequacibus suis nec unum ab initio duxerit ad perfectum aut uoti compotem fecerit. Hinc est quod auarus in mediis opibus esurit, potens et praesidens in summo fastigio seruit, in profundo luxu uoluptuosum gaudii defectus angit, et famae procus et gratiae in toto tumore

11 erecta *scripsi*: erectus CBASM 12 non possit stare S[1] 20 illis] bis M 24 absinthio SM

3 *eo*: sc. *pane*; v. Ps. ciii. 15. 7 *Parit* etc.: v. Gen. iii. 16. 8 *Natura namque* etc.: cf. conc. Tolletani a. 633 habiti canonem ap. Grat. *Decr.* II. xii. 1. c. 1 (ed. Friedberg. i. 676) *Omnis aetas ab adolescentia in malum prona est.* 10 *labi*: subaudi *possit.* 21 *Praeterit* etc.: v. 1 Cor. vii. 31. 23 *nouissima* etc.: v. Prov. v. 4.

inanis gloriae uilescit. Cui ista non patent, nimium cecus est, cum unusquisque eorum qui uersantur in his sibi quod appetit deesse fateatur. Sunt tamen quorum oculos ita perstrinxit malitia ut quae per se lucent nequeant intueri. Sic oculis capti talpae lucis beneficium non agnoscunt et innatis gaudentes tenebris oderunt aerem puriorem nec uiuere queunt, si diutius arceantur ab humo et latebris suis. b Nonne talparum gerunt imaginem qui semper in humo uersantur, quorum tota conuersatio in terra deprimitur ut nichil altum sapiant uel diuinum, sed nec humanum quidem; cuius est, cum cetera animalia prona ferantur in terram, celum et quae celestia sunt erecta dignitate corporis et animi contemplari? Hi tamen suo sed talpae quodam naturae uitio deprimuntur. Profecto deterior est quem culpa maculat eo qui naturae laborat imperio. Nec credas altum sapere qui naturae consortes non tam uirtute quam uitiis uult praeire. Sed quid in grege isto talparum arguo cecitatem, nisi quod aliorum fons esse uidetur? Ab eo namque scaturiunt riuuli uitiorum ut quasi in corpore uno uideas c confluxisse rapacitatem leonis, seuitiam tigridis, gulam lupi, uarietatem pardi, fraudes uulpis, tenacitatem arpiae, immunditiam suis, petulantiam hirci, superbiam equi, stoliditatem asini, obstinationem muli, toxicum ydrae, nigredinem corui, et quicquid aliud peruersitatis infundere potuit homini teterrima creatura. Nam ab eo uniuersa haec incommoda profluxerunt, dum boni et mali scientiam et similitudinem Dei promittit per rapinam. Exinde inclinata est ad malum natura hominis, cuius quasi quaedam infantia praecessit innocens, dum a colloquiis peruertentibus et peruersis abstinuit. Siluit homo et mansit innocens, immisso sopore obdormiuit innocens, expergefactus et agnoscens auxilium

2 hiis S 5 occulis A 10 uel] nil S 22 hyrci M 23 hydre C: hydrae M: hidre S

5 *oculis capti talpae*: v. Verg. *Georg.* i. 183. 6, 7 *nec uiuere queunt*: v. Hugon. de Folieto (ut videtur) liber *de bestiis* (Migne *P. L.* clxxvii. 161) *Talpa . . . sub terra moratur, super terram non uiueret.* 9 *tota conuersatio in terra*: v. Philipp. iii. 20 *Nostra autem conuersatio in caelis est.* 11 *cetera animalia* etc.: v. Ov. *Met.* i. 84–86. 15, 16 *altum sapere*: Rom. xi. 20. 30 *Siluit homo* etc.: Interpretatur Gen. ii. 18 seqq.

simile quod ei fabricauerat Deus, innocenter locutus est magnalia Dei; sed ex quo factus uerbosior per ostium d curiositatis eductus exercuit cum temptatore uerbi commercium, quasi ab infantia adolescens concepto calore intumuit et praeuaricatus mandatum, cuius custodia ad gloriam fuerat profutura, corruptus est ut ex tunc mirabili et inuincibili lege conditionis inflictae sibi unio reluctetur carnis et spiritus ut nulla ratione componi possint, nisi illius gratia intercedat qui fecit utraque unum et carnem in electorum fine faciet a spiritu absorberi. Si uerbis gentilium uti licet Christiano, qui solis electis diuinum et Deo placens per inhabitantem gratiam esse credit ingenium, etsi nec uerba nec sensus credam gentilium fugiendos, dummodo uitentur errores, hoc ipsum diuina prudentia in Eneide sua sub inuolucro 817 a fictitii commenti innuisse uisus est Maro, dum sex etatum gradus sex librorum distinctionibus prudenter expressit. Quibus conditionis humanae, dum Odisseam imitatur, ortum exprimere uisus est et processum, ipsumque, quem educit et prouehit, producit et deducit ad Manes. Nam Eneas, qui ibi fingitur animus, sic dictus eo quod est corporis habitator; *ennos* enim, ut Grecis placet, habitator est, *demas* corpus et ab his componitur Eneas ut significet animam quasi carnis tugurio habitantem. Sic etiam Neptunum ennosigeum eo quod Sigeum inhabitet. Primus

2 hostium S 4 adholescens A 7 unio carnis reluctetur A[1] : reluctetur carnis unio A[2] 13 gentilium credam A 15 vi CBAM 16 vi CBA 18 imittatur S 24 ethnossigeum CBASM

1, 2 *locutus est magnalia Dei*: v. Act. App. ii. 11. 9 *qui fecit utraque unum*: Eph. ii. 14. *carnem* etc.: cf. quod ait Maximus Theol. ap. Io. Scot. *de Div. Nat.* v. 8 (Migne *P. L.* cxxii. 878); quem tamen librum in manibus habuisse Ioannem non credo. 14 *in Eneide sua* etc.: Sequitur Ioannes Bernardum Silvestrem, de cuius Commento super sex libros Aeneidos in cod. Paris. (Bibl. Nat. 16246 I), quem ipse inspexi, invento v. Cousin, *Fragm. philos.* (*philos. schol.*) ed. 1840, pp. 358 seqq. Cf. Dant. *Convito* iv. 26; v. Comparetti, *Virgilio nel medio evo* i. pp. 156 seqq. 17, 18 *dum Odisseam imitatur*: v. Macrob. *Sat.* v. 2 § 6. 20 *Eneas* etc.: v. Bern. Silv.: *Dicitur enim Eneas quasi ennos demas i. habitator corporis. Ennos enim grece habitator dicitur simpliciter* (?). *Vnde neptunum uocat Iuuenalis ennosigeum i. habitatorem sigei: demas uero id est uinculum dicitur corporis quia animi carcer est.* Cf. Ioann. Balb. de Ianua (qui ob. a. 1298) *Catholicon* s. v. *ennosigaeus.* 21 *ennos*: quasi ab ἐνναίω.

itaque liber Eneidos sub imagine naufragii manifestas infantiae, quae suis procellis agitatur, exponit tunsiones; et b in fine suo habundantia cibi et potus adulta prosilit ad letitiam conuiualem. In confinio ergo adolescentiae prodeunt colloquiorum commercia, et eorum intemperies aut fabulas narrat aut ueris falsa permiscet, eo quod multiloquio peccata deesse non possunt. Porro tertius uarios iuuentutis quasi suos canit errores; eo quod illa etas fere solos nouit errores. Siquidem, ut ait ethicus:

Imberbis iuuenis tandem custode remoto
gaudet equis canibusque et aprici gramine campi;
cereus in uitium flecti, monitoribus asper,
utilium tardus prouisor, prodigus eris.

Prima ergo etas nutricem, secunda custodem habet, tertia c quo liberior, eo facilius errat, nondum tamen procedit ad crimina. Quarta illicitos amores conciliat et ignem imprudenter conceptum in pectore ad amantis infelicem producit rogum. Neque enim inconcessis fatalem beatitudinem esse sub typo Mercurii ratio persuadet, docetque illum qui, dum fuerat paruulus, sapiebat ut paruulus, loquebatur ut paruulus, agebat ut paruulus, fuga irrefragabiliter apprehensa, euacuare quae erant paruuli. Vnde, ut ad memoratum ethicum redeamus:

Conuersis studiis etas animusque uirilis
quaerit opes et amicitias, inseruit honori,
commisisse cauet quod mox mutare laboret.

Ergo et uirilis etas puerilia et iuuenilia erubescit et, si a d peruersa uoluptate et immundo amore nauigii sui soluere non potest anchoram, praecidit et funem. Sic et patriarchae pudicus filius pallium reliquit adulterae, ne adulterii crimine

---

3 abundantia A[2]   4 adholescentie A[1]   19 tipo AS   22 aprehensa S   28, 29 non potest soluere A

---

4 *confinio adolescentiae*: i. e. *pueritia*, de qua sec. Bernardum in *Aen.* ii. agitur.   6 *multiloquio* etc.: v. Prov. x. 19.   7 *tertius*: qui sec. Bern. de *adolescentia* tractat.   10 *Imberbis* etc.: Hor. *A. P.* 161–164.   16 *Quarta*: *Aen.* iv. *iuuentuti* dat Bern.   19 *sub typo Mercurii ratio*: cf. Fulg. *Virg. Cont.* p. 94 ed. Helm.   19, 20 *qui, dum fuerat* etc.: v. 1 Cor. xiii. 11.   24 *Conuersis* etc.: Hor. *A. P.* 166–168.   27 *uirilis etas*: de qua *Aen.* v. sec. Bern.   29, 30 *patriarchae pudicus filius*: sc. Ioseph; v. Gen. xxxix. 12.

inuolueretur. Quinta maturitatem ciuilem promit, et etatem
depingit uicinam senectuti, immo quae ipsam iam ingreditur
senectutem. Nam et patrum honores recolit, maiorum
memoriam ueneratur, et, quasi ad tumulum Anchisae sol-
lemnes celebret ludos, in his ipsis exilii sui miseriam reco-
gnoscit. Dum uero hinc egreditur, transit ad sextum et
amissis Palinuro et Miseno, duce scilicet nauigii dormitante
et temerarii praelii incentore, cum iam frigescat affectus
uiresque deficiant, non tam senectutem sentit quam senium
et uelut quendam descensum ad inferos, ubi quasi rebus 818 a
inutiliter gestis totius anteactae uitae recognoscat errores et
discat alia uia incedendum esse his qui uolunt ad dulces
Lauiniae complexus et fatale regnum Italiae quasi ad quan-
dam arcem beatitudinis peruenire. Constat enim apud eos
qui mentem diligentius perscrutantur auctorum Maronem
geminae doctrinae uires declarasse, dum uanitate figmenti
poetici philosophicae uirtutis inuoluit archana. Licet autem
de prima corruptione specialiter dictum sit, potest et de sin-
gulis manifesta ratione monstrari quia natura hominis ab
adolescentia sua prona est ad malum; ut ex quo libero licet
depresso coeperit uti arbitrio, per se cadat sponte in culpam
et inde merito suo praeceps prolabatur in penam; erigi b
tamen nequaquam potest ad bonum, nisi gratia Dei supponat
manum suam. Lata est ergo Epicureorum uia et haud
dubiam ducit ad mortem, per pericula tamen, per errores,
per amaritudines et per omnimodas uanitates, ut letum et
quietum tranquillae uitae statum in ea nullus inueniat uel
ad illum tandem ea ducente perueniat. Nam, ut beatitudo
possideatur, non uanis sed ueris insistendum est bonis.
Vana enim cultorem suum proturbant in tenebras exteriores,

---

2 imo S 4, 5 solemnes B: sollempnes AS: solennes M 5 his] iis BA: hiis S 8 temerario S 10 uelud AS 13 ithalie S 23 subponat S 24 epycureorum C haut CBAS

---

1 *Quinta*: i. e. *uirilis aetas.* 6 *sextum*: qui est de *senectute.* 16 *geminae doctrinae* etc.: v. Bern. Silvestr. ap. Cousin loc. cit. p. 358. 19, 20 *ab adolescentia* etc.: v. loc. supra cit. 815 c. 24 *Lata* etc.: cf. Matt. vii. 13. 30 *in tenebras* etc.: v. Matt. viii. 12, xxii. 13, xxv. 30.

ad fletum oculorum, stridorem dentium, tinnitum aurium, et uarias pressuras et penas inferorum, apud quos nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.

c Cap. 25. *Quae via fidelissima sit ad sequendum quod Epicurei appetunt vel pollicentur.*

Sententiae tamen non struo calumpniam quae beatitudinem esse diffinit laetum semper et quietum tranquillae uitae statum; sed interpretatione sinistra et uitiosa executione arbitror infamatam; adeo quidem ut, cum Epicurei sint plurimi, id est uani sectatores uoluptatis, nomen hoc pauci profiteantur. Erubescunt enim dici quod sunt et propriam turpitudinem occultare nituntur nomine alieno, dum nom tam boni esse cupiunt quam uideri. Si uero diffinitioni fidelis detur interpres et sententiae commodus executor qui manum apponat ori, id est qui faciat quod loquetur, nichil uerius et rectius apud Stoicum et Peripatheticum [d] esse, conuinces quos ad te iocundo grandis uiae compendio, cum praeceperis, introducam. Ne tamen ullam eo, quo Epicurei diffinitio tendit, uiam putes, eam tibi in calce libri quasi in fine uiae conabor aperire. Est autem ardua et arta, plana tamen et recta diligentibus Deum, quo ducente docente et subuehente non offendit quis ad lapidem pedem suum. Ipse namque lapis offensionis et petra scandali gradientes in se quos accipit erigit et corroborat, ut humiliati in se, in eo gloriantes, audacter et libere praeconentur, quia

4 ad assequendum S² *in indice* 5 apetunt CBS uel] ut B 6 calumniam C 9 epycurei A 16 stoycum CBA 16, 17 perypateticum C: perpateticum BS: perhypateticum A 19 epycurei C 21 et recta *om.* A 25 aucdacter A

1 *tinnitum aurium*: v. Ierem. xix. 3. 2, 3 *nullus ordo* etc.: Iob x. 22. 6 *Sententiae* etc.: Hanc definitionem totidem verbis scriptam nusquam inveni; cf. Sen. *Dial.* vii. 15 § 2. 15 *qui manum* etc.: v. Iob xxxix. 34 *manum meam ponam super os meum*; quem locum tamen aliter interpretatur Joannes quam Gregorius, cuius verba subiungimus: *Manum super os ponere est uirtute boni operis culpas tegere incautae locutionis* (Migne *P. L.* lxxvi. 634). 22 *non offendit* etc.: v. Ps. xc. 12. 23 *Ipse* etc.: sc. Christus; Isa. viii. 14; Rom. ix. 33; 1 Petr. ii. 8.

omnia in eo possumus qui nos confortat. Via siquidem haec uirtus est, duobus interiecta et artata limitibus, cognitione scilicet et exercitio boni. Nosse namque bonum et non facere meritum dampnationis est, non uia beatitudinis. Vnde, inquis, hanc uiam ingrediar qui in inuio sum et non 819 a in uia? In tanta uarietate uiarum ignotarum aduena et peregrinus, cuius oculi languerunt prae inopia et fere iam deficiunt, quibus eam discernam indiciis ut ad id tranquillitatis et gaudii perueniam quod promittis?

Est (inquam) uia sublimis celo manifesta sereno;
lactea nomen habet.

Serena tibi celum ne turbetur prae indignatione oculis animae tuae, et facile lacteam hanc agnosces uiam. Redi ad te, patrum suspice monimenta, et ibi intuere diligenter ubi a uia deflexeris gressum et ubi cecideris in errorem. Recolo autem nos aberrasse ibi primum ubi impulsus et euersus est homo ut caderet praeuaricatione mandati, quando b ad uetitum scientiae lignum suadente diabolo temerariam et incautam manum extendit. Abinde enim peccatum accepta occasione per mandatum seduxit me, et per illud occidit. Ipsum namque mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, quia semper

nitimur in uetitum;
quod non licet, acrius urit.

Ad arborem scientiae manum extendit, gulam impleuit, et contra promissum fallacis inimici et secundum interdictum ueracis Dei obtenebratus est homo et in esuriem prostratus, fedus feriens cum morte et pactum faciens cum inferno.

---

4 damnationis C 7 occuli A 8 decernam S iudiciis S 10 sullimis M

---

1 *omnia* etc.: v. Philipp. iv. 13. 5 *in inuio* etc.: v. Ps. cvi. 40. 7 *oculi* etc.: v. Ps. lxxxvii. 10. 10 *Est uia* etc.: Ov. *Met.* i. 168, 169. 18 *ad uetitum* etc.: v. Gen. iii. 19 *peccatum* etc.: Rom. vii. 11. 21 *Ipsum* etc.: v. Rom. vii. 8. 23 *nitimur* etc.: Ov. *Am.* iii. 4. 17. 24 *quod non licet* etc.: Ov. *Am.* ii. 19. 3. 25 *Ad arborem* etc.: v Gen. iii, ut supra. 28 *fedus* etc.: v. Isa. xxviii 15.

c Boni tamen et mali sciens factus est per experientiam, et multiplici miseriae locum fecit in se. Ergo a ligno scientiae dum prohibitus illud ascenderet, a ueritate uirtute uita cecidit et deuiauit homo, nec reuertetur ad uitam, nisi ad arborem scientiae redeat, et inde ueritatem in cognitione, uirtutem in opere, uitam in iocunditate mutuetur. Rationis itaque acumen exerceat ut discernat inter bonum et malum et in ipsis bonis aut malis quid cui praeponderet agnoscat; iugi deinde curet sollicitudine ne partem suam faciat deteriorem sed toto conatu mentis et corporis praeeligendis inseruiat. Ipse quoque labor dulcescat sibi et totam amaritudinem rerum praesentium (ut ait beatus Gregorius) spe
d temperet futurorum. Nam et propheta die noctuque sub expectatione Dei sui cibatur lacrimis; et sic lugentibus Veritas ipsa, quae nec fallit nec fallitur, ueram beatitudinem repromisit. Nec uereatur quis ad arborem scientiae boni et mali manum extendere primae prohibitionis exemplo, quia exulem et erroneum ad illam inuitauit ille qui docet hominem scientiam et iuxta promissionem propheticam ignaro indicat quid sit bonum. In arbore ergo scientiae quasi quidam uirtutis ramus nascitur, ex quo tota uita proficientis hominis consecratur. Neque enim ad genitorem uitae, Deum scilicet, alter redit, nisi qui uirtutis ramum excisum de ligno scientiae praetendit. Sed quis cito auellet ramum, cum uel ipsam arborem, id est quid fieri oporteat, perpauci nouerint? Numquid ramus facile innotescet, ubi
820 a prae multitudine desipientium et male agentium ipsa arbor occulitur? Hoc ipsum forte sensit et Maro, qui, licet ueritatis esset ignarus et in tenebris gentium ambularet, ad Eliseos campos felicium et cari genitoris conspectum Eneam

---

28 oculitur M 30 elisyos A: elisios SM *post* campos *add.* et C chari C

---

12 *ut ait beatus Gregorius*: in *Mor.* viii. 8 § 14 *in Iob vii.* 2, 3 (Migne *P. L.* lxxv. 810), ut videtur. Sententiam, non verba Gregorii refert Ioannes noster. 13 *propheta* etc.: v. Ps. xli. 4. 15 *Veritas ipsa*: sc. Christus; v. Matt. v. 5. 18, 19 *qui docet hominem scientiam*: Ps. xciii. 10. 20 *indicat* etc.: v. Mich. vi. 8. 28 *Maro*: v. Verg. *Aen.* vi.

admittendum esse non credidit, nisi docente Sibilla, quae quasi *siosbole* consilium Iouis uel sapientia Dei interpretatur, ramum hunc Proserpinae, quae proserpentem et erigentem se a uitiis uitam innuit, consecraret. Ait ergo:

Accipe quae peragenda prius. Latet arbore opaca
aureus et foliis et lento uimine ramus,
Iunoni infernae dictus sacer; hunc tegit omnis
lucus et obscuris claudunt conuallibus umbrae.
Sed non ante datur telluris operta subire
auricomos quam quis decerpsit ab arbore fetus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus b
instituit; primo auulso non deficit alter
aureus, et simili frondescit uirga metallo.

Plane quid penarum lateat in terrenis uel quid in his possit mereri solus agnoscit qui de arbore scientiae ramum bonae operationis auellit. Eoque auulso alter non deficit, quia quo amplius exercentur, eo magis subcrescunt et proficiunt scientiae et uirtutes. Non tamen eatenus Maronis aut gentium insisto uestigiis ut credam quempiam ad scientiam aut uirtutem propriis arbitrii sui uiribus peruenire. Fateor gratiam in electis operari et uelle et perficere; ipsam ueneror tamquam uiam immo reuera uiam quae sola ducit ad uitam et quemque boni uoti compotem facit. Lactea haec est, innocentiae manifesta candore et alimentorum sedulitate c nutricis explet officium et sola praeparat ad profectum; nam sine ea proficit nullus. Clamat haec in uoce tubae praeuaricatoribus, ut redeant ad cor, eisque ad arborem scientiae amoto gladio uersatili et flammeo ducatum in patriam promittit et ingressum. Plus dicam; ipsam arborem scientiae et lignum uitae, in quo sunt omnes sapientiae et scientiae thesauri absconditi et in quo habitat plenitudo

11 pulcra S 17 succrescunt A 18 marronis CBS 28 in] ad A[2]

1, 2 *quae quasi siosbole* etc.: v. Serv. ad Verg. *Aen.* iii. 445 et vi. 12; Bern. Silvest. op. supra cit., *Sibilla uero quasi siibule diuinum consilium quod accepimus*; cf. Hieron. *adv. Iovin.* i. 41 (Migne *P. L.* xxiii. 270). 2 *siosbole*: i. e. σιὸς βουλή. 5 *Accipe* etc.: Verg. *Aen.* vi. 136–144. 10 *decerpsit ab*: *decerpserit* Verg. 21 *operari* etc.: v. Philipp. ii. 13. 27 *praeuaricatoribus* etc.: v. Isa. xlvi. 8. 28 *gladio uersatili et flammeo*: Gen. iii. 24. 29, 30 *ipsam arborem* etc.: sc. Christum. 30 *in quo sunt* etc.: Col. ii. 3. 31 *in quo habitat* etc.: v. Col. ii. 9.

diuinitatis corporaliter, extraxit (inscissa tamen substantia) et produxit in terram peregrinationis nostrae et plantauit in medio Ecclesiae, ut ab eo illustretur per scientiam, roboretur per uirtutem, et exultet in misericordia uberi, et gaudium
d eius plenum sit, gaudium a Deo et in Deo, gaudium quod nemo tollet ab ipsa. Accedat ergo ad arborem, ducente gratia, qui, abducente concupiscentia, deliquit in arborem; quoniam salus nostra ab eadem procurata est in ligno, quia mors ante processit a ligno. Accedat sed in contrariis passibus; quoniam contrariis expedit curari contraria. Et, quia non fuerat hominem deiecturus temptator, nisi in mentem eius elatio praecessisset, a timore concipiat unde humilietur sub potenti manu Dei qui exaltari desiderat in die uisitationis. Abstineat a licitis qui praesumpsit illicita, et incendium concupiscentiae ordinata mitiget caritate. Delectetur in his, uideat et nunc quia lignum pulchrum est uisu et ad uescendum suaue et fructum uerae beatitu-
821 a dinis et semper laetum tranquillae uitae statum dabit in tempore suo. Porro iocundus timor, qui in dilectionis reuerentiam cadit, non nouit otiari aut praescriptam sibi praeuaricari legem, sed timoris foras mittit aculeos et ex amore facit bona, sponte sua adherens iustitiae; et quasi uiribus obedientiae cum gratia quodammodo uiolenter nititur adquirere uitam qui per inobedientiam ex leuitate arbitrii cucurrit in mortem. Timor innocentiam parit, iustitiam benefaciendi mandatorum obedientia promouet, rectoque calle ad ueram beatitudinem iustus perducitur. Nam et is est quem deduxit Dominus per uias rectas, dans ei scientiam sanctorum, honestans eum in laboribus, et in omnibus com-
b plens ei beatitudinem pro qua fideliter et utiliter laboratur.

---

9 in *om.* SM   16 pulcrum AS   20 occiari S   27 is] his A

---

1 *extraxit*: sc. gratia.   4 *gaudium* etc.: v. Ioann. xvi. 24, 22.   5 *eius*: sc. Ecclesiae.   8 *in ligno*: sc. in cruce.   13 *humilietur* etc.: v. 1 Petr. v. 6.   16 *lignum pulchrum* etc.: v. Gen. iii. 6 et Ps. i. 3.   17, 18 *beatitudinis* etc.: v. supra 818 c.   21 *sed timoris foras* etc.: v. 1 Ioann. iv. 18.   28 *deduxit* etc.: v. Sap. x. 10.

Possem dicere quia huc tendunt tota lex et prophetae omnesque scripturae canonicae, quia tendunt ad Filium. Neque enim istud ambiguum est, cum et infidelium dogmata nichil utilitatis habent, nisi aliquid conferant beatitudini. Sed, his omissis aut potius praemissis, dico quia haec sola sunt quae sola possunt facere et seruare beatum, cum ab altero iustitiae ramo proueniat, ne cui noceatur ab altero ut sibi quisque et aliis prosit. Vis tibi constare quae dico? Visne beatus esse? Porro beatus uir qui timet Dominum. Potentiamne desideras? Non modo ipse, sed potens in terra erit et semen eius. An fauorem sectaris et laudes hominum? Generatio rectorum benedicetur. An ad celebritatem dilataris c et ad opulentiam sinum expandis? Gloria et diuitiae in domo eius. An perpetuitatem quaeris operibus? In memoria eterna erit iustus. Visne securus esse? Ab auditione mala non timebit sed omnes despiciet inimicos. Gratiamne linguae affectas? Labia iustorum distillant gratiam. Item: Memoria iusti cum laudibus, nomen impiorum putrescet. Vis tibi futura innotescere? Expectatio iustorum letitia. Vis iocunditatem tibi prorogari in sempiternum? Et iusti in perpetuum uiuent, et in pace sunt, licet mori insipientibus uideantur. Ecce habes uiam uerissimam et fidelissimam, assequendum statum quem desiderat Epicurus; et si eam tenueris, beatus es et bene tibi erit. Haec ad bene beateque uiuendum potest sola sufficere; adeo d quidem ut extraposita uniuersa aut nichil aut minimum perfectionis adiciant. Nec inhibeo quin uestibus niteas deauratis circumdatus uarietate, quin epuleris cotidie splen-

1 hunc C[1]: ad hunc M 11 *prius* et *om.* B 23, 24 epycurus CBA

6 *quae sola* etc.: v. Hor. *Ep.* i. 6. 2. 8 *Vis tibi constare quae dico*: Cum interrogationibus et responsis quae sequuntur cf. Anselm. *Proslog.* c. 25 (Migne *P. L.* clviii. 240). 9 *beatus uir* etc.: Ps. cxi. 1. 10 *potens* etc.: Ps. cxi. 2. 12 *Generatio* etc.: Ps. cxi. 2. 13 *Gloria* etc.: Ps. cxi. 3. 14, 15 *In memoria* etc.: Ps. cxi. 7. 15, 16 *Ab auditione* etc.: Ps. cxi. 7, 8. 17 *Labia* etc.: v. Ps. xliv. 3. 18 *Memoria* etc.: Prov. x. 7. 19 *Expectatio* etc.: Prov. x. 28. 21 *Et iusti* etc.: v. Sap. iii. 1–3. 24 *beatus es* etc.: Ps. cxxvii. 2. 27 *niteas*: Nunc Policratico finem tandem impositurus, Thomam cancellarium, ut in principio libri, alloquitur. 28 *epuleris* etc.: v. Luc. xvi. 19.

dide, quin primos honores habeas; et, ut paucis multa complectar, quin tempori sed et peruersis moribus, rectus tamen
822 a ut es ipse, in omnibus morem geras et suis lenociniis irridentem irrideas mundum. Maior enim es quam ut debeas aut possis (licet iam sic ceperit multos) capi tendiculis eius. Rex illustris Anglorum Henricus secundus, maximus regum Britanniae, si initiis gestorum fuerit exitus concolor, circa Garonnam et (ut dicitur) te auctore te duce fulminat, et Tolosam felici cingens obsidione non modo Prouinciales usque ad Rodanum et Alpes territat, sed, munitionibus dirutis populisque subactis, quasi uniuersis praesens immineat, timore principes Hispanos concussit et Gallos. In tantis rerum tumultibus quaeso custodi innocentiam et uide et dicta et praedica aequitatem; nec amore nec odio, timore
b uel spe declines a uia recta. Iusti enim hereditabunt terram et, ut auctoritate constat Altissimi, semen impiorum peribit. Si haec, quae tibi sincera deuotione curaui scribere, in tanto tumultu legere non uacat, aut, quia insipida sunt sensibus, uerbis inculta, non placent; uel ipsa deuotio non displiceat quae honori tuo studuit inseruire. Si probaueris intentionem, patrocinaberis operi; sin autem, ut uolueris condempnetur. Quid enim ad alios ut seruum iudicent

---

6 ii^{us} CB: ii S   9 tholosam A   20 studuit tuo S^{1}

---

6 *Rex* etc. usque ad *Gallos*: excerpsit Pauli *M. G. H., SS.* xxvii. 51. 8 *Garonnam*: fluvium super quem sita est Tolosa. *fulminat*: v. Verg. *Georg.* iv. 561. 9 *Tolosam*: cf. supra i. prol. (388 D); *Ep.* 145 (ad Bartholomaeum episcopum Exoniensem; Migne *P. L.* cxcix. 134; ap. Robertson, *Materials for Hist. of Becket*, v. 378); *Metalog.* iv. 42 (945 A). *Prouinciales*: i. e. habitantes Comitatum Prouinciae, quae ultra Rhodanum sub Alpibus iacebat. 12 *principes Hispanos*: Henricum II in expeditione Tolosana inter alios secutus est (ut ait Will. de Novoburgo, ed. Howlett p. 123) *comes Barcinonensis uir magnus et potens nec infra reges consistens*, nomine Raimundus, qui iure uxoris suae regnum Arragonense habuit, sed *nec unquam uel rex uel dux sed comes tantum Barcinonensis appellari uoluit, licet ducatum Prouinciae, id est illius regionis quae sic dicitur et a Rhodano usque ad Italiae fines extenditur, cum regno Arragonum possideret* (ibid., p. 125; cf. Rob. de Torigneio, ed. Howlett pp. 200, 201). Sed comes Provinciae non Raimundus ipse sed frater eius natu minor patri, qui comitatum illum Dulciae uxoris dotem acceperat, a. 1130 successit; v. de Mas Latrie *Trésor de Chronologie*, p. 1665. 13 *custodi* etc.: v. Ps. xxxvi. 37. 15 *Iusti* etc.: v. Ps. xxxvi. 28, 29. 22 *Quid enim* etc.: v. Rom. xiv. 4.

alienum? Liber enim hic, ut quilibet suo, tibi domino stat aut cadit. Multitudinis imperitae non formido iudicia, meis tamen rogo parcant opusculis, etsi curiales sint quidam, quia libris eorum numquam derogaui in aliquo. Si preces meas audire noluerint, improbitatis iudicio tenebuntur obnoxii; quia, ut ait Martialis, improbe facit qui in alieno c libro ingeniosus est. Quae autem de curialibus nugis dicta sunt, in nullo eorum sed forte in me aut mei similibus deprehendi; et plane nimis arta lege constringor, si meipsum et amicos castigare et emendare non licet. Profecto qui ad haec rugabit nares, frontem contrahet, aut faciem rubore uestiet aut pallore confundet, cuius labia contrahentur aut salient, toxicabitur lingua, genua trement, manus proteruiet, seipsum nugis nostris conuincet obnoxium. In quibus fuit propositi semper a nugis ad bona transire seria et ad id quod decet aut prodest instituere uitam. Qui autem iustum reprehensioni locum uiderit, ea ex caritate licenter utatur et d emendatione mea adquirat sibi et possideat praemium uitae. Scio enim quia in multiloquio peccatum non deest; sed inuito et in caritate Dei exhortor lectorem quod memor in orationibus suis impetret ut Filius Dei uiui et Virginis intemeratae Deus homo manifestet seipsum et palam faciat uiam qua nobis incedendum est in beneplacito suo et dirigat in eo gressus nostros.

EXPLICIT POLICRATICVS IOHANNIS DE SARESBERIE.

17, 18 *post* et *add.* de S 20 exortor S quod] quo S 25 Explicit Policraticus Iohannis de Saresberie. Liber viii CB: Explicit policraticus Iohannis de Saresbirie A (Saresbiria A^{2}): Explicit Policraticus per Salomonem sub Abbate Roberto II° *Tum in manu recentiore* In hoc volumine continetur liber qui dicitur pollicraticon quem composuit Iohannes saresberiensis qui olim fuit cum sancto Thoma cantuariensi episcopo. *Additur manu etiam recentiore* Et postea fuit Episcopus Carnotensis in Francia. Et ideo a pluribus sic allegatur. Carnotensis in suo policraticon sic dicit tali libro uel taliter in tali libro. *Etiam additur manu saec. xv med.* Richardus Ramseus possidet M: Explicit S: viii^{us}. Explicit liber policraticon. vaerrus L. *add.* S^{2} (vaerrus L. *est, ut mihi indicavit v. d. Falconer Madan,* L. Surreau, *canonicus Rothomagensis, cuius liber erat c.* 1420.) *In cod. S manus saec. xiv uersus addidit quos in appendice subiunxi.*

6 *Martialis*: in praef. ad *Epigr.* Lib. i. 19 *in multiloquio* etc.: Prov. x. 19.

APPENDIX I

(*vide* t. ii, p. 379. 27 n.)

Exstant inter opera Hildeberti Cenomanensis episcopi et archiepiscopi Turonensis versiculi quidam de sacrae Scripturae applicatione morali, quorum nonnullos continent folia duo ex codice saec. xiii med. apud Francogallos (iudice v. d. Falconer Madan) manu scripto, qui inter libros patris mei, v. r. Beniamin Webb A.M. e Coll. SS. Trin. Cantab., apud Londinenses eccl. cath. S. Pauli praebendarii necnon eccl. paroch. S. Andreae de Wells-street vicarii, inventus est. Hunc codicem cum edd. Ant. Beaugendre (Par. 1708) et J. J. Bourassé (in Migne *Patrol. Lat.* t. clxxi) et cum opusculo v. cl. B. Hauréau, *Les mélanges poétiques d'Hildebert de Lavardin* (Par. 1882) contuli. Edd. punctuationem interdum emendavi.

1. *De triformi transgressione ade.* Vicit adam ueterem gula, gloria uana, cupido. = Be. col. 1230 § 6: Bo. col. 1280 § 6.

2. *Quod modis peccatur per gugam* (l. *gulam*). Est certum quod quinque modis gula dampnat edacem. = Ha. § 35, p. 70. (Be. col. 1336: Bo. col. 1411 § 69.) *Add. cod. meus v.* 13 Omnibus his gula summa fuit subuersio pridem.

3. *Quid nos peccare faciunt.* Quatuor esse reum faciunt: suggestio primum, = Bo. col. 1280 § 7. (Be. col. 1230 § 7.)

4. *Quid significat quod dominus prius respexit abel, post munera eius.* Respexit dominus ad abel, respexit ad eius = Be. col. 1211 § 3: Bo. col. 1263 § 8.

5. *Quid significat triformis distinctio arche.* Archa noe fuit arcta sed ampla (*add.* deorsum *ex Be., Bo.*) = Be. col. 1211 § 4: Bo. col. 1263 § 4.

   8. Sunt in ea rari quibus mens est spernere mundum, (mens *deest Be. Bo.*).

   10. Supprema *cod. meus*: superna *Be., Bo.*

6. *Quid significat duplex color iridis.* Iuditium per aquam transiuit, eritque per ignem. = Be. col. 1212 § 5: Bo. col. 1264 § 5.

   2. illud *cod. meus*: istud *Be., Bo.*

7. *Quid significat quod abrahe dictum est egredere de terra et de cognatione tua.* Est habrahe dictum: terramque tuosque relinque = Be. col. 1212 § 6: Bo. 1264 § 6.

8. *Quid significat abraham, quid filius, quid serui, quid asinus.* Patrem significat habraham; sua uictima christum; = Bo. col. 1265 § 10 (2).

6. Hic tamen est aries, non infans sacrificatus; = Bo. v. 7 Sic etc.

7. Sic christi caro non deitas est in cruce passa. = Bo. v. 8.

8. Ligna puer christusque crucem portasse feruntur. = Bo. v. 6.

9. *Quid significat duplex spelunca ubi abraham sarram sepeliuit.* Spelunca dupplice saram sepelisse uir eius = Be. coll. 1213, 1214 § 12: Bo. col. 1265 § 12.

3. magister *cod. meus* (*contra gramm.*): magistrum *Be.*, *Bo.*

6. contemplator et actiuus *cod. meus*: contemplatorque actiuus *Be.*, *Bo.*

10. *Quid significat quod sodomite non potuerunt intrare domum loth.* Vult intrare nequit fera gens sodomita domum loth; = Be. col. 1213 § 8: Bo. col. 1265 § 8.

4. actio sancta *cod. meus*: hospite sancto *Be.*, *Bo.*

11. *Quare loth fugiens sodomam* [*in*] *montes fugit.* Loth fugit ardentem sodomam montesque requirit; = Be. col. 1213 § 9: Bo. col. 1265 § 9.

12. *Quid significat quod ysaac dixit ad iacob: ecce* [*odor*] *filii mei sicut odor agri pleni et cetera.* Plenus ager florum, plenum uirtutibus orbem, = Be. col. 1214 § 13: Bo. col. 1265 § 13.

2. Pocula doctrine flos uue, lilia iustos,

3. Martirium rosa, flos uiola que serpit in imo, *sic codex meus*: Pocula doctrinae flos violae quae serpit in imo *Be.*, *Bo.*

5. Iacob est populus gentilis *cod. meus*: Filius est populus gentilis *Be.*, *Bo.*

6. Iam sperissus (*sic*) credat *cod. meus*: Sparsus iam credit *Be.*, *Bo.*

13. *Quid significat quod rebecca ueniens ad ysaac cum uidiit* (l. *uidit*) *eum descendit de camelo et pro pudore operuit faciem suam panno.* Dum sponsum rebecca uideret uecta camelo. = Be. col. 1213 § 11: Bo. col. 1265 § 11.

1. Dum *cod. meus*: Cum *Be.*, *Bo.*

14. *Quid significat hystoria de ioseph et fratribus.* Per iacob patrem, per ioseph concipe christum, = Be. col. 1214 § 15: Bo. col. 1266 § 15.

1. concipe *cod. meus*: respice *Be.*, *Bo.*

5, 6. fratres occidere fratrem Querunt, iudei christum. *cod. meus*: fratres fratri machinantur Mortem; Iudaei Christo. *Be.*, *Bo.*

10, 11. suscipit illum Egiptus: christum credendo suscipit orbis *cod. meus*: ductus Aegyptum Est Ioseph, Christique fides est nota per orbem *Be.*, *Bo.*

15. *Quid significat hystoria de dina: egressa est (?) dina ut uideret mulieres aliene regionis, quam cum uidisset sychem princeps terre illius adamauit, qui uirginem oppressit, tristemque blandiciis deliniuit etc.* Exiit ignotas mulieres dyna uidere. = Be. col. 1214 § 14: Bo. col. 1266 § 14.

3. dyna *cod. meus*: digna *Be.*, *Bo.*

16. *Quid significat: moyses tenens uirgam proiecit eam, et uersa est in colubrum et moyses timore fugit: sed iussus (?) a domino apprehendit postea caudam serpentis, et uersus est coluber in uirgam.* Israel est moyses et uirga superna potestas; = *Be.* col. 1214 § 16: Bo. 1266 § 16.

5. fuit *cod. meus* (*contra metr.*): fit *Be.*, *Bo.*

8. corpus Christi *cod. meus* (*contra metr.*): Christi corpus *Be.*, *Bo.*

17. *Numeracio decem plagarum egypti.* Prima rubens unda; Rane tabesque secunda; = Ioann. Sares. *Policr.* viii. 21 (797 C): Ha. § 67, p. 121: Be. col. 1360: Bo. col. 1436 § 122.

2. nociuior *Io. Sa.*, *cod. meus*, *Ha.* (*v. l.*), *Be.*, *Bo.*; nocentior *Ha.*

4. Pone *Io. Sa.*, *cod. meus*, *Ha.*: Pene *Be.*, *Bo.*

5. necat *Io. Sa.*, *cod. meus*, *Ha.*: vexat *Be.*, *Bo.*

18. *Quid significat exitus israel de egypto per mare rubrum.* Egiptus mundus, pharo sathan, israelite = Be. coll. 1214, 1215 § 17: Bo. col. 1266 § 17.

1. *Cod. meus ut supra*: Israelitae nos; Pharao, Satan; orbis, Aegyptus; *Be.*, *Bo.*

2. Nos; baptisma rubrum mare; *cod. meus*: Baptismus rubrum mare; *Be.*, *Bo.*

4. In ierusalem *cod. meus* (*contra metr.*): Ierusalem *Be.*, *Bo.*

19. *Quare filii israel fuerunt in deserto xl. annis.* Exploratores iericho tardasse diebus = Be. col. 1216 § 24: Bo. col. 1268 § 24.

20. *Quid significat quod domino languente* (l. *loquente*) *in monte fumante stestit* (l. *stetit*) *populus a longo et moyses accessit ad caliginem in qua erat deus.* Mons fumat, deus hinc loquitur, stat turba deorsum, = Be. col. 1215 § 18: Bo. coll. 1266, 1267 § 18.

1. hinc *cod. meus*: hîc *Be.*: hic *Bo.*

2. Accedit moyses; moyses est quisque magister; *cod. meus*: Accessit Moyses; idiotae turba, magistri *Be.*, *Bo.*

3. Nescia turba rudes; obscura parabola fumus. *cod. meus*: Dux populi, fumus obscura parabola fertur. *Be.*, *Bo.*

4. Mons scriptura; deus in fumo mistica profert; *cod. meus.* Cum Deus in sacra scriptura mystica profert, *Be.*, *Bo.*

5. Sunt *cod. meus*: Stant *Be.*, *Bo.* capientes *cod. meus*: cupientes *Be.*, *Bo.*

6. scrutantes *cod. meus*: scrutantur et *Be.*, *Bo.*

21. *Quid est quod moyses precepit filiis leui ut accincti gladio irent de*

porta ad portam et occiderent unusquisque proximum et fratrem suum. Accintis gladio de porta precipit ire = Be. col. 1215 § 19: Bo. col. 1267 § 19.

1. Accintis *cod. meus*: Accinctus (*f.* Accinctos) *Be.*, *Bo.*

5. Persequitur uerbo, currens per singula transit *cod. meus*: currens *deest* (*contra metr.*) *Be.*, *Bo.*

8. qui vicerat ante *cod. meus*: cui vixerat ante *Be.*, *Bo.*

22. *Quid significat quod moyse stante in petra oblexit eum dominus manu donec transiret, et uidit posteriora dei transeuntis.* Dum staret moyses in petra pretereuntis = Be. col. 1215 § 20: Bo. col. 1267 § 20.

1. Dum *cod. meus*: Cum *Be.*, *Bo.*

23. *Quid significat quod in mensa domini preparabantur phiale et cyathi.* In mensa domini phiale cyathique parantur. = Be. col. 1215 § 21: Bo. col. 1267 § 21.

24. *Quid significat quod in basibus templi sculpebantur cherubin et boues et leones.* In base sunt cherubin, sunt et bos et leo sculpti. = Be. col. 1215 § 21: Bo. col. 1267 § 21.

4. presbiterio *cod. meus* (*contra metr.*): presbytero *Be.*, *Bo.*

25. *Quid significat quod dicitur: Non indues uestem lana linoque contextam.* Vestem contextam lana linoque recusam. = Be. col. 1216 § 26: Bo. col. 1268 § 26.

4. Per linum subtile dolum qui simplicitatem *cod. meus*: *deest Be.*, *Bo.*

5. Exterius monstrat *cod. meus*: Quam foris ostendit *Be.*, *Bo.*

6. Linum sub lana fert *cod. meus*: Lanam et linum qui fert *Be.*, *Bo.*

7. Qui prius in uerbo fraudes animo meditatur. *Be.*, *Bo.*; *deest cod. meo.*

26. *Quid significat quod in podera tunica sacerdotali erant inserta tintinnabula et mala punica.* Aurea pontificis pendebant insita uesti = Be. col. 1216 § 22: Bo. col. 1267 § 22.

5. coniungit *cod. meus* (*contra gramm.*): coniungunt *Be.*, *Bo.*

6. quis *cod. meus* (*contra metr.*): quisque *Be.*, *Bo.*

27. *Quid significat quod in sacrificio uitule combinantur cedrus et ysopus et coccus bis tinctus.* Mactandam uitulam comitantur cedrus, ysopus, = Be. col. 1216 § 23: Bo. col. 1267 § 23.

1. Mactandam *cod. meus*: Mactatam *Be.*, *Bo.*

4. Nostra fides *cod. meus*: Vera fides *Be.*, *Bo.*

9. hec uirtus *cod. meus*: virtus haec *Be.*, *Bo.*

28. *Quid significat oblacio columbe et turturis.* Hostia turturis atque columbe mistica res est; = Be. col. 1226 § 14: Bo. col. 1277 § 14.

4. fies *cod. meus*: fides *Be.*, *Bo.*

29. *Quod significat quod asa sedens in asino flens et suspirans petiit a patre suo caleph irriguum superius et inferius et datum est ei.* Asa caleph nobis animam designat, asellus = Be. coll. 1216, 1217 § 27: Bo. col. 1268 § 27.

1. Asa *cod. meus*: Nata *Be.*, *Bo.*

3. Et regit hos motus *cod. meus*: Haec regit, is regitur *Be.*, *Bo.*

5. timore *Be.*, *Bo.*: *deest cod. meo (contra metr.).*

30. *Quid significat quod Ruben et gad et dimidia tribus manasse petierunt gregibus suis pascua ultra iordanem, nolentes remanere in terra promissionis.*

Cum pecudes multas habuissent pascua querunt
Extra iordanem nec amant habitacula terre
Promisse ruben gad dimidiusque manasses;
Sic nimis intenti terrenis rebus auari
Extra celestem patriam remanere merentur.

Hi versus in Hildeberti edd. non inveniuntur.

31. *Quid significat quod Sanson euerso templo in morte sua multos interfecit.* Sanson significat christum, subuersio templi = Be. col. 1217 § 29: Bo. col. 1268 § 29.

32. *Quid significat quod dominus ter uocauit samuelem.* Quare ter samuelem uox diuina uocauit, = Be. col. 1217 § 30: Bo. col. 1268 § 30.

2. uoce uocantem *Be.*, *Bo.*: uoce *deest cod. meo (contra metr.).*

33. *Quid significat quod dauid citharizando potuit lenire furorem saulis.* Dauid per cytharam potuit lenire furorem = Be. col. 1217 § 31: Bo. col. 1268 § 31.

34. *Quid significat quod ioab percussit abner in inguine et mortuus est.* Abner presbiteros signat sermone latino ; = Be. col. 1217 § 32: Bo. coll. 1268, 1269 § 32.

3. Claros doctrina dat tanquam lumina mundo. *cod. meus*: Dat tamen doctrina quam vita et lumine mundo. *Be.*, *Bo.*

4. percutit hunc ioab, et iohab *cod. meus*: percussit Ioab hunc, Joab *Be.*, *Bo.*

35. *Quare diuisum est regnum iudeorum in duas partes.* Terram mefiboshesh dauid diuisit inique = Be. col. 1218 § 34: Bo. col. 1269 § 34.

3. hoc in posteritate recepit *cod. meus*: hoc in potestate receptis *Be.*, *Bo.*

36. *Quid significat quod salomon dicit in parabolis: frustra iactatur rete ante oculos pennatorum.* Coram pennatis tenduntur rea (*l.* retia) frustra. = Be. col. 1220 § 47: Bo. col. 1271 § 47.

3. iustis *cod. meus*: structos *Be.*, *Bo.*

37. *Item quod dicitur: circulus aureus in naribus suis mulier pulcra et*

fatua. Stulta decensque simul mulier quasi circulus auri = Be. col. 1220 § 48: Bo. col. 1271 § 48.

38. *Item quod dicitur in canticis: filie ierusalem uenite et uidete regem salomonem in tuademate* (l. *diademate*) *quo coronauit eum mater sua.* Quomodo suscepit salomon a matre coronam? = Be. col. 1221 § 49: Bo. col. 1272 § 49.

39. *Quid causa quod nabugodonosor rex babilonis muros ierusalem non potuit destruere nisi per nabuzardan principem cocorum.* Per nabuzardan destruxit rex babilonis = Be. col. 1218 § 37: Bo. coll. 1269, 1270 § 37.

5. Vnde petrus: Viui lapides uos estis; et istos *cod. meus*: Vnde Petrus: Vivos lapides vos aedificatos. *Be., Bo.*

40. *Quid significat liber qui datus est ezechieli in quo scripte sunt lamentationes et carmen et ve.* Mentis in excessus datus est liber esechieli; = Be. col. 1219 § 43: Bo. col. 1270 § 43.

1. excessus *cod. meus*: excessu *Be., Bo.*

41. *Quid significat quod iob testa saniem radebat.* Peccatum sanies; sanies hec defluit extra = Be. col. 1218 § 38: Bo. col. 1270 § 38.

4. iob testa saniem radit *cod. meus*: Iob saniem radit testa *Be., Bo.*

42. *Quid significat quod dicitur in iob: beemoth absorbebit et non mirabitur, sed habet fiduciam quod influat iordanis in os eius.* Absorbet beemoth fluuium speratque quod ori = Be. col. 1219 § 39: Bo. col. 1270 § 39.

43. *Quid significat quod propheta dicit tres uiros saluandos tantum scilicet noe iob daniel.* Iob noe daniel sunt saluandi teste propheta; = Be. col. 1230 § 11: Bo. coll. 1281, 1282 § 11.

6. Pistrinum *cod. meus*: Pristinum *Be., Bo.*

8. sponsis *cod. meus: Be.* (*v. l.*), *Bo.* (*v. l.*): sponsus *Be., Bo.*

9. Hic manet ad penam; felix capit ille coronam *cod. meus*: Hic manet ad poenam raptus; capit ille coronam *Be., Bo.*

44. *Item quod dicitur: Cuius ignis in syon et caminus in ierusalem.* In syon ignis in ierusalemque caminus; = Be. col. 1219 § 41: Bo. col. 1270 § 41.

4. spectatur; et isti *cod. meus*: speculatur; in ista *Be., Bo.*

5. sed nondum plenus; in ipsa *cod. meus*: sed non plenus; sed in illa *Be., Bo.*

6. paxque *cod. meus*: parsque (*s.* paxque) *Be., Bo.*

45. *Item in psalmo In salicibus: tenebrosa aqua, in nubibus aer.* Doctrinam per aquam, per nubes sume prophetas. = Be. col. 1219 § 44: Bo. col. 1270 § 44.

46. *Item in psalmo: In salicibus in medio eius.* Vt fertur salices sunt in medio babilonis. = Be. col. 1220 § 45: Bo. col. 1270 § 45.

47. *Item in psalmo: simul in unum diues et pauper.*

Nostre nature deitas unita refertur
In christo; sic sunt diues egensque simul.

Hi versus, quos versibus Vt fertur salices, etc., *praefixit Be., in ed. Bo. omnino desunt.*

48. *Quare non de simplici sed desponsata uirgine uoluit* [*Christus*] *nasci hec est ratio.* Cur uoluit de desponsata uirgine nasci = Be. col. 1224 § 1: Bo. col. 1275 § 1.

3. clientis egebat *cod. meus*: clientis agebat (*s.* consortis egebat) *Be., Bo.*

49. *Quid significat quod dominus fecit aquam uinum et quid significant ydrie et quare sex dicuntur.*

Sunt ydrie mentes doctrine fonte replete;
Historicus sensus aqua; uinum spiritualis.
Cum nos historiam reuocamus ad allegoriam,
Tunc aqua fit uinum; quia sex etatibus orbis
Voluitur, has ydrias scribit sex esse iohannes.

Hi versus non exstant in edd. Hildeberti.

50. *Quid significat uinea, qui operarii, quid sex hore.* Vinea culta dei plebs est; infantia mane, = Be. col. 1225 § 4: Bo. coll. 1275, 1276 § 4.

51. *Item ex euangelio quid est: exiit qui seminat*, etc. Petra capit semen, uia, sentes, optima terra; = Be. col. 1225 § 3: Bo. col. 1275 § 3.

52. *Quid significat quod dominus saciauit v. milia hominum ex v. panibus et duobus piscibus.* Panes quinque, duos pisces dat quinque uirorum = Be. coll. 1227, 1228 § 21: Bo. col. 1278 § 21.

6. qui panes portat hebreus *cod. meus*: Qui fert, Hebraeorum *Be., Bo.*

53. *Item ex euangelio expositio parabole in qua dominus seruis talenta ad lucrum partiuit.* Traduntur seruis mine duo, quinque talenta. = Be. col. 1225 § 7: Bo. col. 1276 § 7.

1. *Cod. meus ut supra*: Dat dominus servis unum, duo, quinque talenta *Be., Bo.*

3. Designatur actus *cod. meus* (*contra metr.*): Designantur et actus *Be., Bo.*

4. Intellectus; intellectu *cod. meus* (*contra metr.*): Intellectus; in intellectu *Be., Bo.*

5. nil mina lucratur *cod. meus*: nihil ipse lucratur *Be., Bo.*

6, 7. Vt se mortificans, concors cum fratribus et fit,
Et fiat doctor; domini sit cuius oportet.

Sic cod. meus (v. Matt. xxv. 28): Qui uerbo et uita prodest, fert lucra duorum *Be., Bo.*

54. *Quid significant tres mortui a domino resuscitati et quid quatuor dies lazari.* Mens mala mors intus; malus actus mors foris; uterque = Be. col. 1228 § 23: Bo. col. 1279 § 23.

1. Mens *cod. meus, Be.*: Mors *Bo.*
uterque *cod. meus*: usus *Be., Bo.*

55. *Quid designat quod iuuenis in passione abiecta sindone fugit.* Qui res mundanas pro relligione relinquit, = Be. col. 1226 § 13: Bo. col. 1277 § 13.

56. *Quomodo iudei dicuntur colare culicem et camelum* [*glutire*], *quod factum est in christi passione.*

Desunt cetera. Versus qui statim secuti sunt sine dubio iidem fuerunt quos invenies Be. coll. 1231, 1232 § 12, *Bo. col.* 1282 § 12.

Ceterae codicis paginae continent Bernardi Silvestris librum de Mundi Universitate, *quem typis commiserunt apud Oenipontum a.* 1876 *vv. dd. C. S. Barach & Joh. Wrobel in* Bibliotheca Philosophorum Mediae Aetatis *usque ad verba* Velle Dei, mixtura modum, modulatio nexum *iv.* 5, *B. & W. p.* 5.

APPENDIX II

(*vide* t. ii, p. 425. 25 app. crit.)

Sequuntur versiculi de fallacia mundi quos in cod. S pagina postrema man. saec. xiv scripsit, nec alibi (quod sciam) typis commissos invenies.

Queritur a mundo quod totus non daret uni
Subditus ut faciat inde beatus homo.
Qui timet aut sperat gaudetue doletue beatus
Non erit; hec mundi sunt mala mixta bonis.
Hec mala mundus habet que motu temporis omni
Crescunt, augmentis multiplicata suis.
Prospera mutantur aduersis, tristia letis;
Sic rota fortune nobilis illa monet.
Presidet hec mundo, mundanis hec dominatur,
Ludit et in rebus, moribus usa suis.
Summa premit, mox yma leuat; sic omnia turbat,
Nec sinit ulla leuis firma manere diu.
Et nichil his stabile, firmum nichil, omnia cursu
Precipitata leui preteritura ruunt.
Hec stimulant, angunt, cruciant mundana sequentem;
Ergo cum mundo nemo beatus erit.
Quid nos exilium delectat? quid peregrini
Esse diu uolumus? quid uia longa iuuat?
Hic labor et dolor est; mala nos hic undique turbant;
Hic nunquam requies integra parsue manet;
Hic requies labor est, quia, dum corpus requiescit,
Concutitur multis mens agitata malis.
Corporis in requiem plebs insurgit uiciorum,
Inque uoluptates mens resoluta ruit.
Pacis prosperitas, elacio prosperitatis
Est comes; hec uicia cetera queque parit.
Quem nemo uexat, mundus cum principe mundi
Impetit et uiciis uexat amica caro.

2. *l.* fiat   8 *forsan l.* mobilis

Non est hic quisquam triplici securus ab hoste,
  Qui fallit, blandis undique bella mouens.
Mundus diuiciis, uiciis caro, spiritus istis
  Immundus pugnat, omnibus usus eis.
His uia plena malis, his turbamur peregrini,
  Exilium nos his hostibus usque premit.
Hec quia delectant, his irretitus amando,
  Hic grauis ad patriam tardius ire uolet.
Exilium nobis est mundus, patria celum;
  Hic iter est, ibi nos mansio certa manet.
Hoc post exilium patria uel carcere dignum
  Scimus pro meritis quemlibet esse suis.
Exclusos patria carcer concludet auerni,
  Luctus ubi prepes, iugis et horror erit.
Post mundi cursum, cum celi celsa patebunt,
  Gaudia percipiens summa beatus erit.
Premia diuersis meritis diuersa dabuntur,
  Mors eterna malis, uita beata bonis.
Dum licet, ergo sibi studeat sibi quisque mereri,
  Ne, cum non liceat, postea sero uelit.
Sero uolet fecisse bonum cum meta merendi
  Nullius imperio mors reprimenda uenit.
Ex se nemo tamen reputet bona quelibet esse;
  Ascribat meritis premia nemo suis.
Velle bonum nemo poterit, nisi gratia donet;
  Inchoat et peragit gratia sola bonum.
Gratia uelle mouet, motum iuuat unde meretur;
  Hec reddit meritis premia grata suis.
Gratia dat merita, gratia dat premia sola;
  Preueniens illa donat et ista sequens.
Hec nisi preueniat, nisi si comitetur et illa,
  Nil labor aut meritum, nil ualet arbitrium;
Erigit arbitrium, multum regit atque laborem
  Dirigit, et claudit omnia fine bono;
Hac sine nulla ualent, hec assit omnia prosunt,
  Solaque si desit cetera queque nocent.
Dum peregrinamur, dum mundus abit fugitiuus,
  Hec nobis assit, hec bona nostra regat.
Confidat nemo de rerum prosperitate;
  Prospera pretereunt mobilitate leui,
Diuicie fugiunt, nec permanet ulla potestas,—
  Qui modo summa tenet, ultima terra tegit.

61. *l.* meritum

Mors instat, finis properat, fugitiuaque uita
  Cedit, et ut fumus gloria queque perit.
Herba uirens hodie cras fiet marcida fenum,
  Hinc cibus ignis erit; sic honor omnis abit.
Fenum iumentis cibus est, et eo saciantur;
  Gloria quos pascit non saturantur ea.
Candida denigrat et turbat lumina fumus;
  Mentem ne uideat optima cecat honor.
Iumentis fiunt similes, racione carentes,
  Gloria quos tumidos reddit et inflat honor.
Deest uersus hexameter
  Quid mundus totus utilitatis habet.
Hec possessa diu multoque peracta labore
  Mortis in aduentu dissipat hora breuis.
Multus in his labor est et maxima sollicitudo,
  Sed, cum floruerint, ultima luctus habet.
Prosperitas fallax et deliciosa uoluptas
  Sunt quibus arrident perdicionis honus;
Extollunt stultos, quos insperata ruina
  Deicit et tandem mortis ad yma premit.
Sed quid hos magnos reputat qui rebus habundant
  Et res propterea multiplicant et amant,
Multiplicata tamen alienis cuncta relinquent,
  Et cum mors aderit, diuidet hec ab eis?
Nudum quem fudit genitrix, hunc terra resumet
  Nudum; sic hominis exitus omnis erit.
Qui cumulauit opes nec eas dispersit egenis,
  Omnibus ille bonis semper egebit inops.
Felix qui rebus fuerit sic temporis usus
  Post hec eternis possit ut ipse frui.
Vita quid est hominis? breuis expectacio mortis;
  Exoptata uenit mors, cito uita fugit.
Et quid de uita presumitur, omnibus horis
  Cum sit in insidiis mors, subeunda semel?
Mors non effugit, dilata licet uideatur.
  Cunctos inuoluens mors facit equa pares;
Aut puer aut iuuenis aut uir aut pluribus annis
  Maturus mortis debita soluet homo.
Quid refert quando moriatur qui moriturus
  Nascitur et nullo tempore tutus erit?
Rex simul et uulgus, pariter cum paupere diues
  Cogitur inuitus mortis inire uias.

91. *l.* eos   *l.* reputas

Non redimit regem magnis metuenda potestas,
  Nec reuocat uitam res cumulata diu.
Vita fugit uelut unda fluens, uelut aura uel umbra;
  Quiduis preteriit mors inimica tenet.
Certi de morte sumus omnes, sed tamen hora
  De mortis nemo certior esse potest;
Hec incerta uenit; uiuamus cautius ergo,
  Terminus ut uite terminet omne malum.

Explicit policraticus.

INDEX NOMINVM PROPRIORVM

INDEX NOMINVM PROPRIORVM

INDEX NOMINVM PROPRIORVM

INDEX VERBORVM

INDEX AVCTORVM

Saeculo post Christum sexto decimo antiquiorum, quos aut ipse in Policratico citauit Ioannes Saresberiensis aut ad librum istum illustrandum ego adhibui.

† *indicat opus auctori falso attributum.*

INDEX AVCTORVM

INDEX AVCTORVM

ADDENDA ET CORRIGENDA

P. 1. Ioannis Saresberiensis *Entheticum in Policraticum* ut *Nigelli uersus ad dominum Gulielmum Eliensem* in codice Cottoniano 'Iulius' A. vii invenit et in editione sua operum Nigelli ecclesiae Cantuariensis praecentoris typis commisit Thomas Wright (*The Anglo-Latin Satirical Poets and Epigrammatists of the Twelfth Century*, i. 231 seqq.). Sed codicis supra dicti scriptor Nigelli *Speculo Stultorum* Ioannis *Entheticum* tacito auctoris nomine praefixit, Nigello tamen ipsi non attribuit.

5. 26 n. § 37 *l.* (37) § 122

6. 19 n. 318 *l.* 317

7. 2. *Et corpus* etc.: v. Is. vi. 2.

7. 17. *Odoni*: Notandum est exstare in bibliotheca Coll. SS. Trin. apud Cantabrigienses (B. 3. 33) codicem quendam ad Gilbertum Foliot episcopum Londoniensem Ioannis nostri coaetaneum inscriptum, cui titulus est *Odonis Isagoge in theologia.* Probabiliter conici potest huius operis auctorem, qui (quod apud Anglos isto saeculo rarissimum erat) Hebraicae linguae sciens fuisse videtur, eundem esse ad quem *Ep.* 284 de rebus ad interpretationem Veteris Testamenti pertinentibus miserit Ioannes; v. M. R. James, *MSS. in Trinity College, Cambridge*, i. 431 seqq.; *Cambridge Modern History*, i. 588; *Social England* (illustr. ed.), i. 487 ubi depingitur pagina quaedam codicis supra dicti.

7. 18 n. 1167–1682 *l.* 1667–1682

7. 22. *Pelle leonina* etc.: cf. Nigelli *Spec. Stult.*, ap. Wright op. cit. i. 13 *Pelle leonina tectum detexit asellum Fastus et excedens gloria uana modum.*

11. 1. *Tam quod habet* etc.: v. Publ. Syr. (ed. Meyer, p. 57) ap. Sen. *Controv.* vii. 3 § 8; Quintil. *Inst. Or.* viii. 5 § 6, ix. 3 § 64; Hieron. *Ep.* liii. 10, c. 15 (Migne *P. L.* xxii. 549, 826) *Tam deest auaro quod habet quam quod non habet.*

12. 2. *Iocundissimus* etc.: Sic exorsum Ioannem ad Gellii praefationem respexisse vidit Hertzius in Gellii *Noctium Atticarum* ed. mai. i, p. 1.

16. 20 n. c. 30 *l.* i. 30

17. 11 n. xxxiii *l.* cxxxiii

20. 10 n. 2 §§ 3–18 *l.* 2. 3 § 18

21. 7 n. ii. 23 *l.* iii. 2, 3

23. 7 n. §§ 6, 7 *l.* §§ 149, 150

23. 14. *chironomanta*: cf. infra ad c. 12, 408 c.

25. 9 n. 37 *l.* 126

26. 9 n. xvi. 2 *l.* xvi. 3

26. 12 n. 62 *l.* 61

27. 8 n. 5 *l.* §§ 113 seqq.

27. 21 n. xii *l.* xi

29. 11 n. *add.* (Migne *P. L.* xxv. 1201, xv. 1312).

29. 17 n. Sept. v. *l.* Sept. vi.

30. 8 n. ii *l.* c. 11

30. 9. Nominibus regum et principum inter venandum interfectorum addi potest nomen Vratislai ducis Bohemiae, qui a. 1093 ut ait *Annalium Hildesheimensium* scriptor (Pertz, *Mon. Ger. Hist.*, *SS.*, iii. 106) *in uenatu de ęquo cadens subitanea morte discessit.* Hoc nomen mihi indicavit vir valde deflendus T. A. Archer.

39. 6. *Pictagoram*: cf. Boeth. *de Mus.* i. 10 seqq. (Migne *P. L.* lxiii. 1176 seqq.)

42. 5. *sirenarum concentus*: cf. Petron. *Sat.* § 127

42. 21 n. lxxi *l.* lxx

42. 22, 23 n. 2, 4 *l.* 34

43. 15 n. xiii. 2 *l.* xiii. 1

44. 22. *cena*: *scaena* Suet.

44. 23 n. 30 med. *l.* 40 med., 41

47. 5 n. 12 *l.* 11

48. 6. *turpiter inclusum*, etc.: v. Hieron. *adv. Iovin.* ii. 10 (Migne *P. L.* xxiii. 300) *quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt*; cf. infra, viii. 8 (738 B).

48. 20 n. 20 *oculos meos l.* 22 *oculus meus*

48. 26 n. (ex Cypr. lib. i. ep. 10) *l.* (ex Cypr. *Ep.* 2. c. 1, ed. Hartel, p. 467, Migne *P. L.* iv. 373, *Ep.* i. 61)

49. 15 n. § 23 *l.* § 33

49. 19 n. clxii *l.* clxxvi

50. 23. Isid. *Orig.* viii. 9 *l.* v. Isid. *Orig.* viii. 9 §§ 15, 16

50. 26 n. Exod. xx *l.* Exod. xxii

51. 6. *Aruspicium* etc.: Isid. *Orig.* viii. 9 § 34

51. 7 n. v *l.* vi

51. 8 n. 626 *l.* 636, 637

54. 12 n. iv. 3 *l.* i. 4 § 3

55. 2 n. 62 *l.* 6 ext. 2

55. 5 n. 45 *l.* § 5

56. 18 n. *bissenos* l. *bis senos*

56. 23. *alarionem*: v. de alarione librum qui *Physiologus* uocatur ap. Cahier et Martin, *Mélanges d'Archéologie*, ii. pp. 162 seqq.

58. 3 n. 401 *l.* 40

66. 19 n. 1425 *l.* 142

67. 11 n. 189 *l.* 109

69. 15 n. v. 11 *l.* iv. 41

70. 5. solicitos *l.* sollicitos

84. 24 n. 180 *l.* 1180

85. 10 n. 41 *l.* 141

85. 21 n. 30 E *l.* 30 A

87. 17 n. 32 *l.* 22

88. 6 n. *Il.* ii. *l.* *Od.* xix. 560 seqq.

88. 12. *ad celum* etc.: Verg. *Aen.* vi. 896.

89. 26 n. 5 *l.* 15

90. 22 n. *ero* l. *evo*

90. 24. uariis *l.* uanis;
Ibid. app. crit. 24 *add.* uariis C B A S M.

91. 19 n. c. lxxiv *l.* c. clxxiv

93. 23 n. iii. 10 seqq. *l.* x. 10 seqq.

94. 17 n. iii. 10 seqq. *l.* x. 10 seqq.

95. 14. disciplina, *l.* disciplina

100. 30 n. ii. 11 *l.* ii. 111

108. 23 n. lib. vii *l.* i. 3 seqq.

111. 30, 31 n. xlv *l.* cxlv
117. 33 n. 5 *l.* 3
119. 16 n. Isid. *Orig.* viii. 93 *l.* Isid. *Orig.* viii. 11 § 93
120. 27 n. i. 2 *l.* i. 22 § 2
122. 13. *in quo Latinitas* etc.: v. Quintil. *Inst. Or.* x. 1 § 105. Huius loci meminisse videtur B. Jonson in laudibus Shakespearii (ed. Gifford, viii. 331, *Underwoods*, xii *Leave thee alone for the comparison Of all that insolent Greece or haughty Rome Sent forth, or since did from their ashes come*) et Francisci Baconi (ed. Gifford, ix. 184, *Discoveries*, in scriptorum catalogo, *He who hath . . . performed that in our tongue, which may be compared or preferred either to insolent Greece or haughty Rome*).
122. 16, 17 n. Cic. *de N. D.* i–v §§ 1–12 *l.* Cic. *de N. D.* i. 1–5 §§ 1–12
122. 19 n. *Lael.* l. *de Amicit.*
124. 28 n. Sen. *Ep.* i. 2 *l.* Sen. *Ep.* 1 § 2
127. 29 n. 35 *l.* 33
128. 12, 13 n. Exod. *l.* Is.
130. 27 n. 2 *l.* 27
131. 18 n. 303, 304 *l.* 203, 204
134. 6 n. 2 *l.* 10
139. 4 n. 137 *l.* 139
Ibid. x. 12 *l.* xv. 25
139. 13 n. xvi *l.* xxii
141. 2. *quod tamen de Homero uerius diceretur*: ut a Valerio Maximo ix. 12 *ext.* 3; cf. infra vii. 5 (647 B).
141. 9. *Flauianus*: v. V. Rose *de librorum Aristotelis ordine et auctoritate*, p. 253 seq. Coniecit vir doctus Flauianum illum 'cuius librum *de uestigiis philosophorum* locis nonnullis infert Saresberiensis et antiquum temporis Romanorum scriptorem habuisse uidetur' non eundem fuisse quem in *Saturnalibus* loquentem induxit Macrobius sed potius quem praeceptorem habuit Paulus Diaconus sec. Paulum ipsum *de gestis Langobardorum* vi. 7. Cf. infra ad viii 11, 749 A.
142. 18 n. i. 10 *l.* 10 § 4 (Migne *P. L.* lxxv. 112)
144. 1 n. p. 189 *l.* pp. 185 seqq.
147. 11 n. *Herbes* l. *Herbis*
148. 3 n. 10 *l.* 12
150. 29, 30 n. 4 *l.* 44
151. 16. *duorumque* etc.: cf. Hieron. *adv. Iovin.* i. 16 (Migne *P. L.* xxiii. 236) *non esse bonum duplicem numerum, quia ab unione diuidat*; Wycliffe *de Dominio Divino* (ed. Poole, p. 22) *Binarius enim secundum arismeticos est infamis propter recessum primum ab unitate.*
153. 11 n. Matt. xli *l.* Matt. xii
153. 16 n. 2 Reg. *l.* 1 Reg.
156. 8 n. 2 Reg. *l.* 1 Reg.
156. 20 n. 6 *l.* 26
156. 32 n. 2 Reg. *l.* 1 Reg.
158. 5, 6 n. clv (*Ouvr. Inéd.* pp. 155 seqq.) *l.* cliv (*Ouvr. Inéd.* ed. Cousin pp. 155 seqq.; clv, ed. Henke & Lindenkohl pp. 416 seqq.)
158. 11 n. Abia *l.* Ahia
162. 2. *Non utique* etc.: De ignorantia iuris cf. Cod. Iust. i. 18.
162. 8. *qui ignorat* etc.: v. 1 Cor. xiv. 38; Greg. M. *Mor.* xv. 53 in Iob xxi. 21, et *Reg. Past.* i. 1 (Migne *P. L.* lxxv. 1112, lxxvii. 15); Grat. *Decret.* I. 38. c. 10 (ed. Friedb. i. 143).
170. 22 n. 77 *l.* 25

171. 13, 14. *Deus etenim uita animae est*: cf. Aug. *Conf.* x. 6 *ad calc.*, x. 20 *sub init.*, Greg. Naz. *Or.* ii. § 17 (Migne *Patrol. Graec.* xxxv. 427) ἵν', ὅπερ ἐστὶ θεὸς ψυχῇ, τοῦτο ψυχὴ σώματι γένηται. Hanc Orationem Latine versam in manibus habuisse Ioannem scimus ex *Policr.* vii. 18, 19, ubi vide commentarium nostrum.

173. 20 n. 17 *l.* 19

175. 4 n. ΣΕΑΥΤΟV l. ΣΕΑΥΤΟΝ

175. 28 n. 47 *l.* 25

181. 24, 25 n. § 29 *l.* § 35

185. 9 n. x. 34 *l.* x. 31. 34

206. 1 n. 47 *l.* 46

207. 23 n. II. 18 *l.* I. 118

210. 4 n. 21 *l.* 17 seqq.

211. 9 n. 17 *l.* 18

212. 11 n. *Florilegium* l. in *Florilegio*

218. 22, 23 n. 14 *l.* 12

222. 1 n. *Virbius* l. *Virius* (bis)

228. 28, 29 n. 67 *l.* 68

231. 22 n. 32 *l.* 31

237. 13 n. post *coaequiparat* add. (*Summ.* ed. Basil. 1563 col. 1070).

237. 16, 17. *Lex uero* etc.: v. Gierke *Das deutsche Genossenschaftsrecht* iii. 626 n. 294.

239. 20. *Hunc ergo gladium* etc.: v. Gierke *Das deutsche Genossenschaftsrecht* iii. 523 seqq. n. 14 seqq.

246. 6 n. Libellus *de bono regimine principum*, qui inter Helinandi opera inuenitur (Migne *P. L.* ccxii. 735 seqq.), totus ex *Policr.* vii. 4 seqq. desumptus est.

249. 30 n. ii. 1 § 12 *l.* iii. 2 § 12

251. 16 n. 11 *l.* 12

Ibid. *add.* Cf. etiam Cod. Iustin. i. 3. 45 (*Sacris canonibus* etc.).

254. 25. *rex illiteratus* etc.: Hoc dictum, quod regi Romanorum attribuit Ioannes, Fulconi II comiti Andegavorum dat scriptor *Gest. Consul. Andegav.* (ap. d'Achery *Spicil.*, ed. 1723 t. iii. 235), Nostri coaetaneus, cuius verba subiungo: *Iste cum in choro beati Martini esset ut Canonicus et caneret cum caeteris, Regi Franciae, qui tunc forte aderat et eum cum suis commilitonibus deludebat, litteras huiusmodi formam habentes misit; Regi Francorum Comes Andegauorum: Noueritis, domine, quia Rex illiteratus est asinus coronatus.* Eadem fusius narrat auctor idem infra c. 4 § 6; cf. Will. Malmesb. *Gest. Reg. Angl.* v. ad init. (ed. Stubbs ii. p. 467) de Henrico I; *subinde, patre quoque audiente, iactitare proverbium solitus, 'Rex illiteratus, asinus coronatus.'* Idem proverbium citauit in concilio Constantiensi Gul. Philasterius Card. S. Marci; v. Von der Hardt. *Conc. Constant.* ii. 228.

255. 24 n. 1586 *l.* 1556

256. 17 n. iv. 4 *l.* iii. 4

257. 19 n. 9, 10 *l.* 9–11

259. 5, 6 n. xvi. 25 *l.* ii. 16 § 25

229. 7 n. xiv. 22 *l.* ii. 14 § 22

259. 9 n. 53 *l.* 51 § 1

270. 22 n. *Bragmanibus* l. *Bragmanis*: 1668 *l.* 1665. Scriptorem anonymum de collatione Alexandri cum Dindimo rege Bragmanorum recensuit B. Kuebler in Valeri *Rer. gest. Alex. Magn.* editione Teubneriana a. 1888 impressa.

275. 14 n. obiise *l.* obiisse

283 n. ad 282. 24, 25. maxime *l.* maximi

285. 26 n. vi. p. 11 *l.* tom. v. part. i. p. 11
286. 7 n. vi. 34 *l.* v. 34
295. 10 n. 255 *l.* 254 b
302. 27 n. 1 c. 11 *l.* 5 c. 11
310. 10, 11. *imperio populi Romani* Trontin.
317. 2. *legitur*: De hac fabula cf. P. Ewald *Die älteste Biographie Gregors I.* (*Hist. Aufsätze dem Andenken an G. Waitz gewidmet* 1886, p. 35); cf. Gaston Paris, *La légende de Trajan* (*Bibliothèque de l'école des hautes études*, fasc. 35, Par. 1878, pp. 261 seqq.); G. Boni, *Leggende*, in *Nuova Antologia*, Nov. 1, 1906.
317. 2 n. *in IV Sent. dict. xlv. qu.* 2 *qu.* 1, 2 l. *in IV Sent. dist. xlv. qu.* 2 *art.* 2. *qu.* 1 *ad* 5.
319. 12. *Ars namque* etc.: cf. Greg. Naz. *Or.* ii. § 16 (Migne *Patrol. Graec.* lxxv. 425) *τῷ ὄντι γὰρ αὕτη μοι φαίνεται τέχνη τις εἶναι τεχνῶν καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν ἄνθρωπον ἄγειν.*
321. 16. sapientiae *l.* Sapientiae
326. 22 n. 10 *l.* 9
340. 11 n. 5 *l.* 7
345. 23. *Tradunt* etc.: cf. ex *Physiognomia* quae sub nomine Aristotelis libro cui titulus est *Secreta Secretorum* in nonnullis codicibus accedit (*Secr. Secr.* Paris. 1520 fol. 56 b; cf. Foerster *de Arist. quae feruntur Secr. Secr.* Kiliae 1888 p. 9) *Deteriores autem oculi sunt qui habent maculas albas uel rubras circumquaque quia talis est homo deterior aliis et magis reprobandus.*
350. 24. mihi *l.* michi
360. 7 n. 1497 *l.* 1496
367. 9 n. Male etc. *l.* v. Serv. *in Verg. Georg. iii.* 7

In Tom. II.

4. 25 n. Dig. *l.* Inst.
4. 26 n. Dig. iii. 61 *l.* Dig. iii. 6. 1
24. 29 n. *add.* Cod. xii. 37 *de erogatione militaris annonae.*
25. 1. solicitudine *l.* sollicitudine
25. 20, 21 n. *Dea* l. *Deo*
29. 2 n. *Segonienses* l. *Segouienses*
43. 4 n. (iv. 4 §§ 1, 2) *l.* (ii. 4 §§ 1, 2)
43. 10 n. § 4 *l.* § 5
44. 12. *Marchionum*: Forsan *marchiones* terrae limitaneae incolas vocat, neque tantum ad comites terrae huiusmodi praepositos respicit.
45. 3. *de maiori Britannia*: cf. Gaimar *Lestorie des Engles* (temp. Stephani), 5971–5974, ed. Hardy & Martin, i. p. 254, de Willelmo Rufo, *E sil peust alkes regner, A Rome alast pur chalenger Lancien dreit de cel pais Ke i ont Brenes e Belins.*
65. 17 n. 17 *stimulis* l. 16 *Habet*
69. 2 n. *om.* in *Vita Hadriani IV* supra citata.
78. 16 n. *Decret.* I. l. *Decret.* II.
90. 19 n. iii *l.* ii
102. 11 n. post *iv.* 24 add. (potius iii. 24).
110. 10, 11 n. i. 9 § 13 *l.* vii. 9 § 13
115. 23 n. 160 b. 12 *l.* 156 b. 3 seqq.: viii. 4 *l.* viii. 3: 1002 *l.* 1001, 1002
117. 27 n. 7 *l.* 8
157. 5. *Qui solas* etc.: v. Petron. *Sat.* § 84.
158. 4. *parsimoniae* etc.: cf. supra iii. 12 (500 A).
160. 23 n. i. 5 § 10 *l.* i. 4 § 10

164. 25 n. 28 *l.* 38
167. 21 n. 1410 *l.* 1409
173. 21 n. Scribit quoque Ioannes, *add.* Saresberiensis.
178. 17. *demeruerat*: cf. supra vi. 29 (634 A).
189. 25, 26 n. xxviii *l.* xxvii
191. *ad calc. pro numero paginae* 119 *l.* 191
192. 2 n. Nannetense *l.* Namnetense
193. 5 n. Schürer *l.* Schnürer
198. 14. *personatus*: cf. supra c. 18 (678 B).
208. 23. mihi *l.* michi
211. 13 n. 8 § 17 *l.* 7 § 16
230. 19 n. post *Enth.* add. *de Dogm. Philos.*
234. 8 n. *pro* sc. quae libros Archilochi exportari iussit; *l.* sc. Massiliensium, de qua supra;
242. 23 n. post *Enthet.* add. *de Dogm. Philos.*
243. 29 n. de *l. de*
247. 23 n. i. 12, 13 *l.* ii. 12, 13: i. 550, 551 *l.* ii. 550, 551
258. 34, 35. *leiun.* l. *Ieiun.*
259. 24 n. De alia (si quidem alia sit) Aristotelis interpretatione saec. xii° facta nos certiores facit Robertus de Torigneio in *Chronicis* sub a. 1128 (ed. Howlett p. 114): *Iacobus clericus de Venetia transtulit de Graeco in Latinum quosdam libros Aristotelis, et commentatus est, scilicet Topica, Analyticos priores et Elenchos, quamuis translatio super eosdem libros haberetur.* Vide quae in Proleg. § 5. scripsi.
273. 23 n. *Navire* l. *Narire*
279. *ad. calc. pro numero paginae* 297 *l.* 279
281. 10 n. § 2 *l.* § 3
290. 14. sit *l.* sit,
293. 22 n. § 3 *l.* § 2
299. 25, 26 n. Falconis *l.* Fulconis
304. 23 n. Hieron. *adv. Iovin.* ii. 48 *l.* Hieron. *adv. Iovin.* i. 48
313. 15 n. *subductis* Hor. 17 *tenui* etc. *l. subductis* Hor. 17 *tenui* etc.
313. 19. pellibus, et epytogiis *l.* pellibus et epitogiis,
313. 19 *app. crit.* epitogiis BM *l.* epytogiis CAS
313. 20 n. *nec tamen dubito* etc.: Nunc autem mihi res non indubia esse videtur.
314. 9. *In hodiernum* etc.: An haec, quae in nostris Macrobii exemplaribus desunt, in suis legere potuit Ioannes?
314. 10. *dealbati*: cf. Matt. xxiii. 27.
315. 10 n. c. 23 *l.* ii. 23
342. 23 n. c. 12 *l.* i. 4 § 12
346. 14, 15 n. ix. 4 *l.* ix. 3 § 4
347. 24 n. xxix–cccii *l.* xxix. p. cccii
366. 20 n. 40 *l.* 47
373. 25 n. xxii *l.* xxi
378. 2, 3 n. xxiv *l.* xxv
379. 27 n. *Post* versiculis *add.* (quae inter Hildeberti opera exstant in Migne *P. L.* clxxi. 1436).
394. 1, 2 n. 824 *l.* 825
396. 1 n. Willelmus de Novoburgo iii. 12 *l.* Willelmus de Novoburgo i. 12
403. 3. *Deo*: *deis* Luc.
403. 13 n. Cf. *Chron.* Guillelmi de Nangis s. a. 1120 (ap. d'Achery *Spicil.*, ed. 1723 t. iii. p. 2) *Romani . . . Burdinum schismaticum et*

Antipapam . . . imperante Domno Papa Calixto perpetuo carcere in montanis Campaniae captiuatum damnauerunt, et ad tantae ultionis conseruationem in camera Palatii sub pedibus Domni Papae conculcatum depinxerunt. Hanc ad picturam respicere videtur Ioannes noster in *Ep.* 59 ad Randulfum de Serris de electione Alexandri III scripta (Migne *P. L.* cxcix. 39) *Sic ad gloriam patrum* (*teste Lateranensi palatio, ubi hoc in uisibilibus picturis et laici legunt*) *ad gloriam patrum schismatici, quos saecularis potestas intrusit, dantur pontificibus pro scabello, et eorum memoriam recolunt posteri pro triumpho.*

406. 14 n. (v. Gerv. Cant. ed. Stubbs, p. 167) *l.* (v. Gerv. Cant. ed. Stubbs, i. p. 167)

412. 27 n. xi. 34 *l.* xi. 1 § 34

414. 6, 7 n. *om.* Hugon. de Folieto (ut videtur).

415. 20 n. *dicitur corporis* l. *dicitur corporis* (potius *corpus*)

493. S. V. LEO MAGNUS *for* 255 *read* 253

OXONII
EXCVDEBAT HORATIVS HART
TYPOGRAPHVS ACADEMICVS